MYSTICA THEOLOGIA SUPER NATURALIS INFUSA, EX SACRAPAGINA, D...

Andrés : de Guadalupe, Pedro : de Villafranca Malagon




8
E
35



MYSTICA THEOLOGIA SVPERNATVRALIS INFVSA.




MYSTICA
THEOLOGIA
SVPER NATVRALIS INFVSA,
EX SACRAPAGINA,
D.DIONISIO AREOPAGITA,
D.BONAVENTVRA,
ALIIS QVE SS. PP. ET
DOCTORIBVS
COMPACTA.
PER.R.P.
F.ANDREAM DE GVADALVPE
ORDINIS MINOR. S.P.N.FRANCISCI
de obseruantia S.Prouintię Angelorum filium Lectorem Iubilatum.Cęsarę Maiestatis Imperatricis D.D.Margaritę de Austria à Confesionibus.&
Comissarium Generalem
Indiarum.
S.
DIONISYVS
AREO
PAGITA
S.
BONAVĒTVRA
DOCTOR
SERAPHIC
P.º a Villafranca sculptor Regius
sculpsit Matriti 1664

ALMÆ ANGELORVM PROVINCIÆ.

DVOBVS retròactis annis (Sancta mater mea) obedientia dominante, ac duce stylo historico virorum tuorum illustrium sanguine, & plus virtutibus historiam composui, typisque mandaui. Nunc autem quamuis difficiliorem aggredior Prouinciam, nolo deficere præcipienti. Scio S. P. N. Franciscum nobis dixisse: *Nihil impossibilitatis causemini, siue iudicetis esse in præcepto: quia et si supra vires ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non carebit.* S. Franc. collat. 4.

Patres ergo venerabiles, & charissimi Fratres in Domino, vobis loquor cum D. Bernardo: Penè impudenter, & plusquam decebat, os meum patet ad vos; non possum tacere. Ignoscite, quia cor meum dilatatum est. Dilatamini, & vos obsecro in visceribus vestris, & capite nos, quia totus venter sum, in eo; in cuius visceribus inuicem cupimus vos. Ideò ex quo recessi á vobis, vsque nunc qualemcumque laborem meum quotidianum statui dedicare: Offero quod possum bonam voluntatem, ipsamque à vobis repeto cum fructibus suis. Dauid saltando placuit Deo, non propter saltum, sed propter affectum. Similiter & mulier, quæ vnxit pedes Domini, laudata est à Christo: nõ quia vnxit, sed quia amauit, & quia quod habuit, hoc fecit, in eo iustificata est. Hucusque S. ad Fratres de Monte Dei. S. Bern. præfat. ad fratr. de mont. Dei. 2. Reg. c. 8. Luc. c. 7.

Vestris desiderijs donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum viuo meritis, volo viuere studijs, & saluti. Sed si quid habeo, hoc vobis do. Poterit & fideli obsequio meo Deus etiam, quod non habeo, dare, vt dem. Si non dederit, culpa erit ingenij; non voluntatis. Si quo minus implesse assumptum videor, date veniam volenti. Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio, nisi quantum sua benignitate ad vestram ædificationem largire dignabitur Spiritus Sanctus. Melius iudico mihi meam culpari im-

peritiam,quàm voluntatem. Volo tamen, & multò magis volo aliqua in parte iustitiæ argui,quàm charitatis contẽptor videri: & verba incompta habere, quàm peruersum cor. Confido tamen de Domini benignitate esse ad vestram vtilitatem,& profectum. Non quæro, quæ mea sunt: nec quod mihi est vtile,sed quod multis,id mihi vtile iudicabo.

2. Mysticam Theologiam supernaturalem, & infusam grato animo offero,substantialem cibum animæ,ac solidiorem. Omitto illam,quam mysticam acquisitam diuino auxilio vocant. Et quidem consilio, quia iam ex longo studijs estis cœlestibus occupati,exercitati sensibus,& in lege Domini meditantes die,ac nocte. Sequor D.Paulum,qui similibus scribens,hæc profert: *Sapientiam loquimur inter perfectos,sapientiam verò non huius sæculi,neque Principum huius sæculi,qui destruuntur.* Vbi D. Ambrosius: *Hoc est* (inquit) *inter eos, qui Crucem Christi virtutis testimonio sapientiam fatentur. Hi enim sapientes.& perfecti sunt,qui fidem non magis verbis habent,quàm rebus.* Spiritualibus nãque iure proprio spirituali comparantur. Nec timeo molestum esse,aut Moysi in monte,aut Heliæ in deserto, nec reuocare vos à diuinis collocutionibus cum Deo;mystica nãque Theologia non impedit,sed adiuuat,vt melius, & securius in exercitio fiat. Hæc diuina scientia non inflat, sed ædificat,quia à charitate regitur. Iam iam animo desidero, vt vobiscum quietus viuam, & vobiscum in pace moriar frater,& sub vobis seruus. Accipe ergo, alma mater mea hoc paruulum munusculum,ad quod coget obedientia,& audet charitas. Bonum est in se,quia per arctam & arduam viam, quæ ducit ad vitam,ad cœlestia dona erudit, ac ducit. Bonum,quia tuum. Tuum,quia ex te tamquàm ex docto fonte plenoquè hausi. Tu me docuisti. Tu speciali decreto præcepisti,vt anno præterito 1642. scholasticis Theologis publicè legerem in Religiosissimo Conuentu S. Antonij de Padua Ciuitatis Hispalensis;quòd & feci, vt potui, per tres integros annos obediens. Desiderasti,vt typis mandaretur tua benignitate; tua paupertas,tuum desiderium non potuit

1. Cor. c. 2.

S. Amb. in epist. 1. ad Cor. c. 2.

tuit adimplere. Diuina prouidentia iam dedit. In hoc propensius gaudeo, quia labor meus otium vobis amenæ securitatis impertijt, mea vexatio laboriosæ quieti vestræ ferias procurauit.

Tuum est, quia tamquam pia sciens necessitatem huius altissimæ, ac occultæ scientiæ ordinasti maturè, vt legatur in plena communitate feria tertia, quinta, & Sabbato tempore conuenienti, vt omnibus innotesceret, quòd omnibus necessarium est ad profectum proprium, & proximorum. Quòd quidem factum est, & fœliciter fit in Conuentibus omnibus tuæ obedientiæ quantumuis paruulis. Tuum denique est, quia in praxi exerces in tuis filijs, in quo exercitio quilibet sanctam libertatem obtinet interrogandi, & replicandi. O vere filia S.P.N. Francisci, de quo Ecclesia canit: *Doctus doctrica gratia, doctus experientia, quæ sunt perfectionis: hæc fratres docet omnia, tàm factis, quàm frequentia mellifui sermonis.* Nec in maximis tantùm, sed & in minimis maxima es. Quòd si videar loqui, vt filius in tuis laudibus, video D. Bernardum multa, & magna loqui de suo Fratre Gerardo iam defuncto. Iustè quidem, veritas etenim in quocumque existens veritas est. Et si locum habet in alienis, quare non habebit in proprijs? Verissimum esse quod dico, notum est omnibus, totique Familiæ Seraphicæ. Fatentur omnes, & non falluntur; experientia euidentia est, & Philosophiæ mater. Non potest ciuitas abscondi supra mõtem posita, nec lux supra candelabrum collocata. Alia omitto in tuis præconijs. Interim intende prosperè, procede, & regna in sanctitate, & iustitia coram Deo, vt tuus indignus filius humiliter precatur omnibus diebus vitæ suæ, in qua omnia bona inueni, & omnia bona vera à te, & propter te accepi.

Antiph. laud. in offic.

S. Bern. ser. 26. in Cant.

Licencia del Ordinario.

NOS el Lic. Don Garcia de Velasco, Vicario desta villa de Madrid, y su partido, por el presente, y por lo que a Nos toca, damos licencia, para que se pueda imprimir, é imprima vn libro, intitulado, Mystica Theologia supernaturalis infusa, escrito por el Reuerendissimo P. Fr. Andres de Guadalupe, de la Orden de N. P. S. Francisco, de la Obseruancia, y Confessor de la Serenissima Emperatriz, atento por nuestro mandado ha sido visto, y examinado, y no contiene cosa contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Madrid a 21. de Febrero de 1665. años.

Don Garcia de Velasco.

Por su mandado

Iuan de Ribera Muñoz.

CENSVRA DEL REVERENDISSIMO P. M. Fr. Iuan de Brizuela, Comendador del Conuento de nuestra Señora de la Merced, y Predicador de su Magestad.

OBedeciendo el mandato de V. S. he visto el libro, intitulado, Mystica Theologia supernaturalis, que escriuio el Reuerendissimo P. M. Fr. Andres de Guadalupe, Lector jubilado, del Orden de N. P. S. Francisco de la Obseruancia, y Confessor de la Serenissima Señora Emperatriz; y auiendole visto con cuydado, me ha dexado con admiracion, pues hallo en èl, no solo lo sobrenatural de la Theologia Mystica, que es el assumpto ilustrado con Santos Padres; sino lo sobrenatural de los discursos de su Autor, en que excede las fuerças de la naturaleza, guiado de las luzes superiores, pues haze facil al corto entender humano, la ciencia mas necessaria para conseguir el vltimo fin diuino; y porque auiendo de darse a la Estampa (como pretende su Autor) y es justo que se despues no tiene cosa, que contradiga a nuestra Santa Fè Catolica, ni buenas costumbres, serà el mayor elogio de su Autor, el que se publique: cesso en publicarlos yo, contento con las admiraciones que saco de auerle visto, y leido; y assegurando, que es digno de la licencia que pide. Este es mi parecer, saluo meliori, &c. En este Conuento de nuestra Señora de la Merced, Redempcion de Cautiuos de Madrid, Febrero 22. de 1665.

Fray Iuan de Brizuela.

EL Reuerendissimo Padre Fr. Andres de Guadalupe, Comissario General de Indias, de la Orden de nuestro Padre San Francisco, tiene licencia de los señores del Consejo, para que pueda imprimir vn libro intitulado, *Mystica Theologia*, por tiempo de diez años, como mas largamente consta de su original. Su fecha en 6. del mes de Março de 1665. años.

ERRATAS.

PAG. 8. col. 1. lin. 18. dotrinas dotrina, & lin. vlt. occurrent occurrerent. Pag. 9. c. 1. lin. 43. desit, ne sit. Pag. 11. c. 1. lin. vlt. vos carneum, vobis carneum, & c. 2. l. 40. cubiculu, cubiculo. Pag. 12. c. 2. lin. 54. primum, pium. Pag. 14. c. 2. l. 46. recta, rectam. Pag. 17. c. 1. l. 36. defœcatus, defœcatas. Pag. 19. c. 1. l. 41. adeo, ab eo. Pag. 23 c. 1. lin. 12. latè, lato. Pag. 24. c. 1. l. 1. meus, mens, & l. 4. animas, animus. Pag. 25. quemale notatur 23. c. 1. l. 18. communicata, communicatam. Pag. 26. c. 1. l. 17. actu, actum. Pag. 29. c. 1. l. 29. narrant, narrat. Pag. 30. c. 1. lin. 41. & 55. scietur, cictur. Pag. 38. c. 2. l. 20. adispicendus, adispicendas. Pag. 78. c. 1. l. vlt. meas, mens. Pag. 177. c. 2. l. 45. voluptas, voluptatem. Pag. 179. c. 1. l. 25. inueteratus, inueteratas. Pag. 228. c. 1. l. 37. diligentes, diligentibus.

Hic liber inscriptus, *Mystica Theologia supernaturalis infusa*, *&c.* demptis his mendis suo exemplari fideliter respondet, & excusus est. Dat. Matriti, die 7. mensis Martij anno 1665.

Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.

TASSA.

YO Gabriel de Aresti Larrazaual, Escriuano de Camara del Rey nuestro Señor, de los que en su Consejo residen, certifico, que auiendose visto por los señores del, vn libro intitulado, *Mystica Theologia*, compuesto por el Reuerendissimo Padre Fray Andres de Guadalupe, Comissario General de Indias, de la Orden de S. Francisco, que con licencia de los dichos señores ha sido impresso, tassaron a seis marauedis cada pliego, y el dicho libro parece tiene sesenta, sin principios, ni tablas, que al dicho respeto monta trecientos y sesenta marauedis, y al dicho precio, y no mas mandaron se venda el dicho libro, y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno. Y para que conste, doy la presente en Madrid â 9. de Março de 1665.

Gabriel de Aresti.

CEN-

CENSVRA R.P. IOANNIS EMMANVELIS RAMIREZ, ex Sacra Religione Societatis Iesu.

M. P. S.

REgali Supremique Senatus obtemperans iussui, nec non meæ consulens oblectationi, vidi, legi, & relegi summa animi voluptate, librum, qui Mystica Theologia supernaturalis inscribitur, compositum per Reuerendissimum Patrem Fratrem Andræam de Guadalupe, Ordinis præclarissimi Minorum de Obseruantia, Sacræ Theologiæ Lectorem iubilatum, Generalem Indiarum Commissarium, & vt alijs multis, quibus condecoratus est, titulis supersedeam, Cæsareæ Maiestatis Imperatricis Confessarium. Eiusmodi eum esse existimo, quem esse nomen satis per se indicat, mysticum scilicèt, quia mysterijs plenum, supernaturalem, quia diuinum redolet, naturale verò nihil nisi naturæ prodigium, infusum eum cœli potius donum, quàm humana industria opus comparatum videatur. Quidni enim de cœlo descendisse totam illam sapientiam putemus, quæ ad cœlum vsque ascendit, cœlestibusque desiderijs Lectores suos ascendit. Talis denique est, qui miram ingenij sublimitatem, vberrimam sanctioris eruditionis suppellectilem, amplissimam rerum cognitionem in Authore testetur: Quidni ergo verissimè de huius libri Authore dicam, quod de Reginaldo Polo dixit Manutius ad Pium Quartum, scribens in hunc fermè tenorem: *Cum sacræ eloquentiæ, & Philosophiæ pari studio flagrauerit, in vtra tamen magis enituerit, non facilè est existimare: illud certè constat, qui vel meliora, vel altiora scriberet hac hominum memoria extitisse neminem.* Quod quàm verissimè huic Authori conueniat, aduertet ille, qui notauerit æquè eum ingenio dare sapientiam, ac cordi pietatem. Quæ hactenus à me dicta sunt nemò credet magna, nisi qui librum hunc non legerit, vel lectum non calluerit. Dignissimum igitur illum cēseo, qui ad publicum piorum, & sapientum beneficium publicæ lucis beneficium accipiat, si tamen is lucem accipere dicendus sit, qui lucem faciet cum accipiet. Sic censeo Matriti in Collegio Imperiali Societatis Iesu, pridie Kalendas Martij anni 1665.

Ioannes Emmanuel Ramirez.

AD

AD LECTOREM.

Difficilè admodum (pie Lector) in se est argumentum quod elegi, difficilimum autem mihi. De alijs nempè copiosa in libris occurrit materia: huius verò, aut tota intus est, aut nusquam est: quia non ab exterioribus ad interiora suauitatis suæ secreta transponit. Solus proinde de ea dignè scribit, qui secundùm cor dictat, verba componit. Ne mireris igitur, si alium audire de ipsa mallem, quam agere ipse. Illum, inquam, audire vellem, qui calamum linguæ tingerit in sanguine cordis: quia tunc vera & veneranda doctrina est: cùm quod lingua loquitur, charitas experitur, & vnctio Diuini Spiritus docet.

Hinc D. Dionysius in principio mysticæ Theologiæ cognouit grauitatem, & difficultatem agendi de ipsa, & Sanctam Trinitatem precatur, vt lucem tribuat, & mentem dirigat, dicens: *Trinitas supernaturalis, & supra quam diuina, & supra quam bona Theosophiæ Christianorum Præses, dirige nos ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile, & plusquam lucens, & summum fastigium, vbi simplicia, & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria aperiuntur in caligine plusquam lucente silentij arcana docentis, quæ in obscuritate tenebricosissima plusquam clarissimè superlucet, & in omnimoda intangibilitate, atque inuisibilitate, præ pulchris splendoribus mentes oculis captas super adimplet. Hæc quidem mea sunt vota.* *S. Dionys. Areop. c. 1 myst. Theolog.*

Super quem textum hæc, ait alter Dionysius: Quoniam mystica Theologia est vnitiua sapientia, flammigera, theoria, donumque sapientiæ secundum gradum suum supremum in hac vita, est verè supernaturalis perfectio hominis, ac diuina possessio eius, arduissimum donum, ad quod nemò proprijs, ac naturalibus potest attingere viribus, sed præcipuo adiutorio Dei, quòd feruenti oratione acquiritur: rectè Author ab oratione hunc librum incipit. Hæc ille. Et quidem S. Dionysius, non sicut in alijs Theologiæ partibus fieri assolet, simpliciter lumen aliquod, quo illustretur, expostulat; sed illam ipsammet Theologiæ ipsius mysticæ gratiam, maximèque insignem prærrogatiuam, qua ad supremum eius apicem perducatur. Ratio est perspicua. In alijs Theologicis disciplinis non est necessarium experimentum, seu ipsa possessio, sed tantum lumen aliquod, quo intellectus naturam proprietatesque obiecti suo modo agnoscat, ac perscrutetur: at mystica Theologia ipsa intra se obiectum complectitur, intimè ei vnitur, illudque interiùs tangit, & possidet; quòd à diuina gratia solum procedere potest. *Dion. Carth. ibi art. 1.*

Huiusmodi donum sola vnctio Spiritus Sancti facit, sola addiscit experientia. Non est cum strepitu oris, sed est iubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum consonantia. Solum scit, qui accipit. Est quippè manna absconditum: & solus qui edit, adhuc esuriet. Audi expertum quomodo requirit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* At benigna est sapientia Spiritus Sapientiæ, & *Psalm. 50.*

non

non consueuit esse difficilis se inuocantibus animo humili: qui sæpè, & antea quam inuocetur, dicit: *Ecce adsum.* Qui docet hominem sciétiam, verusque consiliarius est.

Sap. c. 1.

Veneror diuinam, occultam, altissimamque hanc mysticam Theologiam infusam, non calamum retardor; facio quod illi Seraphim sex alis pennati apud Isaiam faciebant, de quibus hæc D. Dionysius profert: *Quòd si facies, pedesque obtegunt, medijsque tantum alis volant, intellige, tam præstantem summarum naturarum ordinem revereri ea, quæ altiora, profundioraque sunt, quàm vt intelligendo assequi possint, medijsque alis moderatè ad Dei contemplationem euehi, dum in diuinis laudibus, vitam suam subijcit, & ab ijs sanctè ad sui notitiam promouetur.* Verum cur (inquit Pachymera) inferiores, & superiores alæ succinguntur, mediæ verò extenduntur? Respondet: qui nimirum ordo ille sublimiora, profundioraque reueretur, sublimiora minimè quærendo, & profundiora non scrutando; media verò sibi commensa sectando, sursum fertur, diuinæ iustitiæ vitam suam submittens, & secundùm illam sua dirigens.

S. Dionys. Areop. c. 4 de Eccles. Hierar.

Pach. in paraphra. ibi.

Non silet itaque pro modulo meo calamus. Legerat namque B. Laurentius illa Danielis verba: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et illa Ecclesiastici: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Subditque Sanctus: talibus ergo eruditus testimonijs huiusc emodi prouocatus exemplis, summopere curaui præteritorum Patrum imitari vestigia, non tamen pari gressu, neque æquali sufficientia, aut meritis: sed diuina opitulante gratia: eodem cœlo honoris Dei, laudisque conditoris, atque simili æmulatione fraternæ charitatis. Acceptum quippè talentum occultare nolens, nequaquam passus sum habere solus, quod multis prodesse poterit. Hæc Laurentius satis ad votum. In nullo quidem tam gratanter, tamque salubriter potest occupari vita, quàm cùm sibi dona gratis à Deo præstita vniuersis profectu spiritualis causa, gratis iuxtà regulam Euangelij ardenter, purèque communicare studuerit.

S. Lau Iust. de cast. verb. & anim. connub in proœm.
Dan. c. 12.
Eccl. c. 24.

Graues Authores de hac re scripsere his temporibus grauiter, ac doctè: quare tamen audeo, & ego, scito hoc fecisse annuens Sanctæ Prouinciæ Angelorum meæ genitricis desiderijs. Sequor D. Gregorium, qui loquens cum Mariano Episcopo in expositione Ezechielis Prophetæ, inquit: *Tua dilectio has* (Homilias) *sibi ad legendum mitti poposcerat: sed valdè incongruum credidi, vt aquam despicabilem hauriret, quàm constat de Beatorum Patrum Ambrosij, atque Augustini torrentibus profunda, ac perspicua fluentia assiduè bibere: Sed rursum dum cogito, quòd sæpè inter quotidianas delitias etiam viliores cibi suauiter sapiunt, transmisi mini ma legenti potiora, vt dum cibus grossior velut pro fastidio sumitur, ad subtiliores epulas auidiùs redeatur.*

S. Gregor. Magn. in Præf.

Aliqua dicere possim longa experientia, ac lectione; at omnia ex Sacris Scripturis, & intelligentia Patrum Ecclesiæ, ac Doctorum Theologiæ mysticæ desumo, nihilque de meo. Sic D. Dionysius fecit suis scriptis, cap. 1. cœlestis Hierarchiæ, docet Sacra Scriptura, eiusque illustratione ad cœlestium rerum indagationem ascendendum esse, cap.

5. affirmat cœlestes Hierarchias celebrandas esse, *secundùm earumdem mysticam in oraculis explanationem*. Et cap. 6. itaque nos quidem nihil motu proprio dicemus, sed, quæ Angelica spectacula Sanctis Theologis visa fuerint, edocti, pro viribus exponemus.

Libro de Ecclesiastica Hierarchia, cap. 1. idem confirmat, dicens: Substantia Hierarchiæ nostræ sunt diuinitus tradita oracula. Maximè verò ista oracula dicimus veneranda, quæ a sacris nostris initiatoribus, diuino spiritu afflatis, in Scripturis Sacris, librisque Theologicis tradita nobis sunt: vti & illa, quæ ab ijsdem viris sanctis subtiliori, non omninò dissita ab ordine cœlesti insinuatione, de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriato, sine scriptione, institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti. Hic Verbum Dei, tam scriptum, quàm traditum, optimè scribit. Sanctos initiatores appellat Apostolos. Eamdem legem sibi imponit, vt nihil nisi ex Scriptura loquatur, cap. 1. de Diuin. Nomini. Denique cap. 1. mysticæ Theologiæ ostendit ex Sacris Scripturis Deum tenebras posuisse latibulum suum, & lucem inhabitare inaccessibilem. In alijs locis operum suorum id ipsum obseruat.

Agitur in hoc paruo volumine de natura, & proprietatibus mysticæ Theologiæ, de contemplatione infusa, deque eius gradibus, & principijs a quibus procedit. De omni genere visionum, ac reuelationum. Assignantur regulæ discernendas veras a falsis. De diuinis locutionibus. De Prophetia, extasi, & raptu. De vita actiua virtutum secundùm virtutes principales. De via purgatiua tempore desolationis, & sensibilis gratiæ; deque tentationibus occurrentibus, ac remedijs. Eodem modo proceditur de via illuminatiua, & vnitiua. Atque adeò ad integrum inuenitur mystica Theologia tractata secundùm partem intellectiuam, & affectiuam. Et nisi fallor quidquid accidit in vita spirituali in ordine supernaturali infuso ad intelligentiam, & magisterium. Et quia affectus promouir, agitur de vnione mystica experimentali Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti cum animabus perfectis, ac defœcatis aliquando cum Deitate, & carne Christi cum carne suscipiente per tactum physicum. Denique attexitur tractatus de gratijs gratis datis, vt in substantia nihil deficiat de his quæ ad ordinem supernaturalem spectat in præsenti materia.

Ingenuè fateor me inexpertum. At legi Gersonem, qui animum dilatauit, & audacem confidenter fecit. Sic namque de se ipso loquitur: occurret forsitan aliquis, & dicet: Quid ad te doctrina mysticæ sapientiæ, qui non es particeps huius experientiæ? Respondeo: Credidi, propter quod locutus sum. Credidi sermonibus expertorum, propter quod conformiter ad eos locutus sum. Quatenus inducar, & inducam, quantum Dominus adiuuerit ad desiderium tanti obiecti cum isto qui dicebat: vnam petij a Domino, hanc requiram. Vnam videlicèt speciosam margaritam Euangelij: qua habita, dicamus, sufficit: qua non habita, saltem desiderare concupiscamus. Enitamur denique pro deuotione cuiuslibet, & impedimenti cum imploratione diuini beneplaciti. Sanabit ita fortè oculum mentis: & ei se præsentabit ex- Gers. tract. 7. supr. Magni

pe-

periendum, gustandum, & videndum, quàm suauis ipse est, quam magna multitudo dulcedinis suæ, quam abscondit timentibus se. Hæc ille.

Quòd ergo ex alijs accepi satis expertis, quibusque credidi, sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo. Veniam pe-to a te, Lector pie, verbis hisce D. Dionysij: Itaque, siquidem rectè ista dicta sint, & in diuinorum nominum explanatione pro modulo nostro verum sensum attingerimus, in bonorum omnium causam id totum referendum est, vt quæ primùm tam dicendi, quàm benè dicendi facultatem dederit. Ac si, quid eorum quæ his æquiualent sit prætermissum, id iisdem quidem rationibus à nobis ad hunc modum supplendum erit. Sin verò hæc, vel minùs recta, vel imperfecta sunt, & à veritate, vel omninò, vel ex parte aberrauimus, erit humanitatis tuæ corrigere, non spontè ignorantem, rationesque suggerere discere cupienti, & ex se insufficienti opem ferre, curareque nolentem ægrotare: atque alia quidem à te excogitata, alia verò ab alijs mutuata, cæteroquin omnia ex ipso bono accepta, in nos quoque deriuare. Neque te pigeat amicum hocce beneficio afficere. Hæc Sanctus sua humilitate, & modestia. Hæc ego veritate, & necessitate. Vale in Domino.

S. Dion. Areop. cap. 13 de Diuin. Nom.



MYSTICA

TRACTATVS PRIMVS MYSTICÆ THEOLOGIÆ.

ARGVMENTVM OPERIS.



IN felicissimo Innocentiæ statu conditus primus Parens hac mystica Theologia fruitus fuit in altissimo gradu vsq; ad extasim. Insuper reuelationibus, visionibus, & prophetia. Sentiunt plerique Patres. S. Augustinus explicans illud Genesis: *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*, sic ait: *Extasis hæc, quam Deus immisit in Adam, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt ipsius mens per extasim particeps fieret, tamquam Angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima. Denique euigilans, tanquam prophetia plenus, eructauit quod magnum Sacramentum commendauit Apostolus.* S. Hieromynus docet, quòd altera littera tenet: *Et immisit Dominus extasim super Adam.* S. Bernardus loquens de somno Adam, *mihi quidem non nisi immutabilis veritatis intuitu, & abysso diuinæ sapientiæ, corporeis excedens sensibus obdormisse videtur. Rediens nimirum indicat, quo abisset, dum tamquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum Sacramentum, quod tanto post in Christo, & Ecclesia Apostolus commendauit. Hoc (inquit) os ex ossibus meis.* Merito dicere potuit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Genes. 2. S. August. ibi. S. Hiero. S. Bernar. ser. 2. de septuag. Cant. 5.

Super illum locum *Cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradyso ad vesperam*, opinatur D. Augustinus, quòd ante peccatum, Deus cũ Adam, & Eua loquebatur intrinsecis, & ineffabilibus modis, sicut cum Angelis ipsa immutabili veritate, illustrans mentes eorum, vbi est intellectus, nosse simul quæcumque etiam per tempora non fiunt simul. Concludit: *Et si non tanta participatione, quantam capiunt Angeli, tamen pro humano modulo quantumlibet minus, sed ipso genere visitationis, & locutionis, fortassis etiam illo, qui fit per creaturam, siue in extasi spiritus corporalibus imaginibus, siue ipsis sensibus corporeis aliqua specie præsentata, vel ad videndum, vel audiendum, sicut Angelus suis solet videri Deus, vel sonare per nubem.* Expressè loquitur de locutionibus, reuelationibusque internis, & de visionibus externis primis Parentibus in statu innocentiæ à Deo communicatis.

Genes. 3. S. August. 11. super Genes. ad lit.

Cæterum ab hac fælicitate, & donorum supernaturalium fruitione à calido serpente deceptus homo, vitale iugũ per inobedientiam præuaricationis à se proiiciens, iustè despoliatus est; *Vnde miserè* (verba sunt D. Dionysii) *æternitatem cum mortalitate commutauit; Et qui originem à corruptibili generatione acceperat, ad interitum origini suo consentaneum iure merito properauit, necnon à vita diuina, quæ ipsum ad supera surrigebat, dilapsus, & ad extrema contraria iam præceps datus, varijs perturbationibus obnoxiam natus est immutationem.* Totam ergo mysticam Theologiam perdidit, & hac diuina scientia expoliatus, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

S. Dionys. Areop. c. 3. de Eccl. Hierar.

Vnde scopus, & finis istius operis est agere de mystica Theologia, pertinente ad intellectum, & ad voluntatem, de natura, & gradibus illius; deque his quæ spectant ad extasim, raptum, ad reuelationes, ad locutiones diuinas, ad visiones, & prophetiam; & de omnibus requisitis, & ad veram intelligentiam, & practicam necessariis. Denique de his, quæ in exercitio mysticæ Theologiæ accidere solent, & de periculis occurrentibus; vt sic expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induamur nouo; qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit eum: sicque eruditi proficiamus in mysticis ascen-

sionibus: quas Deus disposuit in hac lacrimarum valle illis, qui sua gratia adiuti ascendere volunt schalam mysticam Iacob: ne propter ignorantiam istorum non ascendāt, & viæ Sion lugeant, eo quod non sit, qui vadat ad solemnitatem; vel si ascendunt, non præcipitentur miserè, vt in multis experientia luget.

Thren. 1.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit mystica Theologia cum Diuina gratia acquisita?

DVplex est mystica Theologia cum diuina gratia acquisita. Vna speculatiua ad intellectum spectans, alia practica ad voluntatem attinens. Completè sumpta sic describitur: *Est eleuatio animæ in Deum per actus intellectus, & voluntatis à fide illuminatæ cum auxilio communi.* Conuenit cum mystica Theologia infusa, quia vtraque est eleuatio animæ in Deum; differt tamen per illam particulam, *cum auxilio communi*; nam infusa procedit à singulari gratia Dei, vt in sequentibus videbitur. Dicitur eleuatio animæ, quia anima eleuatur ad diuina per potentiam intellectiuam, & volitiuam adequatè. Videtur hoc idem insinuare, S Dionysius, qui desiderat nos imitare, quantum possibile est, Angelos, qui, & Deum cognoscunt, & cum ipso vniuntur, dicit: *Mentes itaque deiformes ad Angelorum, quantum fas est, imitationem: hac ratione Deo vnitæ (siquidem per omnem mentalis operationis vacationem eiuscemodi deificatarum mentium ad suppremum Dei lumen vnio existit) hoc ex Beatissima illa cum Deo vnione supra naturam verè per illuminationem eruditæ.* Illuminatio ad intellectum spectat, vnio ad voluntatem, de quibus hic mentionem facit Sanctus. Loquitur de imitatione nostra, nam vt benè S. Maximus super eundem locum: *Quod enim hoc non de Angelis accipiendum sit, patet, quod dicat: Angelos imitando: Angelus enim non imitatur Angelum, sed qui illo inferior est.* Illa verba: *Per omnem mentalis operationis vacationem*, non dicunt cessationem operationum animæ circa Deum: iam enim nec cognosceret, nec diligeret; sed important cessationem omnis sæcularis operationis, vt sic liberè cognoscat, & vniatur. In rebus enim spiritualibus manifestum est motum omnē, omnemque operationem, & quietem omnem ad perfectionem illam vnificantem manuducere; quoniam circa res æternas, & incorporeas vacationes istæ, ac tranquillitates, operationumque cessationes, iuxtà naturam suam efficiunt, vt perturbatio cesset, & in vnitate potentiarum animæ perfecta mystica Theologia obtineatur.

Mystica Theologia, acquisita.

S. Dionys. Areop. c. . de Diu. nomin.

S. Max. ibi

Dicimus, quòd mystica Theologia est eleuatio animæ à fide illuminatæ, per quod distinguitur à cognitione diuinorum, quam habuerunt puri Philosophi fide carentes. Vocatur, mystica, quod idem est secundum Seraphicum Doctorem Sanctum Bonauenturam: *Ac occultus Sermo diuinus, quo mens ardore disposita; linguis affectionum Christum suum dilectum occultè loquitur.* Significat quodam arcanum, abditum, & secretum. Et quidem Sacrosanctum, quod non nisi hominibus sacris communicandum, profanis verò occultandum sit, docet idem Sanctus Dionysius epistola ad Timotheum Discipulum: *Sacramentum Regis abscondere bonum est.*

S. Bonau. prol. Myst. Theolog.

De hac mystica Theologia acquisita, loquitur ipse Dionysius alio in loco, instruens Discipulum, dicens: *Tu amice Timothee circa mysticas speculationes corroborato itinere, & sensus desere, & intellectuales operationes, & ad vnitatem vt possibile instius restituere ipsius; qui est super omnem essentiam. Ea etenim te ipso, & omnibus immensurabili, & absoluto puræ mentis excessu ad superessentialem diuinarum tenebrarum radium omnia deserens, & ab omnibus absolutus ascendens.* Agere de Theologia mystica adequatè, scilicet, speculatiua, & practica, insinuant illa verba: *Mysticas speculationes, & ad vnitatem.*

Tob. 12. S. Dionys. Areop. ca. 1. de mysti. Theolog.

Illa autem verba: *Restituere, ascendēs*, denotant, loqui de mystica Theologia, nostra industria acquisita cum diuina gratia; etenim dicunt actionem, non passionem. Ad intentum elucidat prædictam authoritatem alter Dionysius. Vbi S Dionysius, *corroborato itinere*, commentatur: idest, processu considerationis tuæ, confortato

Dion. Cartus. ibi art. 1.

tato per lumen fidei. In alijs docetur Timotheus, vt transcendat (ait Carthusianus) cuncta creata, operationes circa ipsa, & eorum obiecta, ne illis sit intentus nec in ipsis detineatur, sed totus intẽtus sit obiecto increato, & in eum demersus, secundùm illud Apostoli: *Nos reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Et quia hæc mystica Theologia illuminatur à fide, quia fides tribuit meditationi, vel contemplationi mysteria, vocatur à S. Dionysio hæc illuminatio radius diuinarum tenebrarum: *Nam fides est sperandarum substantia rerum, non apparentium* Propter cuius obscuritatem non incongruè dicitur, & est caligo, quia videmus nunc in enigmate. Est etiam ex parte obiecti tenebra: *Nam Deus lucem inhabitat inaccessibilẽ; & posuit tenebras latibulum suũ;*

2. Corin. 3

1. Thimot. 6. Ps. 17.

Iterum ipse S. Dionysius sic explicat eleuationem animæ in Deum: Quemadmodum si lucidissimam catenam è summo cœlo suspensam, & huc vsque demissam, manibus alternis in anteriora protensis continenter arriperemus, attrahere quidem ipsam videremur; re autem vera, non illam ipsi deduceremus, vt quæ supernè, & infernè præsens esset, sed ipsimet ad sublimiores radiorum illustrium fulgores eueheremur. Alia duo exempla pulchra adducit. Sicque præsentes sumus Deo per operationes mysticæ Theologiæ, ad ipsumque ascẽdimus; vt illuminemur, & accendamur in eius amore; nam licet sit omnibus præsens, non tamen omnes illi adsunt per appropinquationẽ mysticæ Theologiæ. Verissimum quidem est, quòd Deus sua essentia intimior, & præsentior est animæ nostræ, quàm ipsa sit sibi ipsi; cæterum hæc Diuina præsentia sic sumpta, non est obiectiua; quando verò mens illam cognoscit, & per amorem illi vnitur, tunc dicitur, quod adsit Deo, & à Deo deificatur.

S. Diony c. 3. de diui. nomi.

Pro maiori intelligentia mysticæ Theologiæ adequatè sumptæ, sciendum est, quòd speculatiua, & practica Theologia in multis differunt, si considerentur secundum proprias rationes. Prima, & principalis differentia sumitur ex subiecto, & potentia, Speculatiua subiectatur immediatè in potentia intellectiua, practica in potentia affectiua. Secunda differentia sumitur ex parte obiecti; Nam obiectum speculatiuæ est Deus sub ratione veri, practicæ sub ratione boni. Vnde dixit Ricardus. *Omni spiritui rationali gemina quædam vis data est ab illo patre luminum, a quo est omne datum optimum, & donum perfectum: Vna est ratio, altera affectio: ratio, qua discernamus; affectio, qua diligamus: Ratio ad veritatẽ, affectio ad virtutem: Hæ sunt sorores illæ duæ domino desponsatæ, Oolla, & Ooliba: Hierusalem, & Samaria* Conueniunt tamen speculatiua, & practica, quia vtraque est propriè in viribus spiritualibus animæ, in illisque fundantur, & non in partibus animalibus hominis, quæ non percipiunt ea, quæ sunt spiritus.

R car. à S. Vict. lib. 1. Beni. mi. c. 3.

Mystica hæc Theologia adequatè considerata est supernaturalis quò ad substantiã (non quoad modum) quia procedit à principijs supernaturalibus, fidei, spei, & charitatis, auxilioque supernaturali: Deinde respicit Deum supernaturale obiectum per fidem creditum. Hac de causa spiritus noster, dum exercet Theologiam mysticam, sic explicatam, dicitur quodammodo leuare se supra se, & quodammodo superferri. Vnde fit, vt actus nominentur supernaturales excessus, vel supra spiritum: Et secundùm illos quis dicitur, quandoquidem super se ipsum, quandoque extra se ipsum. Extra hitur tuncà modo naturali operandi, & collocatur in statu supernaturali, qui superior est naturali; quippè introducitur à Deo in cellam vinariam, S. Bernardus: *Cum duæ sint beatæ contẽplationis excessus, in intellectu vnus, alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione pius sanè affectus, & pectus amore calescens, & Sanctæ deuotionis infusio, etiam vehementi spiritus repletus celo, non plane aliunde, quam è cella vinaria reportatur.* Citat illud Psalmi ad propositum: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Exemplum sit in aqua contenta in vase: Dum apponitur ignis, calescit, & feruescit: tunc dicitur excedere se ipsam, esseque supra se ipsam propter calorem expellentem frigiditatem, & collocantem eam in

Cant. 2. S. Ber. ser. 49. in Cãt.

Ps. 38.

quadam sphera supra suam naturalem.

CAPVT II.

Quæ sit necessitas mysticæ Theologiæ acquisitæ ad vitam æternam consequendam.

THeologi duplicem necessitatem in actibus virtutum solent distinguere. Vnam vocant medij simpliciter, aliam præcepti. De his agere spectat ad Theologos; & sic relinquimus. Aliam appellant necessitatem ad melius, sine qua cum difficultate finis cōsequitur. Hæc est necessitas mysticæ Theologiæ acquisitæ. Sumitur ex natura ipsius, & authoritatibus Patrū, ac denique, ex effectibus ipsius mysticæ Theologiæ, & fragilitate humana tentationibus, & periculis in vita præsenti subiecta, & exposita ad ruinam, & æternam damnationem.

Incipiēdo à natura mysticæ Theologiæ, in primis ostenditur illius necessitas, ex eo quod primus Parens per inobedientiam escam vetiti cibi gustare præsumpsit, & in ignorantiam diuinorum densissimam incidit, auersusque est à Deo priuatus luce diuina; per mysticā Theologiā, & cōsequitur lucē, & cū Deo consortium. Sanctus Dionysius loquens de mystico Theologo sic ait: *Cum enim habeat Deum omnis sacræ suæ arcana, cùm scientiæ, tum operationis finem, ad diuinissimum eius decorem intuendo, eundem quo ad potest, exprimit, nec non diuinus sui consortes, Sacra quædam perficit simulacra, speculaque clarissima, & immaculata, quæ primitiuæ lucis, summaque Deitatis radium excipiant.* S. Maximus scholiat sic: *Hic vocat eos, qui circa diuina versantur.* Theologia enim mystica illuminat intellectum, vnitque animam cum Deo ex ipsius natura: à quo similitudinem diuinarum formar, nec non diuinas exprimit imagines, iuxtà illud: *Ego dixi, Dii estis, & filij Excelsi omnes.*

S. Dionys. Areop. Eccles. Hierar. cap. 3.

S. Maxim. ibi.

Psalm. 81.

Cùm enim anima per mysticam Theologiam ad contemplandum Deum, atque amandum se componit, Deum participat, & admirabiliter illi vnitur, associaturque Angelis illos imitando, vitam habens spiritualem. Sic S. Chrysostomus affirmat: *Per hanc mysticam Theologiam Angelis copulamur, & societatem, quam cum brutis animalibus habemus, procul effugere videmur. Angelorum est deprecatio, superans interim illorum dignitatem, si tamen maius est Angelorum dignitate, colloquium miscere cum Deo.* Est enim quædam participatio beatitudinis, de qua Christus dixit: optimam partem elegitte Mariam, quæ non auferetur ab ea in æternum. Et quidem S. Augustinus beatissimos vocat illos, qui perfectum gradum mysticæ Theologiæ attingerint. Ratio est, quia beatitudo æterna consistit in visione Dei, & vnione animæ cū illo; hoc imitatur in mystica Theologia, vt dictum est. Vnde Author libri de spiritu, & anima inquit, quòd spiritus humanus quadam conditionis suæ excellentia huic mutabilitati, quæ deorsum est, super eminet, quasi creatus in orizonte æternitatis, & ideo ad illam, quæ est apud Deum immutabilitatem, nondum peruenit, quamuis pertingere possit cum Angelis. Supereminet autem spiritus humanus huic mutabilitati; quæ deorsum est secundum sanctum Bonauenturam; *vbi sunt operationes intrinsecæ intellectus, & affectus, maximè quando in æternis ligantur.* Sic ambulat itinera æternitatis.

S. Chrysost. de orand. Deum. tom. 5.

Luc. 10.

S. August. de morib. Eccle. cap. 31.

Aut. de Spir. & anim. c. 47 apud Aug. tom. 3.

S. Bona. de septe. itine. ætern. itin. 1. dist. 7.

Nobilissima est natura mysticæ Theologiæ, nos in Deum transformat, nō solum in affectu, sed etiam in exercitio omniū virtutum. Diuus Paulus insinuat: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Ac si diceret: Nos, cum reuelata facie mentis nostri, illuminataque per fidem gloriam Patris contemplamur, vel meditamus, quasi terrenum amittimus, & in eādem imaginem Patris, & Christi per exercitium etiam virtutum transformamur, vt non iam nos, sed ipse viuat in nobis. Optimè Chrysostomus: *Si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem breui sic transformantur, vt illorum prudentiam referant, quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miscent? quanta sapientia, quanta virtute, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio, & obsecratio? Proinde nequa-*

2. Cor. 3.

S. Chrysost. lib. 2. de orand. Deu.

nuaquam aberraret ab vero, si quis affirmaret esse causam omnis virtutis, & iustitiæ. Simili exemplo explicat S. Dionysius, cap. 4. de Ecclesiastica Hierar. contempla. 3. *Vt sicut in imaginibus sensibilibus, si pictor ad primæuam speciem constanter intendat, nulla re alia visibili distractus, illum ipsum, qui depingendus est, quodam modo replicabit (accuratè exprimet id, quod imitatur, tenet paraphrasis Pachymeræ) atque ipsammet veritatem in similitudine, & archetypum in imagine exprimet, alterumque in alterum citra substantiæ differentiam referet.* Consonāt communiter Sancti Patres.

Desumitur etiam necessitas mysticæ Theologiæ ex infirmitate humana post peccatum, per quod magna ex parte perdidimus gustum diuinarum rerum, & hoc bono priuati, egreditur anima ad mundana, & terrestria, & pactum facit cum delectationibus suis, requiescens super illas, non attendens absentiam boni sui interioris, exposita passim ad ruinam æternam. Per mysticam Theologiam sensus interior reformatur, & reficitur, & in Deo suo pascua inuenit, & amorem terrenorum mutat in amorem creatoris, suoque gustu fortis efficitur. Est eius æscavim habens perficiendi, quos nutrit, dum imperfectum eorum, & indigentiam replet, vitamque spiritualem seruat, infirmitatem curat, florescere facit virtutes.

Indiget ergo anima mystico isto cibo ad vitam consequendam æternam propter dicta. Sine illo est veluti ciuitas sine muris, quam Diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet, vt docet Sanctus Chrysostomus; & quod nos omnes non minus eo indigemus, quàm arbores aquarum humore. Vnde Ieremias: *Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Hac de causa Diabolus destruere conatur exercitium mysticæ Theologiæ vtens hæreticis, vt eius ministris. Pelagiani necessitatem orationis, & contemplationis tollunt, vt refert S. Augustinus. Luterus in Sermone de Ascensione dixit, orando peccare iustum. Lege Alphonsum de Castro aduersus hæreses lib. 11. de c. oratione, vbi citat contra orationem Pelagium, & Ioannem Hus. Ioannes Vviceffus asserebat, Deum non requirere à nobis cogitationem, aut vocem, vt refert Vvaldensis. Begardi dicebant, non debere hominem orare, postquam gradum perfectionis fuerit assecutus. Vide Clemente V. extra de hæreticis, & Aluarum Pelagium de Planctu Ecclesiæ cap. 52. omnes isti nefari homines vitam contemplatiuam detestantur. De partibus essentialibus, & integrantibus non agimus, quia in pluribus ad manus inueniuntur vtiliter actis, & vt relinquatur locus rebus difficilioribus, ac minus vsitatis in Authoribus, & scitu dignioribus.

(Margin: Ierem. 12. — S. Aug. li. de hæres. c. 88. — Vvaldens. tom. 3. c. 1. & 2.)

CAPVT III.

Mystica Theologia acquisita conuenit omnibus cuiuscumque status hominibus, sed non æqualiter.

Conuenire omnibus mysticā Theologiam, imò indigere illa ad consequendam æternam vitam, satis constat ex dictis capite antecedenti. Nec obstant occupationes. Optimè S. Bernardus, qui discurrens super occupationes Eugenij Pontificis Summi, de manè, vsque ad vesperam litigare, aut litigantes audire, non esse liberas noctes, imò vix relinqui necessitati naturæ tempus, quod corpusculi pausationi sufficiat, non concedi respirare in bonis, tamen euidentibus rationibus demonstrat, non obstare cæterum teneri ad mysticam Theologiam exercendam. *Si (inquit) quod viuis, & sapis totus das actioni, considerationi nihil laudo te; in hoc non laudo, puto, quod & nemo, qui à Salomone audierit: Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Certè nec ipsi actioni expedit, consideratione non præuenire. Cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? Sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Vsque quò non recepisti; & ipse inter alios vice tua.* Alia non minus efficatia prosequitur Melifluus Pater: benè, quia, *quid prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Ecce congruentia mysticæ Theologiæ Summo Pontifici tot, tantisque negotijs implicato om-

(Margin: S. Ber. lib. 1. de consider. cap. 5. — Eccles. 38. — Matth. 18.)

omnium Ecclesiarum,& totius Christianismi. Videri possunt S. Hieronymus. S. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum, & S. Gregorius in prologo super quartum Psalmum pœnitentialem.

Epist. 22. ad Eustoch.

In nostra Ecclesiastica Hierarchia distincti status reperiuntur, quibus magis, vel minus mystica Theologia cōgruit. In primis magis conuenit Sacerdotibus, ac sæcularibus; Sacerdotes enim secundùm Hieronymum, Augustinum, & Damascenum septuaginta duobus discipulis successerūt, de quibus dicitur. *Vos estis lux mundi,* quos si non sint notitia sacrarū litterarum, & diuinorū mysteriorum illuminati, Apostolus corripit, dicēs: *Etenim cum debueratis magistri esse, rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonum Dei. Ordo autem Sacerdotum* (ait S. Dionysius) *qui illuminat, ad sacra mysteria contuenda initiatos manuducit diuinorum.* Ratione status, & Magisterij debent vacare mysticæ Theologiæ, vt ex hoc monte recipiant lucē, ad cuius exemplar alios doceant, velut alter Moyses in Sinai monte, exemplar faciendorum accepit à Deo, aliter cæcus cæcum ducet, S. Gregorius idem affirmat, diens: *Sacerdos docet esse præ cunctis contemplatione suspensus.* S. P. N. Franciscus sic alloquitur cum Sacerdotibus sui Ordinis: *Patres Reuerendi, Dei familiares, & domestici estis, cōtemplationi insistite, agnoscite vestram dignitatem. Spiritus Sanctus sit vestri intellectus lumen, & vestræ voluntatis flamma.* Conueniunt Patres Ecclesiæ.

S. Hieron. Epistol. ad Marc. S. August. in Ps. 44. S. Damasc. Epist. 3. Hebr. 5. S. Dionys. Areop. ca. 5. de Eccles. Hierar. S. Greg. 1. p. past. c. 5. S. Francisc. serm. 7. opusc.

Religiosis Sacerdotibus magis congruit mystica Theologia, ac supradictis. Ratio est, quia talentum vocationis ad Religionem, & ipsa religio maximum est, de quo rationem lucrationis reddituri sunt. Latè videri potest in Didaco Aluarez ex Societate Iesu. Ex alio capite status Religiosi est, hominis tendentis ad perfectionem secundum D. Thomam, & ad illam aspirantis: sed quā necessaria sit, ad hoc Theologia mystica, patet capite præcedenti. In S. Dionysio legimus, quòd Monachi dicuntur: *Cùm à sincero Dei famulatu, atque cultu, tùm ab indiuidua, & singulari vita denominantes, quippè quæ sanctis verum coniunctionibus ipsos ad Deiformam quandam vnitatem, Deoque gratam perfectionem adducat.* Optime S. P. N. Franciscus dicit suæ Religionis Fratribus: *Attendant, quòd super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, orare semper ad Deum corde puro.* Alio loco sic: *Laborent fideliter, & deuotè, ita quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis, & deuotionis spiritum non extinguant.* Ascendere ad statum perfectionis summa fœlicitas, non perfectè viuere, & ad perfectionem aspirare summum periculum. Lege S. Bernardum. Nunquam homo in eodem statu permanet, vel proficit, vel deficit in perfectione sui status.

Did. Aluarez tom. 1. de vit. spiri. lib. 1. p. 1. 2. 3. S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. S. Dion. c. 6. de Eccl. Hier. Cap. 10. regul. ibi cap. 5. S. Ber. epist 253. & 341.

Plus conuenit mystica Theologia Lectoribus religiosis, & prædicatoribus ratione officij, ac alijs supra dictis. De lectoribus ratio est, quia literis præparant, & adstruunt arma spiritualia ad spiritualem vitam; At priùs debent sibi ipsis arma hæc habere, alias Magistri idonei non erunt. Sic insinuat S. Bernardus, dicens: *Sunt, qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est item quiescere volunt, vt ædificentur, & prudentia est.* Aliter non esse idoneos ministros, prosequitur Sanctus S. Nilus, sic loquitur: *Si es Theologus, verè orabis. Et si eris Theologus, & verè oraberis, Theologus verè eris.* Consultus S. P. Franciscus à D. Antonio de Padua, vtrum legeret Fratribus Sacrā Theologiā, respondit: *Placet mihi, quòd sanctæ Theologiæ litteras Fratribus interpreteris, ita tamē, quod neque in te, neque in cæteris quod vehementer cupio, extinguatur* (idest, occidatur, vel totaliter opprimatur secundum modum loquendi Apostoli 2. ad Thesalon 5. *Spiritum nolite extinguere,* vt accipiunt August. in Ps. 37. & Chrysost. serm. 22.) *Sanctæ orationis spiritus, iuxta regulam, quam profitemur.* Eodem modo dedit respōsum inquisitus, vtrum Fratres Sacræ Scripturæ studio vacarent. *Michi quidem placet, dum tamen Christi exemplo, qui magis orasse dicitur, quàm legisse, orationis studium non omittant, &c.*

S. Ber. ser. 36. in Cāt. S. Nil. cap. 57. tom. 5. Biblio. PP. Epist. 1. to. 1. opusc. Colloq. 15. ibidem.

De Prædicatoribus inquit S. Gregorius: *Neque enim perfectus prædicator est, qui propter operationis instantiam, contemplanda postponit.* Non tamen propter contemplationem, operationem

S. Gregor. Magn. in Pastor. in 5. cap. 17.

nem relinquat. Hinc est, quòd Redēptor noster, per diem miracula populis exhibuit, & prædicauit, & in nocte orauit: vt perfectis prædicatoribus innueret, quatenus, nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant, hoc est, quod dixit S. Augustinus: *Otium sanctum quærit charitas, negotium sanctum sustinet necessitas charitatis.* Debet ergo prædicator mysticæ Theologiæ ad tempus vacare, vt in ea illuminatus, & amore diuino inflammatus possit cum fructu alios illuminare, ac inflammare. Non tribuit frigiditas calorem, sed ignis. Hac de causa S. P. N. Franciscus post vitam contemplatiuam exiuit ad prædicandum populis, habito prius oraculo diuino, nō antea. Huiuscemodi veritate expertus ad suos filios dicit: *Nolo Fratres meos cupidos esse scientiæ, & librorum, sed volo eos fundari super sanctam humilitatem, & imitari puram simplicitatem, sanctam orationem, &c.* Timebat Sanctus, ne occasione ædificandi alios dimitterent suam vocationem, & studium contemplationis, & sic reprobi efficerentur.

S. Aug. lib. 12. de Ciuitat. Dei, c. 14.

S. Francis. collat. 15.

Deniq; plus cæteris congruit Theologia ista Prælatis Ecclesiæ, etenim pro illis militant rationes, & authoritates allatæ, insuper additur obligatio prælatiæ; qua tenentur orare pro se, & pro alijs, sic insinuat D. Paulus ad Thimoteum, scribens: *Attende tibi, & doctrinæ.* Sacerdotibus Ephesi: *Attendite vobis, & vniuerso gregi.* Debet esse Doctor, & Magister respectu subditorum, ad quem tanquam ad oraculum accedant, vt edoceantur in hac diuina scientia, ab eoque regantur. Si non vacant mysticæ Theologiæ, quomodo idonei Prælati erunt, & Magistri? In ea permanentes Apostoli, fecit eos idoneos vnctio Spiritus Sancti in die Penthecostes. Tunc nouerunt omnia ad ministerium necessaria, quando ituri erant per vniuersum mundū Magistri, quod antea promissum fuerat à Christo: *Docebit vos omnia, & suggeret, &c.*

Et Dum venio, Attende Lectioni, exhortationi, et Doctrinæ. Ubi infra.

1. Ad Thimot. 4.

2. Ioan. 2.

Ioan. 14.

Sanctus Bonauentura agens de Prælati obligatione, ait: *Non enim solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis, qui sibi commissi sunt, quos non sufficit, sine diuino auxilio custodire. Nam, nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. Est enim Prælatus mediator inter Deum, & subditos, vt sicut negotium Dei gerit apud illos, docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promouere, placando, gratiam impetrando, & conseruando a malo. Vnde scriptum est: Ego sequester* (scilicet Moyses populi Prælatus) *& medius fui inter Deum, & vos.* Nullus prælatus idoneus, nisi vtraque manu vtatur pro dextera, quo scilicèt in omnibus actionibus se tam expeditum inueniat ad ingressum, sicut ad egressum ad contemplationem, meditationem, & fruitionem diuinorū, sicut ad actionem; in vtroque enim perfectus esse tenetur, in Prælatis sui ordinis idem sentit P. N. Franciscus; loquens de generali Ministro, ait: *Debet esse homo sanctæ orationis amicus, ita tamen, quod certas horas animæ suæ, certas gregi suo commisso distribuat. Post orationem vero, se ipsum statuat, ab omnibus dilapidandum.* Hoc persuadet Eugenio Pontifici S. Bernardus per quinque libros de consideratione.

S. Bona. de 6. alis Seraph. cap. 7.

Deut. 5.

S. Francis. coll. 26.

CAPVT IV.

Ad mysticam Theologiam necessarius est spiritualis Magister.

OMnino certum est, quòd mystica Theologia à Deo procedit, ipsiusque esse donum, ac ipse esse primum, & præcipuum Magistrum, sine cuius auxilio nemo hactenus hanc diuinam scientiā didicit, neq; in posterum addiscet. Vnde omnis illa ab ipsis exiguis initiis, vsque ad vltimam perfectionē à Deo procedit, tanquam Patre luminum. De hoc nullus Catholicus dubitauit. Solum dubium esse potest, an ad profectum, & securitatem sit necessarius alter Magister spiritualis, homo cuius regimine anima progrediatur, & doceatur in Theologia mystica, affirmant communiter Patres, esse necessarium, vt proficiat, securitatemque habeat in tam difficili, & arduo negotio.

Ratio est, quia in nostra gratiæ lege spectat ad communem Dei prouidentiam

tiam habere spiritualem Magistrum, hoc docuit Christus, qui in conuersione D. Pauli potens eum docere, misit ad Ananiam, vt ab eo edoceretur, vbi exclamat Bernardus: *O sapientia! suauiter verè omnia disponens, cum quo loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, vt socialis vitæ commendetur vtilitas.* Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem. In hoc casu Pauli notauit Cassianus, quòd Christus noluit per se ipsum instruere: *Ne, quod rectum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dùm vnusquisque sibimet persuaderet simili modo, se quoque debere solius Dei magisterio, & doctrinas,* iam ergo præsumptuosum, vel temerarium erit spectare prouidentiam particularem Dei. S. Dionysius Magistros habuit S. Paulum, & B. Hierothæum.

S. Bern. in conu. D. Paul.

Cassi. coll. 14. cap. 16.

Eandem prouidentiam Dei communem agnouit S. Chrysostomus in Magistratibus, quos posuit in Ecclesia sua in Comment. Ps. 148. dicens: *Hic loquitur de alio genere prouidentiæ, quod Paulus quoque in epistola ad Romanos ponit, sapientissimè ostendens, hoc fuisse opus Dei prouidentiæ, in eos, qui Magistratum gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuersum diuidisse. Dei enim minister est tibi in bonum: si hoc sustuleris, vniuersum interit.* Pari ratione de Magistro spirituali. Nanarrat Ioannes illos in Pratu spirituali, quod quidam Abbas, cui propter summam sanctitatem, Missam celebranti assistebant Angeli (quos videbat) per reuelationem hoc salutare documentum accepit: *Vt homini se docenti obediret, quia Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus docerentur.*

S. Chrys. tom. 1.

Sanctus Bernardus exponens illud: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem,* ait: *Audiant, qui sine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi sunt in arte spirituali existentes, & discipuli pariter, & Magistri.* Affirmatque multos à recto tramite periculosissimè aberrasse, factumque est, vt qui spiritu cœperant, carne consummarentur, lapsi damnabiliter. Concludit: *De sponsa exemplum summant, quæ non prius ad eum, quam desiderauerat, vllo modo valuit peruenire, quam sibi occurrent, quorum magisterio vteretur, ad cognoscendum dilectio. Seductori dat manum, qui dare dissimulat Præceptori.* Plus inquit Beatus Vincentius: *Nunquam Christus suã gratiam ministrabit, si homo habet, à quo possit instrui, & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatũ amplecti, credens sibi sufficere, & posse inuestigare, & inuenire, quæ sunt vtilia ad salutem.* Nullo alio vitio tã præcipitem Diabolus Monachũ pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis consilijs seniorum suo iuditio persuaserit, definitioneq; confidere, aiebat S. Moyses Abbas, lege S. Dorotheum doct. 5. super illud Prou. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet, salus autem vbi multa consilia.* Multa ibi dicit ad propositum scitu digna.

Cant. 3. S. Ber. ser. 77. in Cãt.

S. Vincent. tract. de vita spir.

Cassia. collat. 2. c. 12.

Occurrunt etiam in vita interiori mystica plures revelationes, quæ quãuis diuinæ sint, indigent consilio sapientum; D. Paulus Euangeliũ à Deo per reuelationem acceperat, tamen communicauit D. Petro, & alijs Apostolis: *Ne* (ait) *in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Etenim licet anima certa sit de Dei reuelatione, nihilominus in eius executione, & in ijs ad eam spectantibus errare potest. Multoties; licet dicat, & reuelet rem, non tamen reuelat, nec dicit modum; quod fieri potest consilio, & industria humana, non vult per se ipsum facere. Moyses cum Deo familiariter loquebatur, & ab eo reuelationes acceperat; Et noluit per ipsum aliquando dare consilium, quod suus socer Ietro dedit, nimirum: *Prouide de omni plebe viros timentes Deum, in quibus sit veritas, qui iudicent populum.* Dixerat ei: *Stulta labore consumeris.* Quod consilium Deus approbauit; sed nõ dixerat, quia fieri poterat consilio humano. Discãt, qui non sunt, sicut Moyses, quomodo in rebus supernaturalibus consilio Magistri indigent.

Ad Gal. 2.

Exod. 18.

Consonat Ricardus agens de anima, non communi perfectione decorata, sed de illa, cuius spirituales sensus per Spiritum Sãctum illuminati sunt, spiritualia sapientes; quæ cum eo amorem mutuum seruat; quæ ita obseruetur à spiritu, vt in carne se cõmorari non recolit, & de diuinis scripturis illustratur, de qua sic loquitur: *Interdum ostensa iusta causa miseren-*

Ric. à S. Vict. p. 2. c. 25. in Cant.

di,

di, & ratione super aliquibus postulatis consolationem accipit: super aliquibus reuelationem: & nunc certam, nunc dubiam; interdum exaudita se intelligit, sed modum nescit. In similibus reuelationibus multoties decipi, probat exemplo Tobiæ, qui cognouit se esse exauditum, cui de modo nõ fuit reuelatum; credidit enim hunc esse modum, vt moreretur, cum potius esset, vt illuminaretur. Sed de hoc latiùs in tractatu de reuelationibus infra. Quod si in diuinis reuelationibus necessarius est Magister, quid erit in diabolicis? Quid in phantasticis? Quid quando relinquenda sit anima in contemplatione? Quid tempore tentationum? Certum est, quòd sapiens audiens, sapientior erit, & quod nemo in hac vita ita sapiens efficitur, cuius sapientia nequit augeri, & plus erudiri. Diuus Paulus, cum ad tertium cęlum raptus, audisset ea, quæ non licet hominibus verba loqui, nihilominus ad terram reuersus aiebat: *Quia ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Notat S. Bonauentura, quod sæpè Deus merito humilitatis se alteri subiiciendo, dat ei cognoscere, per se, vel per alium, quod antea homo non intellexerat; aliqua sacræ Scripturæ adducit exempla.

Tob. 4.
Prouer. 1.
1. Cor. 13.
S. Bern. de sexalis serap. cap. 7.

Deinde certissimum est (de quo infra) ad profectum vitæ contemplatiuæ requiri vitam actiuam, & exercitium virtutum; Et quis est homo tali discretione præditus, qui multoties in causa propria non decipiatur in qualitate operis, iudicando quod bonum est, malum, vel quod malum est, bonum esse existimando? Timeo desit de illis, de quibus Isaias dicit: *Væ illis, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quis autem inuenietur, qui in operis quantitate sæpè non fallatur, iudicando minus opus bonum pro maiori, vel è cõtra? Ex natura sua mendaces sunt filij hominis in stateris, & ab vtero errauerunt. In his, & alijs exercitiis spiritualibus, vt non decipiaris audi Ricardum, quid facere debeas: *Aurem* (ait), *& linguam apposuit, qui tibi oculum dedit. Quære domum videntis, qui parum vides, à quo quid te oporteat facere, vbi currere audies. Melius tibi est manu duci, quàm vltro errorem sequi. Vitam proprium me melius nullus scire potest: sed eam alius, multo melius secundum discretionem disponere potest. Debemus itaque vitam nostram spiritualium virorum, & maximè prælatorum discretioni committere.* Isto medio homo facilius, & in breui tempore potest ad perfectionem peruenire, ac sine illo. Imo, qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit, affirmat Bernardus, & addit: *Ego de me expertus sum, quod dico. Et facilius imperare, & securius possum præesse alijs multis, quam soli mihi.* Magna enim differentia est, inter scire humiliter sub esse, & vtiliter sibi præesse.

Isai. 5.
Ricar. à S. Vict. in Ps. 121. p. 2.
S. Bernar. epist. 87.

Si dubitetur an aliqui inueniantur qui pro se magistro spirituali non indigeant? Affirmatiuè respondet D. Bonauentura, dummodo habeant sequentes conditiones: Debent ita esse illuminati, quod nihil errẽt in his, quæ scire necessariò eos oportet, qui decipi nõ possint ab homine, vel à Dæmone, vel à proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum diuinitus adepti, iuxtà illud: *Vbique, & in omnibus institutus sum;* Debent etiam feruore deuotionis ita esse repleti, quod sine alterius impulsu, nouerint se ipsos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout semper fuerit optimum, teste Apostolo dicente: *Quæ retrò sunt oblitus, ad ea, quæ priora sunt, extendens me ipsum.* Debent amore boni sic esse affecti, vt quasi naturaliter omne malum horreant, & sine offensa quiete cum omnibus conuersentur. Debent ita esse humiles in omnibus, vt nec de bonis habitis extollantur, nec malis omnino carere præsumant, vt omnes excessus cogitationis, & locutionis, & omissionis in se subtiliter diiudicent, & districtè castigando emendent. In his omnibus sint stabiles, secundùm Apostolum: *Quis nos separabit à charitate Christi, &c.* Hactenus Seraphicus Doctor. Sed qui sunt isti, & laudabimus eos? Facient enim mirabilia in vita sua. Aduertit tamen D. Gregorius: *Hæc libertas ab infirmis in exemplum non est trahenda, non imitanda, sed venerãda, ne dũ se quisque similiter Sancto*

S. Bona. cit. cap. 2.
Ad Phil. 4.
Ibi. cap. 3.
Rom. 8.
S. Greg. Magn. li. 1. dialog. c. 3. tom. 1.

sto spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.

Cæterum sciendum est, quòd quia ars est artium regimen animarum, nõ quilibet eligendus est magister spiritualis. Ille solum idoneus erit, qui sit doctus, & sapiens in mystica Theologia, morali, & scholastica. Qui sit expertus, virtuosus, & prudens, cuius lux luceat corã hominibus, & ab illis eius opera videantur. Vnde oritur consiliũ Ecclesiastici 6. *Multi pacifici sint tibi, consiliarius vnus de mille.* Ratio est, quia debet illuminare discipulum doctrina, & exemplo Pro his conditionibus inuenimus omnes Patres, & Doctores huius diuinæ scientiæ. Inuento autem Magistro his conditionibus imbuto, eum magno thesauro æstimandum debes, eique omnia interiora clare, & sinceré patefacies, omnia exercitia spiritualia, passiones, & inclinationes, & quidquid ad hæc necessaria sunt vt guberneris. Postea tribue ei obedientiam in omnibus, quæ peccata nõ sunt: Et quidquid ordinauerit, & præceperit executioni ponendum est cum vera obediẽtia cœca, ac resignata voluntate: obedientia namque secũdum S. Ioannem Climacum est: *Animæ propriæ abnegatio per corpus certius ostensa. Aut versâ vice, est inexaminatus motus, spontanea mors, vita curiositate carens. Sepulchrum propriæ volũtatis, nihil resistit, nihil discernit.* (S. Clim. grad. 4. in Biblio. PP. tom. 5.)

Sic vades securus in sanctis operibus, & discretè procedes, & vtiliter. Prosequitur idem sanctus de obedientia: *Est securum periculum, immediata ad Deũ excusatio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Est discretionis depositio inter diuitias discretionis. Qui vid animam suam mortificauerit, securus pro omnibus rationem reddet.* Pro gradibus obedientiæ multa scripta sunt à sanctis Patribus, quæ breuitatis causa omitto. Solùm aduerto, non esse contra perfectam obedientiam proponere spirituali Magistro difficultates, quæ se offerunt in eius mandatis, dùm tamen sit pura propositio, non contentio cum vera resignatione. Sic sentiũt S Basilius, & S. Bonauentura. Ratio est, quia Magister est homo, & multoties ignorat difficultates occurrentes, sicque erit magisterium secundũ prouidentiam Dei communem. (S. Basi. in regu. ca. 6. S. Bon. spec. nu. discipl. 1. p. cap. 4.)

CAPVT V.

Quæ sit mystica Theologia supernaturalis infusa.

NVLLA natura nobilior mysticæ Theologiæ infusæ natura, nulla diuinior in creaturis, sed neque vlla, quæ ti difficilior, sicut neque nulla potest salubrior inueniri, in qua nostræ fœlicitatis cardo figitur, ad quam non sufficit humana industria, quamnis ipsa non debeat derelinqui: prouenit nãque à diuina voluntate, tenente lucem in manibus, sicut Iob notat, & Gregorius exponit: quòd dùm vult illuminat, & claudit dum vult. Hãc promisserat Deus per Prophetam animabus iustis, dicens: *Implebit Dominus splendoribus animam tuam, & eris quasi hortus irriguus, & fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* (Isa. 58.) Ad illam inuitat sponsus his verbis: *Surge, propera amica mea, formosa mea, & veni.* (Cant. 4.) Super quem locum ait S. Bonauentura: *Cuius inuitationis subiungit allectiuum, dicens: Quia iam est itinerandi amena iucunditas, quia flores apparuerunt in terra nostra: Iam enim tempus vernale aduenit ex præsentia diuini solis.* (S. Bon. de 7. itiner. itin. 3. d. 2.) Agunt de ea Interpretes S. Dionysii de diuinis nominibus, & de mystica Theologia.

Relictis varijs definitionibus, vel potius descriptionibus, Gerson sic eam per donum sapientiæ definit: *Theologia mystica est sapientia, id est sapida notitia habita de Deo, dum ei suppremus apex affectiuæ potentiæ rationalis per amorem coniungitur, & vnitur.* (Gers. 3. p. cent. consid. 28.) Complectitur adequatè mysticam Theologiam infusam ad potentiam intellectiuam, & volitiuã spectantem. Proprietas istius diuinæ scientiæ eximia præ cæteris est, quod sit diuinitus infusa, non industria humana acquisita; quippe donũ speciale sapientiæ Sancti Spiritus illuminans intellectum, & vniens volũtatem Deo modo supernaturali, in quo distinguitur à mystica Theologia acquisita. Pro cuius intelligentia sciendum est cum Dionysio Carthusiano, quòd si hæc mystica Theologia infusa accipiatur pro actu, est mentis in Deum defixio, admiratio Maiestatis, (Dionys. Carthu. cap. 5. de myst. Theo q. 3.)

suspensio animæ in lumen immẽsum, ac æternale, fruentissima, acquietissima, & transformatiua, seu absortiua inspectio Deitatis. Si autem sumatur pro habitu, realiter idem est, quod præstantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur, sumendo sapientiam, non vt est donum gratiæ
1. Cor. 12. gratis datæ, de qua ait Apostolus: *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ*; sed est donum gratiæ gratum facientis supernaturale infusum, charitati inseparabiliter iunctum, de quo Isaias loqui-
Isaiæ. 11. tur: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus.*

S. Bona. de sept. don. Spi. S. ca. 1. de don. sap. Notat etiam S. Bonauentura, quòd hic actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocunque modo, sed ex dilectione cum quadam experimentali suauitate, & affectu. Deinde, quòd obiectum doni sapientiæ est Deus, non sub ratione boni absolutè, sed sub ratione veri cũ relatione (transcendentali) ad rationem boni, vt exercitatiuũ voluntatis ad eius saporosam dilectionem. Cõcludit: *Ex his apparet, quòd donum sapientiæ est habitus supernaturalis animæ à Spiritu Sancto infusus, ad Deũ cognoscendum, & saporosè diligendũ.* Habitus iste realiter subiectiuè est in intellectu, extensione tamen fit practicus spectans ad voluntatem, prout importat, feruẽtissimum amorem, qui in parte affectiua propriè subiectatur. Pro transformatione, & deificatione, animæ cum Deo. Vide dicta, capitulo secundo, quæ potiori iuri adaptantur huic, cum sit ista supernaturalis, quoad modum, & excellentior, etiã ex parte principij.

Principalis finis intentus huiuscemodi mysticæ Theologiæ est vnio suauissima, arctissimaque cum Deo, vt Doctores affirmant. Media, quibus obtinentur plura sunt: Præcipua assignantur actus Theologicæ super naturalis fidei, spei, & charitatis. quibus mens immediatè Deum attingit: Per fidem in caligine, per spem suspensè, per charitatem perfectè. Accipe quid faciant in anima contemplatiua actus istarum virtutum; vt scias quàm efficacia media sint Scribens D. Paulus
Cor. 3. ad Corinthios sic ait: *Epistola estis Christi, nõ attramento, sed spiritus Dei viui in tabulis carnis.* Alludit ad illud:
Ezech. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vos carneum*, idest, docile, vt sitis docibiles Dei. Cardinalis Cayetanus ita commentatur hunc textum: *Sensus est, quod vos estis epistola Christi, tum titulata à Christo, tum scripta à Christo, tum significans Christum.* Assignat rationem, se explicans: *Quod enim intus habemus spiritualis fidei, spei, & charitatis, Christus in nobis dictat, & scribit, non alieno, sed propriu nomine. Et ipse Christus est, qui creditur, qui speratur, qui amatur à nobis.* Sic transformatur anima in Christũ, vt ipse Christus per actus virtutũ Theologarũ in ipsa anima scribatur, & videatur. Simili modo, ac speculum corporeum suscipiens speciem crucifixi, reddit in se eandem imaginem crucifixi. Caiet. ibi. cap. 3.

Vtiquè fides informat, & eleuat intellectum in ordine supernaturali supra naturam, spes memoriam, charitas voluntatem, istasque potentias purificant, ita vt in earum actibus mysticæ Theologiæ perfectio inueniatur, ad formamque Dei prouehunt ascendentes. Alia media ad vnionem sunt puritas cordis, & exercitium omnium virtutum, de quibus infrà.

Nobilissimos actus habet sapientia, prout est habitus mysticæ Theologiæ supernaturalis infusæ. Primus est, causare in intellectu cognitionem altissimam, & simplicissimam Dei, rerum diuinarum, atquè earum; quibus ad omnem Sanctitatem promouemur, & ad vnionem cum Deo altissimam. Notitia ista, siue claritas, nascitur ex sapientia: quæ fidem perficit, & eleuat, & modo possibili huius vitæ clarificat, sicut in cubiculo, vbi parua lucerna erat, fax accendatur, mirum in modum omnia quæcumque in illo existunt, illuminat; ita cùm in nocte huius vitæ ante lucernam fidei, in corde puro sapientia accenditur, & res fidei multò clariùs manifestantur. Vt de S. Bonauentura: *Ex quo mens ad istam sapientiam attingit, si omnes mundi sapientes protestarentur: Tua fides non est vera fides, imo deciperis, responderet: Omnes vos fallimini, & ego solus veram fidem teneo, multò fælicius, quam per rationes, & inuestigationes, vt dicat cum Apostolo: Scio, cui credidi, & certus sum, &c. Sic certificatur fides per hanc sapientiam.* S. Bona. 6. 3. myst. Theol. de via vnit. part. 1.

Patet ex his discrimen, quod versatur inter hanc sapientiam infusam, & ac-

acquisitā industria humana, quæ est virtus intellectualis, de qua loquitur Philosophus in metaphisica, quæ dici potest sapientia aliqualiter, cùm in ipsa sapor quidam inueniatur (habet enim philosophus admirabiles delectationes, vt dicitur, 10. Ethicorum) sed sapor iste non est sale conditus. Potest etiam hæc sapientia per rationis inquisitionem habere aliqualiter rectum iuditium circa aliquas res diuinas, licet incompletè. Ideò multi philosophi corruere cœperunt in mendatia figmentorum, defecerunt, & euanuerunt, sicut notauit Hugo. Sapientia autem nostra, & mystica Theologia infusa est veri splendoris, & boni operis. Splendor illuminat intellectum ad veri contemplationem, & sapore erigit affectum ad boni saporosam dilectionem.

Hug. de S. Vict. sup. cœlest. Hier. c. 1.

Secundus actus est iuditialis discretio, hoc est, quædam discretio rationis, per quam intellectus de rebus sub fide cadentibus, rectum sortitur iuditium. Per sapientiam enim spiritualis homo iudicat de diuinis, ac cœlestibus rebus, non solum per rationis clarum intuitum, sicut fit per sapientiam, quæ est habitus Theologicus, qui sine charitate haberi potest, & solum in intellectu residet, sed etiam iudicat per connaturalem, seu conformitatem interni affectus ad Deum, quod fit per sapidum gustum, ac secundum experimentalem, & sapidam de Deo sapientiam: Ait S. Bernardus: *Gustum, qui fit in sapientia, quædā sequitur saporis dulcedo, quam in interiori sentiens anima, modo quoddam singulari, quæ suscipit, cuncta discernit, & diiudicat.*

S. Bern. de amor. Dei c. 19.

Dulcedo hæc, gustus, & sapor interior includuntur in actu sapientiæ mysticæ Theologiæ infusæ, oriunturque à charitate, cui coniuncta est diuina ista sapientia: Nam vt benè N. Henricus Harphius in rebus diuinis valdè sapiens: *Habet in se spiritualem dulcedinem inclusam, & hoc ex vnione, quia sapientia dicitur à sapore, quasi sapore virtutum condita sapientia, nam in amore fit gustus, idest, experientia sapientiæ, quæ magistra est intelligentiæ, & consummatio. Vnde si dicant omnes, quod hoc gustabile dulce est, per hoc tamen non habetur experimentalis cognitio de illo, nisi prius attingat gustabile, vel attingatur ab illo.*

Henrr. Harph. li. 1. Theol. myst. c. 33.

Quæ charitas primò facit, vt palato mentis diuina dulcescant, quia vnit Deo; secundò, vt omnia, quæ Dei sunt sibi congrua sapiant; quod per peccatum primi Parentis perdidimus, vt Patres testantur. Sic qui est sanatus ab huiuscemodi infirmitate per sapientiæ gustum, animus pacatus, & tranquillus perfruitur, & in ea delectatur: In qua est vltima cōsummatio huius vitæ. Regit omnes animi sensus, & totam familiam hominis interioris, ascendendo ad Deum, & descendendo ad proximum, vt cum Psalmista dicat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ me collocauit.* Constat ex dictis istam mysticam Theologiam à dono sapientiæ prouenicnte, esse super naturalem quò ad modum, & quò ad substantiam.

Ps. 22.

Oportet scire, quòd hæc mystica Thelogia infusa, & hic explicata, licitè, & iustè potest desiderari, & à Deo peti. Ad eam omnes vocat Dominus: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Profitetur sapiens optasse, & eam fuisse cōsecutum: *Optaui, & datus est mihi sensus, & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Exaudit Dominus desiderium, & petitionem pauperū. Rationē dat Bernardus: *Roga dari tibi diem serenissimum, & Sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles in laboribus viuas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei, vt quod prius cū amaritudine, & coactione tui spiritus faciebas, de cætero cum summa delectatione, & dulcedine peragas. Hanc gratiam petebat, qui ait: remitte mihi, vt refrigerer.* D. Paulum eam petisse à Deo suis discipulis, sentit idem Bernardus. Tunc anima, quæ prius frigida erat, iam ardet: quæ prius tenebrosa, iam lucet; quæ prius erat dura, iā mollis est. Quia ergo omnia bona pariter veniūt cū simili dono cęlesti, iustū est petere à Deo cōfidēter orationibus, & bonis operibus. Documentū esse S. Dionysij testatur alter Dionysius, & addit: *Tunc Deus, qui sapientiæ Dux est, & Princeps totius illuminationis, videns diligētiam hominis fidelem, ac omnium eius conatum, manū porriget adiutricem mentem per donū sapientiæ illustrando, prout Isaias asserit: Requiem dabit tibi Dominus, & implebit splendoribus animam tuam.*

Isa. ca. 56.

De nat. amor. Diuin. c. 11.

Sap. 7. Lege ibi S. Bona.

Dionys. Carth. de font. luc. fine.

CA

CAPVT VI.

De alijs Principijs, à quibus mystica Theologia procedit infusa.

DIximus capite præterito, mysticã Theologiam infusam procedere à dono sapientiæ Spiritus Sãcti, procedit etiã effectiuè in genere causæ efficiẽtis à dono intellectus, & dono sciẽtiæ Spiritus Sancti, quibus anima superna turali modo operatur mota à speciali influxu Spiritus Sancti medijs his donis supra naturam. Dicit enim Beatus Bonauentura: Spiritus Sanctus per dona sua nobis donat lumen veræ cognitionis, & feruorem sancti amoris, quæ duo maxima dona, & bona sunt, quæ nobis hic dantur ad fœlicitatem æternam pregustãdam. De quibus duobus bonis. Hugo commentator Dionysij, ait: Duo sunt cognitio, & amor, vnum pertinet ad illuminationem; aliud vero ad refectionem. Cognitio veritatis illuminat, amor bonitatis satiat. In his beatitudo constat, cognoscere verum & amare bonũ. Hæc duo dona bona, & magna, & summè nobis necessaria, scilicet, refectio, & cognitio à Spiritu Sancto in septem eius donis. Conferũtur, vt dicit Gregorius lib. 1. Mor. Huc usq; Seraphicus Doctor. Loquitur de mysticæ Theologia infusa pertinẽte ad intellectum, & voluntatem. Quomodo moueatur mens à Sãcto Spiritu tũc, docet illuminatus Rusbrochius: *Tertia via supernaturalis, diuinaq; est, vbi animn mouetur à Spiritu Sancto, qui est charitas diuina hominem septemplici ratione mouens, quæ sunt septem dona, vt ab Isaia commemorantur, quæ nimirum, cũ septẽ virtutes principales sunt, ipse præterea Spiritus Sanctus, diuina charitas, æternus, atque clarissimus sol septem lucidos, ac splendidos emittit radios, animæ regnum calefacientes, illustrantes, atque fæcundantes.*

S. Bonau. c. 1. de sept. don. Spir. Sanct. D on. Car. sup. 7. Angel. Hier.

Rusbr. de Regn. Deũ aman. c. 6

Pro intelligẽtia doni intellectus Spiritus Sancti sciendum est, quòd nomẽ intellectus importat quandã intimam cognitionem. Dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Hæc est differentia inter cognitionẽ intellectus, & sensus: cognitio sensitiuã occupat se circa sensibiles qualitates exteriores. Cognitio autem intellectiua tanquam excellentior, & subtilior penetrat, vsque ad quidditates, & rerum essentias interiores: quia obiectum intellectus est, quod quid est, vt docet Aristoteles. Itẽ intellectus, quandoq; accipitur, vt est vis animæ, qua intelligibilia percipit. Hic intellectus, vt plurimũ cœcutiens est. Dicitur in Psalmo: *Nescierunt, neque intellexerunt.* Quandoq; etiam sumitur intellectus, vt est habitus principiorum naturaliũ, quæ subsunt lumini intellectus, vt patet in Ethicis. Neuter historum est donũ Spiritus Sancti, à quo oritur Theologia mystica infusa. Est ergo lumen quoddam habituale supernaturale principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei.

Arist. lib. 2. de anim text. 17. Psal m. 81. Arist. lib. 6. Ethic. c. 6.

Necessitas huiusce modi luminis, seu habitus supernaturalis, prouenit ex eo quod veritates necessariæ ad salutẽ in homine eleuato ad finẽ supernaturalẽ sunt nobis absc õditæ, & quasi velatæ, tam in rerũ naturis, quã in sacris Scripturis, quàm in diuinis Sacramentis, & figuris, in tantum, vt intellectus humanus, sine adiutorio supernaturalis luminis non possit ad eas apprehendendas plenè pertingere. Vnde necesse fuit, vt Spiritus Sanctus intellectu humano superadderet aliquod lumẽ supernaturale, quo velamina dictarũ veritatum penetraret, & veritates abscõditas apprehenderet, & eas nobis manifestaret. Lumen istud est donum intellectus supernaturale infusum.

Nobilis est mystica Theologia infusa proueniẽs à dono intellectus. In primis intimè cognoscit intellectus noster, & clarè penetrat veritates omniũ rerum, quæ sub fide cadunt, rationemque fidei profundius cognoscit. Contẽplatur namque, & videt pulchram cõnexionem omnium rerũ fidei, & subtiliter penetrat, scilicet, qualiter noua lex veteri consonat, qualiter tota scriptura sibi cõsonat, quomodo vnus articulus fidei ex alterius cognitione credibilior fiat, & rationabilior appareat. Et quod omnes pertinent ad magnificentiã, bonitatem, honorem, & laudem Dei. Hocque perfectissimè, nam vt dicitur in libro de spiritu anima: *Intellectus est ea vis animæ, qua de diuinis, quantũ homini possibile est cognoscitur, ad cœlestia arcana penetranda, quæ penetrari non possunt, nisi per spiritum eius, qui etiam profunda Dei scrutatur. Vnde Apostolus dicit: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiã profunda Dei.*

Deinde secundùm D. Bonauenturã: *Facit nos penetrare omnia velamina, occultantia nobis veritates scripturarum,*

rum, necessarias nobis ad salutem, donec intremus ad veritatis puras illuminationes, & contemplationes in scripturis absconditas. Puræ autem veritatis illuminationes. Vt dicit Hugo, sunt, quando veritas, sine imaginibus, & figuris per semetipsam percipitur. Consentit D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 1. Iam hæc mystica Theologia est visio purè intellectualis sine mixtione phantasiæ facta in apice mentis. Aliquando autē. Ita profunda est, vt introducit mentē ad interiora sua, & audit verba, quæ non licet homini loqui, quia dici nequeunt per os carnis: admodum, quod accidit D. Paulo in raptu. Etenim sunt intellectualia verba, nihil corpora le habentia, nec imaginem, nec similitudinē. Nemo scit, nisi qui accipit per reuelationem, vel per experientiam. Sunt illa verba omninò secreta, & silētio prolata. Intus audiuntur, & valdè intus, & foras exire nequeunt, vt sunt.

Hug. à S. Vict. cap. 7 sup. Angel Hierar.

2. Cor. 12

Item hac mystica Theologia intellectus penetrat velamina veritatis incarnatæ, quæ sunt infirmitates, fames, sitim, &c. pro nobis assumptæ in natura humana, vsque ad inuentionem nudæ veritatis secundùm illud: *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Idest cum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & sciētiæ Dei absconditi. Penetrat etiam vsque ad nudam veritatem velamina Sacramentorum Ecclesiæ. Non remanet in cortice, sed attingit, vsq; ad medulam abundantia spiritus. Huiuscemodi luce homo peruenit ad notitiam sui propriam, & imaginem sanctæ Trinitatis in anima, cognoscit, quàm verū sit: *Regnum Dei intra vos est*, imagine sua. Cognoscens se ipsum incipit exerceri in hac notitia, quo exercitio oculus cordis mundatur, ingenium acuitur intelligētia dilatatur ad diuina. Dicit: *Mens, quæ se ad sui considerationē non subleuat, quomodo ad ea, quæ suprà se sunt, penna contemplationis euolat? In hunc montem* (cognitionis sui) *Dominus descendit, Moyses ascendit.*

1. Ioan. 2.

Luc. 17.

Ricar. à S. Vict. Bent. min. p. 1. c. 83.

Cognoscit, quod creata est a Deo, vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali: vt non sit longe à creatore suo, cui appropinquare videtur simplicitate essentiæ. Creata est magna à magno, recta à recto. Eo magna, quo capax æternorū: eo beata, quo vita. Tunc incipit in semetipso contemplator venerari imaginem sanctissimæ Trinitatis, eique tribuere reuerentiā, & honorem, incipit se mouere ad conseruandam excellentiam imaginis, nobilitate morum, & virtutū exercitio, vt quando appareat similis sit suo creatori, ac reformatori.

Auth. de spirit. & anim. cap. 30. apud Aug. t. 3.

Mystica Theologia infusa, sic intellecta proueniēs à dono intellectus dulcissimè mentē reficit. Nā ex eo quòd penetrat omnia velamina veritatis diuinæ, tàm in scripturis, quàm in doctrina, tàm in figuris, quàm in Sacramētis, & vsque ad intimam, & nudam veritatem intelligendam; inde est, quod gustat ipsam veritatem, & intellectuali experientia attingit. Sic dulcissimè reficitur mens, de quo gustu experientiæ dicit Bernardus: *Hic est gustus, quē in Christo facit nobis spiritus intellectus, intellectus, scilicet, scripturarum, & Sacramentorum Dei. Vnde post resurrectionem suam Dominus, Discipulis suis apparuit: Tunc inquit Euangelista, aperuit illis sensus, vt intelligerent scripturas.* Docet hoc esse perfectorū, quia tunc mens non solùm incipit intelligere scripturarum sensum interiorē, & virtutem mysteriorum, & Sacramentorum Dei, sed etiam quadam experientiæ manu palpare, & tractare, quòd non fit, nisi quodam cōscientiæ sensu, & experientiæ disciplina intelligentis, intus in se ipsa legentis, & sentientis bonitatem Dei, & virtutē, quā potens bonitate cùm efficaci virtute in filijs gratiæ operatur. Alio loco affirmat conuenire illis, de quibus Euangelista, ait: *Beati mūdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nisi enim mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, mystica, ac diuina liquidè intelligere nequit.

S. Bern. de nat. & dig nit. amor. diu. c. 0. Luc. 14.

Serm. de don. spirit. S. c. 6.

Solum reperitur in homine gratia sanctificante vestito, defendit S. Thomas: *Quia rectā æstimationem de vltimo fine non habet, nisi ille, qui circa finē non errat, sed ei firmiter inhæret, tanquam optimo, quod est solū habentis gratiā gratum facientē. Sicut enim in moralibus rectam æstimationem habet homo de fine per habitum virtutis, vndè donū intellectus habet nullus sine gratia gratum facientē.* Est æstimatio ista de Deo practica, non tantùm speculatiua, quæ fit per fidem, & compatitur cum homine peccatore.

S. Thom. cit. art. 5.

Quamuis enim donum intellectus pri-

primò, & principaliter ſpeculatiuus ſit, tamen eſt practicus, in quantum ſe extendit ad aliqua bona operabilia regulata rationibus æternis.

Hen. Har. lib. 2. myſt. Theol. p. 3. cap. 38.

Dictis concors eſt noſter Harphius, qui tres gradus iſtius myſticæ Theologiæ infuſæ diſtinguit. Primus (inquit) operatur in homine ſimplicitatem, & vnitatem ſpiritus, & claritatẽ intellectus, ita quòd ſpiritus in ſe ipſo ſimplificatur, clarificatur, & repletur gratia, doniſque Dei. Similis etiam Deo efficitur per gratiã, & deificam charitatẽ, & ſtabilitur in vnitate cũ ſpiritu Dei. Secundus gradus docet vitam cõtemplatiuam abſq; omni errore ordinare, conuerſari in ſpiritu, de cæleſtibus, & diuinis profundam habere intelligentiam, atque ex omnibus creaturis, & operibus Dei intimum, ac profundum capere intellectum, & per hoc conſurgere in Deũ, ei gratias agendo, laudando, & amãdo in omnibus. Tertius gradus docet perfectam notitiã in ſublimi cõtemplatione, qua Deum ſpeculatur in ſpiritualibus ſimilitudinibus, quæ eleuato eius intellectui offeruntur, vt in huiuſmodi nõ erret, aut decipiatur. Hoc etiã donum dat nobis notitiã de ſimilitudine Dei, quã in nobis per gratiam, charitatẽ, & virtutes habemus, & de vnitate, quã in Deo poſsidemus per fruitiuũ amorẽ, vbi anima potius agitur, quàm agat. Hucuſque Author iſte. In hoc ſtatu mens ingreditur ad Deum, cũ Moyſe in caligine ignorantiæ contemplatione modi neſcia.

In principiantibus fit per media ſenſibilia concurrente phantaſmate per ſenſibiles ſpecies creaturarũ, per quas aſcendit ad Deum cognoſcendum, & contemplandũ mens noſtra illuminata, & mota à Spiritu Sancto medio dono intellectus; hic gradus infimus eſt pertinens ad primum cælum imaginarium animæ. In proficientibus autẽ fit aliqualiter per imaginationem, per recurſum ad phantaſmata, pertinetq; ad ſecundum animæ cęlum. Hos binos gradus, & primum perfectorum dictũ, explicat S. Bonauentura, exemplo ſolis materialis, qui videtur in corpore terminato inferius, ſcilicet in pariete, videtur etiam in aere, videtur etiam in ſe ipſo, vt in fonte ſolari lucis. Sic Spiritus Sanctus illuminat mentem dono intellectus per ſpecies ſenſibiles, vel ſpirituales, per recurſum ad imaginẽ, vel per purè ſpirituales ad veritatẽ purã Dei, in apice, & ſuperiori parte mentis. Videri poteſt Ricardus Victorinus.

S. Bon. myſtic. Theol. c. 2. part. 1

Ric. Victor Ben. maio. p. 1. c. 6. & lib. 2. ca. 1.

Pro complemento notare oportet, quòd licet myſticæ Theologiæ prouenienti à dono intellectus attribuitur omnis cognitio, & contemplatio, quæ ſupernaturaliter euenire poteſt; non tamen excluditur ab eius cõſortio in intellectu perfectorum myſtica Theologia, proueniẽs à dono ſapiẽtiæ (de qua capite antecedẽti egimus) nec illa, quę oritur à dono conſilij, & conſiſtit in eo quod vir iuſtus expeditus manet, & accõmodatus ad dictamina Dei, & eius inſpirationes exercẽdas, vt quid in vnaquaque re ad mentis puritatem ſeruãdam, & augendam, quid faciendum, fugiendumq; in particulari cum magna cognitione, & ſatisfactione de ſingulis, quarum non eſt determinata via, qualiter faciendæ ſint, eo quod non vniformiter ſunt perficiendę; imò Deus his luminibus illuſtrat viros electos à ſua prouidentia, vt ſine errore alios doceãt, prius docti experimentaliter. Cõſtat in ſancto Paulo de ſe dicente: *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.*

Epheſ. 3.

Differũt tamẽ inter ſe illuminatio procedens a dono intellectus, & quæ procedit à dono ſapientiæ, vt notauit Gerſon, his verbis: *Sapientia eſt cognitio per guſtum: eſt enim quoddam lumen, ſub quo, vel in quo videntur, & guſtantur diuina, per experientiam. Vnde ſapiẽtia, prout eſt donũ, eſt propriè guſtus Dei in donis ſuis, intellectus autem nõ eſt per guſtum, ſed potius eſt lumẽ quoddam datum à Deo ad cognitionem Dei.* Idẽ ſentit Dionyſius. Itaque ſapientiæ eſt per ſaporẽ, ſeu guſtum de rebus diuinis certiſsimè, iudicare. Intellectus doni eſt, ipſam veritatẽ clarè penetrare ſpeculatiuè, vt dictum manet. Intellectus eſt velut apprehẽſio veritatis, ſapientiæ autẽ iudicium ex experientia. Intellectus præcedit ſapientiam, ſicut cognitio præcedit iudicium, & ſpeculatio ſaporẽ, & guſtũ. Sapientia iudicat ſapiẽter per guſtũ, quæ ſunt ſapida. Intellectus penetrat veritatẽ per clarũ, intrinſecũ intuitũ.

Gerſ. comp Theolo. de octo beatit. de 6. don. Spirit. S.

Dionyſ. Carth tra. 2. de dona. Spir. S. cap. 31.

CAPVT VII.

De mystica Theologia infusa procedente à dono scientiæ Spiritus Sancti.

DIximus capite præcedenti mysticam Theologiam infusam procedere effectiuè in genere causæ efficientis à dono scientiæ Spiritus Sancti (habitus enim in nullo alio genere, concurrũt ad suos actus:) pro quo notandum est, quòd donum scientiæ Spiritus Sācti non est habitus sciētiæ, per demonstrationem acquisitus; hic enim industria humana acquiritur per sylogismos; sed est habitus supernaturalis infusus ad ea cognoscēda, ad quæ natura rationalis viribus suis attingere nequit.

Mystica Theologia infusa procedēs à dono scientiæ est, qua mens illuminata habet rectum iudicium circa credenda, ita quod in nullo deuiat in iudicio. Sic S. Bonauentura. Ex quo cùm Theologia mystica à dono intellectus proueniente perfectè assentitur veritatibus fidei. Rationem dat S. Thomas dicēs: *Ad hoc, quod intellectus humanus perfectè assentiat veritati fidei, duo requiruntur: quorum vnum est, quod sanè capiat ea, quæ proponuntur: quod pertinet ad donum intellectus. Aliud autem est, vt habeat certum, & rectum iudicium de his, discernendo, scilicet credenda à non credendis: Et ad hoc necessarium est donum scientiæ.*

S. Bon. de Sept. don. Spir. S. de don. scient.
S. Tho. 2. 2 q. 9. art. 1.

Deinde ista scientia diuina mens benè iudicat secundùm legis æternæ regulas de agibilibus per nos, quorum non est determinata via quoad nos, qualiter fieri debeant, eo quòd non semper vniformiter fienda sunt. Vnde per illā innotescit homini rectum iudicium de creaturis, quòd in eis non est verũ bonum; & hoc fit per principia fidei, quæ sunt fidei articuli. Ideò ex consequenti ad hanc scientiam pertinet resoluere hominis actiones ad fidei articulos, tanquam ad principia. Concludit Seraphicus Doctor (cuius hæc sunt:) *Hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur: Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam sanctorũ.* Et quod principaliter est speculatiua, prout est iudicium rectum circa credēda; secundò verò se extendit ad operationem, quia per scientiam credibiliũ, & eorum, quæ ad credibilia consecuntur, dirigitur in agendis.

Sap. 10.

Prout est speculatiua, respicit res diuinas, nēpè mysteria fidei, eo quòd iudicium format de credēdis, vt dictum est. Prout est practica, respicit creaturas, & exercitium omnium virtutum. Est enim quædam discretio, per quam edocemur vti creaturis rectè, & per eas ascendere ad creatorem. Nec in illis inhæreat affectus. Docemur exercere virtutes omnes morales in vera perfectione dans veram cognitionem earũ, & cuiuscumq; perfectionē: Quod eas, earumque actus summopere æstimet, & corũ exercitio studiosè vacet: ordinat denique hominem exteriorem sicut donum intellectus interiorem. Vndè noster Harphius *Hoc donum rationalem exitum nostrum ordinat, & illustrat; in eo quod foras nos dirigit, & vniuersos modos operũ discretè considerare nos docet: Sicut donũ intellectus nos ad interna dirigit. Vtrunq; veritas vna, & eadem in nobis operatur, ad Deum introire nos admonēs, & extrorsũ ad exteriora nos dirigens.* Cæterum, quia fragilitate humana deficimus contra diuinam legem, vtendo indebitè creaturis, scientia hæc infusa facit dolere, qui dolor pertinet ad tertiā beatitudinem: *Tertium donum est spiritus scientiæ* (ait D. Bernardus) *de quo Salomō ait: Qui addit scientiam, addit, & dolorē. Vera nanque scientia est, scire nos fragiles esse, & in hac lacrimarũ valle dolendum, & lugendũ esse. Vndè dicitur in tertia beatitudine huic dono congruenti. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hinc Salomō ait: Risus dolori miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Dolor subsequēs argumētũ est, veracis, & sanctæ scietię.

Henr. Harph. myst. Theolog. lib. 3. p. 2. c. 10.
S. Ber. ser. de don. Spiritus S. ca. 3.
Eccl. 24.
Prou. 14.

Hæc item diuina scientia sollicitudinē operatur in anima, qua dicit ambulare sollicitè coram Domino, fiatq; lucerna ardēs, & lucēs, similisq; esse discat spectantibus Dominũ, & quomodo custodiendæ sunt vigiliæ noctis supra gregem cogitationum, locutionũ, affectionum, & actionum, quo si venerit in prima, secūda, & tertia vigilia paratam inueniat. Prima vigilia est rectitudo operis, vt ad hāc via lucis æternæ recto itinere eā perducat. Secunda puritas intētionis luciddum reddat totũ corpus bonæ actionis, quatenus quidquid fecerit, purè propter Deũ faciat. Tertia est, custodia vnitatis, vt nō solũ sine querela, sed etiā cũ gratia ambulet inter homines. Scit etiā per experiētiā cōsulere alijs in omni tentatione. In om-

omni quoque dubio, euentu, perplexu quę casu scit verissimè, promptissimè, ac saluberrimè iudicare, causas peccatorum elicere, rationes pigriores vitæ disserere. Alia videri possunt in D. Bonauentura.

S. Bon. cit. cap. 2. 3. 4 Sup. ar. 2.

Vt autem innotescat clarius natura huiuscemodi scientiæ infusæ, notādum est cum D. Thoma, quod distinguitur ab illa, quæ procedit à dono sapientiæ ex differentia obiecti. Nam illa prout respicit creaturas, per quas, per similitudines proportionatas ascēdit ad Deum (inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur) habet pro obiecto primario ipsas creaturas; quæ autem procedit à dono sapientię, habet pro obiecto primario Deum ipsum, de quo generatur, perfectissima notitia, tanquam de causa prima per se, & non per aliā causam. Dicitur enim sapiens in vnoquoque genere, qui nouit altissimam causam illius generis, per quam potest de omnibus iudicare. Simpliciter autem sapiēs dicitur, qui nouit altissimam causam, scilicet Deum. Et ideo cognitio diuinarum rerum, vocatur sapientia; cognitio vero rerum humanarū, vocatur scientia, quasi communi nomine importante certitudinem iudicii appropriato ad iudicium, quod fit per causas secundas.

CAPVT VIII.

Quæ sit mystica Theologia infusa procedens à lumine supernaturali infuso.

Diuina bonitas, quæ natura sua liberalissimè hominibus se cōmunicat, in hac vita mētes defæcatus seruorum suorum altiori modo in viatore possibili multoties illustrat, & eleuat, vsque ad altissimam notitiam diuinorum, quæ perfectior est, altior, & profundior cæteris supradictis, à donis Spiritus Sancti prouenientibus, quia procedit à nobiliori principio, quod perfectiorem effectum producit, cum verum sit in bona philosophia, quòd perfectio causæ relucet in effectu. Relinquimus tamen ad scholas agere, nunc de scientia infusa Christo Domino ab instanti suæ conceptionis; ac denique de scientia beata communicata per modum transeuntis aliquibus sanctis viatoribus, præcipuè Beatissimæ Mariæ Virgini. Hoc namque exigebat longum tractatum.

Deueniendo ad nostrum intentum, mystica Theologia infusa (de qua loquimur) est media inter notitiam beatam, & notitiam fidei. Vnde est infra illam, & supra istam. Hanc agnouit in primo Parenti in statu innocentiæ S. Bonauentura dicens. *Cognitio hominis in statu innocentiæ, media erat inter cognitionē status gloriæ, & status miseriæ.* Conuenire videntur Patres allegati supra, vt in argumento operis. Videri potest S. Gregorius, eandem cognitionem Adami vocauit S. Thomas: *Quodammodo mediam inter cognitionem præsentis status, & cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur.* Rationem reddit Caietanus ex eodem Angelico Doctore; quia radix distinguendi visionem Dei per essentiam à visione eius per creaturam, est differentia secundum perfectum, & imperfectum, quia illa scilicet tanquam perfecta distinguitur, contra hanc tanquā defectiuā. Et propterea quantò creatura est altior, tantò est minus defectiua, & minus recedit à Dei visione per essentiam. Probauerat autem hoc superius in Adamo sic: cognitio plena, & lucida in effectibus intelligibilibus est altior cognitione eius per effectus sensibiles; ergo est altior nostra, ac media inter cognitionem patriæ, & nostram; sed talis conueniebat primo homini, ergo, &c. Verba sunt Caietani.

S. Bonau. in 2. dist. 23. q. 2. ar. 2.

S. Gregor. Magn. lib. 4. dialog. cap. 1.

S. Thom. 1. p. q. 94. ar. 1. Caiet. ibi.

De hac videtur loqui sacra Scriptura, cum dicit: *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem.* Super quem textū ait D. Hieronymus: *Videte, quid dicat, cæteris locutus sum in visione, & in ænigmate, sed non sicut Moysi famulo meo, cui locutus sum facie ad faciem.* Non fuit ista visio beatifica, vt multi Patres tenent. Etenim dixerat ei Dominus. Non videbit faciem meam, & nō videbit me homo, & viuet. Ex alio capite non erat in ænigmate, vt aliis, restat ergo, vt sit media inter vtrāque: S. Thomas dicit fuisse quandam eminentem contemplationem infra essentiæ diuinæ visionem. S. Augustinus: *Videbat Moyses Deum, non oculis corporeis, sed oculis mentis. Et quia lux illa perpetua, quod Deus est, plus eum quam cæteris illustrauerat, ideò dictum est, os ad os loquebatur illi, ac si diceretur, plus omnibus manife-*

Exod. 33.

S. Hier. in Ps. 133.

S. Thom. 1 p. q. 98. ar. 3. ad 2.

S. Aug. li. 2. de Symbol. ad Catechum.

flatus est illi: De viris contemplatiuis in hac eminenti contemplatione illustratis, dixit Ricardus: *Per contemplatiuos debemus illos intelligere, quibus datum est facie ad faciem videre: qui gloriam Domini reuelata facie contemplando veritatem sine inuolucro vidit in sua simplicitate, sine speculo, & absque ænigmate.* Huiusce modi eminens mystica Theologia procedit à quodam lumine per modum transeuntis intellectui infuso. Optimè insinuat S. Bernardus. Quidquid autem de visione, & cognitione Dei hic fidelibus impartitur, speculum est, & ænigma, nisi cum aliquando fit, quod de eo in libro Iob ligitur: *Qui abscondit lucem in manibus, & præcipit ei, vt rursum oriatur, & annũtiat de ea dilecto suo, quod possessio eius sit, & ad eam posit peruenire.* Prosequitur: *Electo enim, & dilecto Dei aliquando vicissim lumen quoddam vultus Dei ostenditur, sicut lumen clausum in manibus patet, & latet ad arbitrium tenentis, vt per hoc quod quasi in transcursu, vel in puncto permittitur videre, inardescat animus ad plenam possessionem luminis æterni, & hæreditatem plenæ visionis Dei*, vt autem innotescat aliquatenus id, quod ei deest (ad claram visionem) *nonnunquam quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit ipsum sibi, & rapit in diem, qui est à tumultu rerum, ad gaudia silentia. Et pro modulo suo ad momentum in id ipsum, ostendens ei vidẽdum sicuti est, interim etiam, & ipsum efficit in idipsum, vt sit suo modo, sicut illud est.* Ly, *pro modulo suo*, videtur denotare, non loqui de visione clara Dei, sed de media, quæ viatoris est, & cum modo viatoris compatitur. S. Bernardinus Senensis tom. 4 serm. 4. de Concept. art. 1. cap. 2. de B. Virgine, ait: *Ex quibus sequitur, quod beata virgo, etiam dum erat in vtero matris, habuit vsum liberi arbitrij, & lumen perfectum intellectuale.*

Ric. à S. Victor. in Ps. 113. p. 2.

D. Bern. de vit. soli. ad frat. de mont. Dei prop. fin.

Iob 30.

Harphius noster agens de isto lumine, ait: *Porrò lumen istud non est Deus, sed præuia lux quædam intellectualis, quam nec sensus, nec ratio, nec natura, nec consideratio capere valet. Est inquam quodam clarificatum medium inter nos, & Deum, quod nobilius, & superius omnibus à Deo in natura creatis*, docet tamen non videri Deum clarè visione producta ab illo: *Sed citra facialem visionem, prout sibi placuerit ostendere se vnicuique, iuxta modum collati luminis.* Concessamque esse D. Paulo in raptu tenet alio loco: *Vndè suppremus gradus contemplationis præsentis vitæ est, qualẽ in raptu Paulus habuit, secundum quem fuit medio modo se habens inter statum vitæ præsentis, & futuræ.* Idem sentit de Moyse.

Henriq. Harp. lib. 2. Mystic. Theol. p. 4. cap. 61.

Lib. 3. p. 3. cap. 29.

Pro intelligentia istius luminis sciẽdum est, quòd secundùm fidem contra Begardos, & Viguinas, vt beati in patria videant Deum, requiritur lumẽ gloriæ se habens ex parte intellectus, iuxta ilud, in lumine tuo videbimus lumen. Etenim viribus suis nequit attingere Deum obiectum supernaturale. Quod lumen est ordinis supernaturalis habitualis secundum communem opinionem; estque lux clarificãs intellectum per modum habitus, cõstituitque eum causam completam ad visionem beatã ex parte potentiæ, concurrenteque obiecto Diuino producit visionem. Ad istum modum dicimus esse lumẽ, à quo procedit mystica Theologia infusa. Diuerso tamen modo; nã est per modum actus transeuntis ad Deum cõtemplandum obscurè; quia non est lumen clarũ, sicut lumen gloriæ, nec ipse Deus se manifestat intuitiuè mouendo ad intuitiuam visionẽ, sed ad abstractiuam, licet nobilissimã in statu viatorum.

In schola nostra Doctoris subtilis intellectus simul cum lumine concurrit in genere causæ efficientis ad visionem claram Dei (idem dicendum est, in visione ista media, de qua agimus;) ratio est, quia intellectus est causa vniuersalis æquiuoca respectu suorum actuum. Vnde iam eleuatus suam virtutem exercet in actum supernaturalem, licet in sua natiua virtute naturalis sit, quia concurrit, vt eleuatus in ordine supernaturali. Sic sol, licet nõ sit viuens, tamen simul cum leone leonẽ generat; nã est causa vniuersalis æquiuoca, & coniuncta cum hac causa secunda, attingit producendo eũdem effectum in genere causæ efficientis. Ex isto fundamento docet noster Magister Scotus, quòd si ponantur intellectus hominis, & intellectus Angeli æquali lumine gloriæ, intellectus Angeli produceret perfectiorem visionẽ, in

Scot. in 4 dist. 50. q. 6. & in 3. dist. 13. q. 4.

in intensione propter potentiam perfectiorem.

Nec videtur dissentire S Thomas, qui interrogans: *Vtrùm Angeli sint consecuti gratiam, & gloriam, secundum quãtitatem suorum naturalium;* Respondet: *Quando non est aliquid, quod retardet, aut impediat, natura in id secundum totam suam virtutem mouetur; ideo rationabile est, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius, & efficatius ad Deum sint conuersi.* Motus autem naturæ ad suos actus secundùm propriam virtutem fit, ergo si Angelus conuersus fuit ad Deum finem supernaturalem, & obiectum gloriæ, fortius, & efficatius secundùm meliorem naturam, perfectiorem conuersionem produxit, iuxta quantitatem suorum naturalium: Non vt instrumentum, sed vt causa: Aliàs non esset ad propositum simile de natura: quæ causa est efficiens suarum operationum, non instrumentum. Si hoc est aliqualis digressio, facta est, vt magis intelligatur, quomodo intellectus concurrat cum lumine prædicto ad mysticam visionẽ mediam in hac lacrymarum valle inter visionem beatificam, & cognitionem fidei.

S. Th. 1. p. q. 62. art. 6. in corp.

Cum intellectu lumine explicato in ordine supernaturali eleuato, concurrit Deus ad hanc mysticam Theologiam, vt principium obiectiuum effectiuè, quæ summa lux est, fugat tenebras, duritiam cordis liquefacit, clarificat animam, infundit spem, amorem accendit, & virtutes solidat. Magna tu nc mens potitur pace, & iucundissimo gaudio. Ad eo, quod videt, diuertere se non valet delectatione illecta, gratiæ riuulis madefacta, & cõtemplatione suspensa. Ardet etiam charitate. In sublimi quoddam contemplationis solio residẽs nimia exultatione lætatur, cùm se verbi sponsam agnoscat. Perfectus enim amor dubietate caret. Reciprocè etiam diligitur à verbo, nam in amoris fœdere, nec maiestatem attendit infirmitas, neque infirmitatẽ exhorret maiestas. Infirmitas enim per amorem erigitur, dum gratis eligitur, verbo copulatur, fecũdatur spiritu, & charitate vulneratur

Hac eminenti luce, & mystica Theologia decoratus fuit Seraphicus Pater N. Franciscus, impressione sacrorum stigmatum in monte Alberna, quem S. Bonauentura comparat D. Paulo in raptu vsque ad tertium cœlum. Item Fr Gil, legitur in eius vita, quòd in quadam visione intellectuali Dei, & eius gloriæ, videbatur sibi euacuasse fidem. Interrogatus à Fr. Andræa: si Sacerdos esses in Missa solemni, non diceres : credo in vnum Deum? Ad quæ verba Fr. Gil corde inflãmato, & risu diuino, vocibus ingnitis dixit: *Cognosco vnum Deum Patrem omnipotentem*: Et raptus est extasi celesti. Eadem experientia floruit in Prouincia Angelorum ordinis nostri, meaque matre Fr. Ferdinandus de Limones Sacerdos. Narratur in sua Historia. Etiam S. Theresia a Iesu de se ipsa affirmat, eleuatam fuisse ad admirabilem notitiam Sanctissimæ Trinitatis supra fidem, taliter vt ea, quæ hic per fidem creditur, quasi intuitiuè videantur. Apparet Deus in hac perfectissima, & spiritualissima visione in apice mentis, & ipso animę fundo, tanquam in quoddam regno suo, absque phantasmatibus imaginum sensibilium. Tunc omnis inferior vis animæ viduatur officio. Quod animale est, in imo remanet, spiritus autem ad summa eleuatur. Tunc experitur illud Pauli: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus.* Non agit hic anima, quæ corpus respicit, sed portio illa superior, quæ spiritus dicitur, & Deum attingit modo spiritualissimo. Videri potest D Gregorius, exponens illud Iob: *Et videbit faciem eius in nubilo.*

S. Bon. prolog. itinerment. in Deum.

In Chro. ord. min. c. . o. & 11.

Hist. Prou. Ang. l. 9. c. 4.

Mansio. 7. c. 1.

Hebr. 4.

S. Greg. Magn. lib. 24. mor. c. 5.

CAPVT IX.

Possibilis est mystica Theologia infusa procedens à specie impressa supernaturali.

DIximus precedẽti capitulo procedere mysticam Theologiam infusã à lumine supernaturali per modũ actus transeuntis, quod se habeat ex parte potentiæ intellectiuæ. Præsens est de specie impressa, quæ se habeat ex parte obiecti diuini, illud repræsentãre abstractiuè, media qua intellectus fęcundatus eliceat mediam illam inter

ter visionem beatam, & visionem fidei. Pro quo sciendum est, quòd duplex est species repræsentatiua alicuius obiecti, & eius similitudo. Vna est formalis, quæ dicitur species expressa, siue verbum mentis productum ab intellectu per actum dicendi. Altera est similitudo, & imago virtualis, quæ gerit vicem obiecti, & dicitur species impressa, & medium quo cognitionis, quia media illa producitur; & distinguitur à similitudine obiectiua, qualis imago depicta, quæ prius cognita ducit ad cognitionem alicuius propter similitudinem, quam cum ipsa habet.

Illustrissimus Dominus Fr. Franciscus Guerra Ordinis Minorum, ter Episcopus, docet Beatissimam Virginem Mariam ab instanti suæ Immaculatæ Conceptionis habuisse hanc mysticam Theologiam, procedentem ab specie impressa, qua cognouit Deũ quidditatiuè independenter à phantasmatibus. Citat pro sua conclusione Albertum Magnum super Missus est cap. 112 qui ait *Ipsa* (scilicèt Maria) *videre potuit, & vidit spiritum increatum per speciem propriam, ex quo infert, ergo, & quemlibet alium.* Addit Episcopus Guerra: *Si enim ex D. Gregorio, quid enim non vident, qui vident omnia; si ipsa videt, videntem omnia (hoc scilicet modo per speciem abstractiuè repræsentantem Deum) ergo vidit omnia, &c. Subscribit libens D. Antoninus, qui ait: Gratia plena fuit Beata Maria, in contemplatione æternorum, ipsa enim secundum Albertum Magnum videre potuit spiritum increatum per speciem propriam.* Si ergo de facto concessa fuit B. Virgini ista visio mystica supernaturalis ab specie impressa procedens, possibilis est alteri creaturæ rationali. De actu ad potentiam affirmatiuè tenet consequentia.

Tract. 2. disc. 1. frag. 1. & 2. to. 2.

S. Greg. 6. dialog.

S. Anton. 4. p. tit. 15 c. 18. §. 2.

Modus ponendi istam speciem impressam in intellectu contemplantis Deum quidditatiuè, licet abstractiuè, explicatur doctrina, & sententia Doctoris subtilis, qui tenet Angelum viatorem habuisse speciem impressam repræsentantem essentiam Diuinam abstractiuè, media qua cognouit Deũ distinctè, non tamen intuitiuè. Sic (inquit) per talem speciem erat in potestate Angeli cognoscere Deum distinctè, quia informatus eius intellectus, illa habebat in sua potestate actum, sicut potentia visiua cum specie impressa albedinis suum. Aliter Angelus non haberet potestatem ad cognitionem Sanctissimæ Trinitatis, cũ Deus sit obiectum liberum mouens ad illam, congruentia huiuscemodi speciei oritur ex dignitate, & excellentia naturæ Angelicæ. Sic quàmplurimi Patres concedunt Adamo altissimam cognitionem Dei propter dignitatem, & excellentiam iustitiæ originalis, quam habuit Angelus, & naturam perfectiorem. Adde, quòd tunc connaturaliori modo produceret actum, cum specie; sic enim quælibet potentia producit, quando in eius potestate est actus. Hac de causa grauissimi Theologi concedunt in beatis de facto impressam speciem repræsentantem quidditatiuè diuinam essentiam. Ita in specie impressa, de qua loquimur, suo modo philosophandum est.

Scot. 2. sen dist. 3. q. 9.

Restat notandum ad maiorem intelligentiam, quòd hæc propositio: *Omnis propria ratio intelligendi aliquod obiectum per adæquationem, repræsentat illud obiectum;* potest intelligi de adæquatione simpliciter entitatis ad entitatem. Hoc modo nulla species possibilis est, repræsentans diuinã essentiam, vel potest intelligi de adæquatione, secundùm proportionem repræsentantis ad repræsentatum absolutè; sed nec hoc modo est possibilis. Ratio vtriusque est, quia Deus entitatiuè infinitus est, & infinitè incomprehensibilis; sicque nulla creatura potest adæquare suam entitatem, nec illum repræsentare modo infinito, sicut in se repræsentabilis est, propter limitationem creaturæ. Vel potest intelligi de adæquatione secundùm proportionem, non absolutè, sed per comparationem ad actum, quem potentia elicere valet, iuxta capacitatem suam, licet obiectum non comprehendat: sicut quæcunque albi species etiam in oculo cæcutiente, licèt non ita perfectè repræsentet album, sicut esset repræsentabile: tamen perfectè repræsentat illud per comparationem ad actum sequentem, quia ita perfectè repræsentat, sicut requiritur ad habendum talem actum circa obiectum, quod attingit secundùm rationem essentialem obiecti, licet non secundùm modum, quo attingibile est.

Hoc tertio modo repræsentat species

cies impressa Deum. Quòd autem sit sufficiens ad actum producendum, patet; nam vniuersaliter loquendo, nullum per se repræsentans (quod est ratio repræsentandi, non cognitum, seu medium quod) adæquatur illi, quod repræsentat, sed deficit, sicut constat de albedine, & specie albi, de substãtia, & specie substãtiæ. Rursus immediatius attingit Deum actus beatificus beati, quam species impressa abstractiua, & tamen visio illa beatifica est expressa similitudo obiecti diuini, ex eo quod similis ei est beatus vidẽdo eum; similitudo autem fundari debet in aliqua vnitate extremorum: sic duo alba similia sunt propter vnitatem albedinis, non verò album, & nigrum; vnde vt similis sit in visione beata, debet esse ista similitudo expressa Dei intentionalis, in qua repræsentatur Deus intuitiuè, & in cuius entitate tanquam in fundamento fundetur illa relatio formalis similitudinis ad Deũ; & nihilominus actus beatificus non adæquat entitatem Diuinam, nec est infinitus, nec Deum compræhendit, &c. Ergo multò minus necessium erit speciem impressam esse infinitam entitatiuè, nec ex illa Deum compræhendi. Maximè quia talis species producitur à Deo liberè, & potest determinari, & determinatur ad tantam, vel tantam intensionem in repræsentando eum, secundum quam contemplator cognoscit Deum per hanc mysticam Theologiam infusam, (de qua noster est sermo) magis, vel minus.

Cùm autem perfectissima sit, est quædam participatio diuinæ scientiæ, hoc est, simplex contemplatio, & nõ discursiua. Cognoscitur Deus quidditatiuè per propriam speciem, & sic est vnica, & simplex cognitio, sicut nec est discursiua cognitio Angeli, quando per speciem quidditatiuam cognoscit essentiam alicuius rei; cognitio autem formaliter discursiua, & propriè requirit plures actus intellectus, vt ex vno deueniat in cognitionem, & aliquid ex aliquo tanquam ex motiuo, ita cognoscatur, vt non sit idem motus in vtrumque, sed prius moueatur intellectus in vnum, & ex hoc mouetur in aliud, vt contingit in syllogismo, in quo prius mouetur in antecedens, & ex hoc mouetur ad consequentiam. Ista autem mystica Theologia, vna, & simplex est, sicut est species impressa. Et quia fit independenter à phantasmatibus (vt dictũ est) non est cum defatigatione, nec alteratione corporis, & ex hac parte maiorem durationem habere potest. Ratio est, quia in cognitione, vel contemplatione, quæ exercetur cum cõuersione ad phantasmata; fatigatur homo, quia in ea absumuntur spiritus, qui phantasiæ phantasianti inseruiũt, quibus assumptis calor vitalis minuitur.

CAPVT X.

Possibilis est mystica Theologia infusa adæquatè; productaà Deo intellectu nostro passiuè se habente.

ORdinario modo, mystica hæc Theologia infusa procedit effectiuè ab intellectu, vt communis opinio tenet. Constat ex dictis, agendo de illa, quæ procedit à donis Spiritus Sãcti sapientiæ, intellectus, & scientiæ, à lumine supernaturali, & specie impressa; ista namque principiatam ex parte potentiæ se habentia, quam ex parte obiecti, infunduntur in intellectu, vt cum illis eleuatus eliciat actum, veluti efficiens causa. Imo, & in beatis de facto datur lumen gloriæ in intellectu, & charitas in voluntate, vt producant actum beatificum, & vnionem fruitiuam circa diuinam essentiam intuitiuè visam, & amatam.

Adhærentes autem principijs Doctoris N. Scoti, dicimus possibilem esse, mysticam Theologiam infusam adæquatè, & totaliter productam à Deo intellectu passiuè se habente, qua recepta, ipsum Deum contempletur. Primum principium Scoticum est, quòd intellectio, seu verbum mentis, non est de genere actionis, sed de genere qualitatis. Videtur certum hac ratione: Supponamus, quòd beatus produxit visionem per veram actionem, quia visione informatus, intellectus intuitiuè videt diuinam essentiam vitaliter. Tunc quæro, an illa actio vitalis, qua verbum, seu visionem produxit, maneat, quandiu verbum manet, vel non? Proculdubio actio iam transiuit: Aliàs si illa actio permaneret, non esset verbum productum, quia verbum est terminus actionis, quando ter-

Scot. in 1. dist. 3. q. 8. art. 1. & in 3. dist. 14 q. 2.



terminus est, actio finitur; aliter non esset terminus actionis, vel ad ipsum non esset actio terminata; quia quandiù actio perseuerat, aliquid necessariò producit, quod est de ratione realis actionis productiuæ. Non potest producere aliud distinctum à verbo, vt patet, neque ipsum verbum, quia iam productum est; non ergo manet, & manet verbum, quia est de genere qualitatis permanentis.

Secundum principium est, quod intellectus dicitur intelligere, non quia causat intellectionem, sed quia recipit intellectionem, secundum illud Aristotelis: intelligere est quoddam pati. Hic est ordo: Prius intellectus recipit informationem intellectionis in genere causæ formalis, qua recepta intellectus percipit obiectum repræsentatum in illa, quod quidem percipere est vitaliter operari: & hoc vitaliter operari, est formaliter operari. Vnde magna differentia est inter vitaliter agere, & vitaliter operari: vitaliter agere est potentiam vitalem producere aliquid à se distinctum in genere causæ efficientis; vt potè intellectus cũ obiecto producere intellectionem realiter à se distinctam. Sic in creatis productio verbi est verè vitalis actio, & vitalis productio. Vitaliter verò operari est, supposita receptione verbi, seu intellectionis, obiectũ in ipsa tanquam in specie expræssa repræsentatũ percipere: quod percipere, nil aliud est, quàm quoddã tendere, & respicere transcendentale ad obiectum repræsentatum in verbo, ex præcisa positione verbi in illo; sequiturque necessariò, & naturaliter, tanquã effectus formalis ad positionẽ causæ formalis.

Arist. 2. & 3. de anim.

Ex his principiis cõstat possibilẽ esse mysticã Theologiã infusã adæquatè productã à Deo intellectu passiuè se habẽte, qua informatus intellectus Deũ cõtemplaretur. Quidquid enim potest Deus cũ causa secũda efficiente, potest facere se solo; sic potest se solo producere leonẽ tribuendo ei vitã, licet non possit supplere talẽ vitã, quia est causa formalis vitæ. Cũ autẽ intellectus sit causa efficiens respectu istius, vel alterius mysticæ Theologiæ, potest Deus supplere hanc efficientiã causæ efficientis, tribuẽdo ei vitalitatẽ, sicut leoni vitã. Licet nequeat supplere vitaliter operari intellectus, quia hoc est in genere causæ formalis, vt explicatum est. Tũc intellectus nõ ageret vitaliter, quia nõ produceret, sed operaretur vitaliter recipiẽdo mysticã illã visionẽ infusam, & per illã, vt expressã speciẽ obiecti diuini, illud cõtemplaretur, ac perciperet. Idem dicendum est de actu vnionis, de quo alibi

Hoc tract. c. 12.

Cõsonat, ni fallor, S. Dionysius, qui agens de suo Magistro S. Hyerotheo, postquã dixerat de illo, quòd cõpræhẽdit multa mysteria diuina, partim à Theologis, partim etiã ex solerti scripturarũ indagatione, lõgo exercitio, ac tẽpore, addit: *Partim etiã diuiniore quadã inspiratione hausit, ista nõ discẽdo tãtũ, verũetiã diuina patiendo assecutus, nec nõ eorũ (si dictu fas sit) cõpassione, ad illã, quæ doceri nequit fidẽ mysticam, ad quẽ vnionẽ informatus.* S. Maximus sic scholiat hũc textũ: *Ipsum diuina passũ ait, vt qui nõ doctrinaliter per sermonẽ doctrinæ eorũ* (theologorũ) *hauserat, sed diuina illustratione expressam, & veluti insignitã in mente supernaturalẽ habeat cognitionẽ. Istius modi autem rerũ diuinarũ eruditionẽ, cõpassionem appellauit.* Si, S. Hyerothæus diuina patiens, assecutus est expressam supernaturalem cognitionẽ diuinorum. Loquitur S. Dionysius de verbo mentis, quod est expressa similitudo diuinorum; & si hæc eruditio compassio appellatur, non dicit actionem ex parte intellectus, sed receptionem, quod est pati.

S. Dion. Arep. c. 2. de diuin. nomi.

S. Maxim. ibi.

Dionysius Carthusianus sic explicat: *Non solum discens, idest, non solum informationem nudam, & informem accipiens, sed, & affectus diuina, idest, circa diuina accensus, & eadem dulciter gustans; & ita in hac inspiratione, & informatione, magis se habens passiuè, quam actiuè.* Idem S. Dionysius affirmat fuisse cum Apostolis D. Hyerothæus ad videndũ corpus Virginis Mariæ post mortem, & cũ *Complacuisset post intuitum Antistibus omnibus pro virili cuique suo infinita potentia præditam diuinæ imbecillitatis bonitatem collaudare; ipse* (Hyerothæus) *cæteris omnibus laudatoribus antecellebat, totus excedens, totus se deserens, rerumque quas laudabat consortium patiens.* Hunc locum commentans Carthusianus, inquit: *Hinc constat, quòd mystica Theologia particeps fuit.*

Dion. Carth. in 2. de diu. nom. art. 2.

S. Dion. Arep. c. 3. de diu. nomi.

Dion. Car. sup. c. 3. de diu. nom. art. 3.

ex-

exhuberanter, & totus charitatis ardore ignitus, assiduè alteratus, liquefactus, æstuansque in Deum, atque in regionem luminis infiniti extensus, & rursum actus, &c. Si ergo hæc omnia denotant D. Hyerothæum in mystica Theologia, passiuè se habuisse, possibile est adæquatè produci à Deo; quando enim non apparet inconueniens; verba sumenda, & intelligenda sunt in proprio, & rigoroso sensu; non vero interpretanda latè modo, & minus proprio. Quod non appareat inconueniens, constat ex dictis; & conceditur Deo, quod facere valet.

CAPVT XI.

Quæ sit mystica Theologia infusa experimentalis.

PRouerbio communi. Experientia dicitur rerum magistra; imo, & veritatis conseruatrix. Quia scientia nostra ex varijs experientijs collecta est, & quandiu mens vniuersalem scientiam habet, quo[dam]modo in vmbra est, donec ad experimentum perueniat, habet hoc potissimum locum in cognitionibus mysticis, & vnione cū Deo: vnde scientia experimentalis acquisita est illa, quæ per quotidianam experientiam acquiritur, accipiendo species obiectorum, quæ sensibus experimur: sensus enim externus percipit eiusmodi obiecta, proposita, hæc autem transmittunt speciem sui ad sensum internum, & hinc phantasmatum ministerio, & officio intellectus agentis, fiunt species intelligibiles, in quibus experimentalis scientia ortum ducit, quæ terminatur intuitiuè ad sensationem obiecti, vt præsentis cogniti. Postea per illam scientiam recordamur nos habuisse sensationem circa tale obiectum, & ideo appellatur sciētia experimentalis. Eadem scientiam experimentalem quinque sensus exterioris corporis experiuntur circa sua obiecta sensibilia, ea attingendo per proprios actus (vt ipsa experientia constat) suasque delectationes sensibiles.

Diuus Bernardus docet, quòd etiā anima suos quinque sensus habet, sicut corpus alios quinque: *Sicut enim* (ait) *corpus habet suos quinque sensus, quibus anima coniungitur, vitā mediāte: sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo coniungitur mediante charitate: Vnde dicit Apostolus: Nolite conformari huic sæculo, sed renouamini nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Hic ostenditur, quia per sensus corporis veterascimus, per sensum vero mentis renouamur in agnitionem Dei.*

S Bern. de nat. amor. diui. c. 6. circ. fin.

Rom. 12.

Author libri de spiritu, & anima ex Sacra Scriptura explicat hos quinque sensus animæ spirituales, sic: Diuina vox in Deuteronomio ait: *Videte, quod ego sum Deus.* Ecce spiritualis visus. In Apocalypsi: *Qui habet aures, audiat, quid dicat spiritus Ecclesijs.* Ecce spiritualis auditus. In Psalmo: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Ecce spiritualis gustus. Apostolus: *Bonus odor Christi sumus,* Ecce spiritualis olfatus. In Euāgelio, fide mulierem se tetigisse, magis quàm corpore ostendit Iesus dicens: *Quis me tetigit?* Ecce spiritualis tactus. Ex his planè patet, quòd sicut experientia corporalium fit sensibus corporis, ita experientia spiritualium fit in spiritualibus sensibus. Istiusmodi experientiam Diuinorum habuisse Beatissimam Virginem Mariam in quinque sensibus spiritualibus animæ, tenet S. Bernardinus, & probat locis Sacræ Scripturæ.

Auth. de spu & ani. c. 49 apud Aug. to. 3. Deut. 32. Apocal. 2. & 3. Ps. 33. 2. Cor. 2. Matth. 5.

S. Bernar. Senensi ser. 4. de Concept. art. 2 cap. 6.

Mystica Theologia infusa experimētalis, est præsentialis notitia habita de Deo, speciali modo supernaturali. Quæ nihil aliud est, quàm attingentia, & perceptio obiecti Diuini: Sic namque experimento probat anima, & de Deo experientiam captat ipsum immediatè attingendo, siue intellectu, siue voluntate. Dubitari nequit; quòd tunc ex vicinitate diuini obiecti experientiam habeat, quam antea non habebat, ex immediata attingentia, & perceptione. Patet in potentijs sensitiuis, verbi gratia, in gustu, & tactu, quando attingunt, & immediatè percipiunt obiecta per actus. Vnde Theologia experimentalis infusa attingit Deum, vt experimento perceptum, & ad ipsum terminatur, & ad sensationem spiritualem præsens intellectus, vel voluntatis.

Ex hac attingentia, & perceptione immediata experimentali Dei poti-

titur mens innefabilibus delicijs spiritualibus, & voluptatibus. Optimè Augustinus: *An vero habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non haberet voluptates suas; vnde dicitur: filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Da amantem, & sentit, quod dico.* Imo excellentiori modo mens habet suas voluptates, ac sensus. Ratio, quia mens viuacius, & efficatius propter nobilitatem suam attingit Deum, quam sensus suum obiectum, est enim tardus, & materialis. Deinde Deus obiectum perceptum excedit infinita perfectione ad se communicandum obiectum sensus.

Quia Theologia ista adæquatè sumpta, spectat etiam ad voluntatem, dicimus consistere, in attingentia, & immediata perceptione Dei per actum amoris. Eadem enim ratio est, ac de intellectu. In quacumque potentia experimentalis attingentia in eo tantum perficitur, quòd immediatè obiectum attingat, & percipiat. Tunc voluntas per amorem Dei intimum eius suauitatem degustat, & manna diuino fruitur. Vnde dicit Ricardus: *Amare, nosse est, quia amor notitia est, & nosse videre est.* Alio loco: *Amor vehemens (vt ait D. Augustinus) non potest non videre quem amat, quia amor oculus est, & amare videre est. Hoc oculo se vulnerari fatetur, qui ait: Vulnerasti me in vno oculorum tuorum.* Idem docuit S. Gregorius Hom. 27. in Euāg. & ex eo S. Thom. 2. 2. q. 172. art. 4. ad 2. Hæc est notitia experimētalis voluntatis, & perfectorum: *Non enim* (inquit S. Bonauentura) *si lego, quod dulcis est Dominus, propter hoc habeo notitiam experimentalem, nisi gustus spiritualis attingatur à dulcedine diuina, vt dicat cum sponsa: fructus eius dulcis gutturi meo. Vbi loquitur de gustu experimentali, & spirituali; & ista notitia experimentalis perfectissimorum est.*

Ricard. à S. Vict. in cant. p. 2. c. 10.

De gradib. char. p. 1. 1. c. 3.

S. Bon. itiner. 6. ætc. dist. 10.

Ex hac experimentali notitia tā ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, qua Deus communicatur animabus dilectis, intelliguntur, quæ communiter dicunt Doctores mystici, nempè, quòd anima amplexatur, deosculatur, tāgitur, fruitur, & alia similia. Tunc etenim nō solū diuina audit, videt, sed etiam quasi manibus tangere videtur, sicut ait S. Ioannes Euangelista: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Magnum est illud, quod fuit ab initio, magnum vitæ verbum, quod ab initio erat apud Patrem, & apparuit nobis, & tamen asserit, hoc audisse, oculis vidisse, perspexisse, & manibus contractasse. Perfruitus fuit experimentali notitia, & attingētia immediata obiecti diuini. D. Paulus Actuu. 17. *Deus diffiniuit statuta tempora, & terminos habitationis hominum, si fortè attrectent eū,* S. Dion. sup. de diuinis nomi. de Deo dicit, quod est *tactus, & sensus.* Quia tangitur, & sentitur spirituali perceptione.

Ioann. epi. 1. c. 1.

Nonnulli docent mysticam Theologiam experimentalem consistere in quadam notitia orta ex contemplatione infusa, & vnione cum Deo. Dicunt, quòd ex his gustat mens suauitatem Dei, ex qua oritur alia notitia ipsius nobilior secundum illud: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Videre sequitur gustare, & non prius videt, quam gustat. Deinde commentator Vercellensis sic vertit. S. Dionysium Areopagitam cap. 1. myst. Theolo. *Per eam* (scilicet Deū causam primam omnium) *omnis vnitus Deo, constituitur in excellentia, quam neque ratio inuestigat, neque intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à se ipso segregatur, & per vnionem dilectionis, quæ effectiua est veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multo meliori, quam sit cognitio intellectualis.* Ecce dicit vnionem esse causam effectiuam veræ cognitionis, quæ nobilior vnio intellectualis est.

Ps. 33.

Non capio hanc opinionem. In sensibus externis datur experientia circa sua obiecta; sic gustus attingit, & percipit suum obiectum immediatè per actum. Ex isto non oritur nouus actus nobilior, licet gustauit obiectum dulce. In Patria beati vident Deum, & amant ipsum, inebrianturque ab vbertate diuinæ essentiæ: quis dixit vnquā, quòd ex hac intima vnione oriatur alia visio nobilior, esseque effectiuam illius?

illius? Ratio manifesta est, quia in attingētia immediata, & perceptione obiecti fruitur obiecto, & possidetur perfectissimè, eo modo, quo possideri potest a potentia creata. Idem dicendum est de aliis potentijs, siue materialibus, siue spiritualibus. Aliter daretur processus infinitus; nam inquiro, si ex experientia primi actus, alius generatur, iste etiam erit experimentalis, imo perfectior, ergo generaretur ex illo alius, & sic in infinitum.

Illud gustate, & videte, idem est, ac dicere: experientia attingendo Deum per actum intellectus, & vnionē volūtatis, videbitis suauitatem illius, experientiamque habebitis de illo cōmunicata per actus, quam antea non habebatis. Etiam amor notitia est. Et S. Basilius super eundū locū: *Ipsa experientia cognoscite bonitatem Domini.* Sic explicant communiter Patres. In textu D. Dionysii non extant illa verba adducta pro illa opinione in nouissima impræssione. Quæ reperiuntur loquens de Moyse postquam expiatus est, & ab aliis segregatus, sunt hæc: *Tunc ab ipsis, quæ videntur, & ab his, quæ vident absolutus, & expeditus, in caliginem verè mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit, & in omnimodè intabicili, & inuisibili inhæret, &c.* Sed hic sanctus loquitur de contemplatione in caligine, & per negationem, & vnione ad ipsam secuta, vt testantur communiter eius commentatores, de quo alibi.

S. Dion. Areop. c. 1. myst. Theo.

Adducunt etiam S. Dionysium, qui cap. 7. de diuin. nomin. Inquit: *Est dignissima Dei cognitio per ignorantiam cognita, secundum vnionem, quæ est supra mentem, quæ est veræ cognitionis effectiua.* Quasi dicat, (aiunt) est notitia de Deo, quæ habetur de ipso per vnionem experimentalem cū ipso, ita vt prius ex parte Dei oporteat concipere ipsius Dei in animam illapsum, siue deosculationē vel complexū vnitiuum; ex parte verò animæ vnionem amoris, & perceptionē fruitiuam ipsius Dei, ex quibus resultat in intellectu altissima, & perfectimissima Dei cognitio experimentalis. Vnde Gerson dixit: *Theologia mystica est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris vnitiui complexum.*

Gers. de myst. Theo. spec. consi. 28.

Textus S. Dionysii non est ille in nouissima impressione, sed iste: *Est item Diuinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam quæ supra intellectum est vnionem, quādo mens à rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis vnitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur.* Non apparet hic vnio, quæ sit veræ cognitionis effectiua.

S. Dion. Areo. de diu. nom.

Agit Sanctus in hoc textu, vt explicat Dionysius commentator, de cognitione Dei perignorantiam, quæ est contemplatio mysticæ Theologiæ intensissima, & abditissima cum Deo locutio, & altissima Deitatis notitia, quam de ea in hac vita habemus, qua Deo cōiungimur, prorsus ignoto (idest non compræhenso, quia incōprehensibilis est à creatura) in qua contēplatione mens amorosa præardentissima dilectione à se ipsa alienatur, & absorbetur in infinitas delicias sui dilecti, obdormiens in eodem, iuxta quod scriptum est: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.* Gerson intelligitur de cognitione experimentali amoris, non causatiuè, taliter quòd causet aliam cognitionem, sed de cognitione formali, vt ita dicam, quia amor notitia est experimentalis obiecti, vt dictum est. De aliis generibus mysticæ Theologiæ infusæ à gratiis gratis datis prouenientis, dono prophetiæ, & diuersis reuelationibus, ac visionibus, in suis locis infra.

Dionys. Carth. ibi art. 8.

Psalm. 4.

CAPVT XII.

Dari potest in exercitio mysticæ Theologiæ infusæ actus amoris in voluntate sine præuia cognitione intellectus.

CErtum est, non posse voluntatem habere actum amoris modo ordinario sine præuia cognitione intellectus, quia iste ordo, & dependentia est naturalis, secundum dependentiam vsus ordinarii in his potentiis respectu suorum actuum. Solum procedimus de potentia absoluta, & extraordinaria; & in duplici sensu, ita quòd passiuè se habeat voluntas recipiendo actum amoris à Deo totaliter causatū; vel elicitiuè producendo talem actum sine præuia cognitione, vel contemplatione præuia intellectus.

potest, quomodo obiectum alliciat potentiam affectiuam, dando illi necessarium ad mouendum affectum. Ad hoc enim genus motionis, vel causalitatis est in tali obiecto apprehenso quod non reperitur in actione vitali phantasiæ, & sic potest illam supplere Deus.

Arist. 3. de anima tex. 38.

Hoc est petitio principij. Etiam Aristoteles expressè ait: *Qui contemplatur, necesse est vna cum phantasmate contempletur.* Idē sentit S. Dionysius dicens: *Impossibile est nobis superlucere diuinum radium, nisi veritate sacrorum velaminum circumuolutum.* Ex quibus affirmari poterit, operationem vitalem phantasiæ respectu intellectus pro hoc statu ita esse intimam, & vitalem, vt sine illa intelligi non possit, quomodo intellectus cognoscere possit pro hoc statu. Experiētia docet, quòd læsa phantasia, læditur, & rationis vsus, & eadem impedita somno, impeditur intellectus ad suos actus propter dependentiam naturalem manifestam.

D. Dion. Areop. c. 7 de diu. nom & de cœlest. Hier. c. 10.

Fateor pro hac opinione probabili D. Bonauenturæ, & aliorum Doctorum, qui in hac scientia diuina mystica experti fuerunt authoritatem mihi magni ponderis esse, cùm experientia sit magistra rerum, maximè in hac occultissima, & secretissima. Nec mihi arridet responsio aliquorum, nimirum, quòd non percipiant præuiam cognitionem, eo quòd tunc est confusa, & generalis, licet habeant eam, ac patiantur. Deinde, quia nimia claritate contemplationis, quodammodo offuscatur intellectus; vnde præaltissima Dei cognitione videtur, animam potius Deum ignorare, quàm cognoscere.

Inprimis, vnde probant illam cognitionem præuiam esse generalem, & confusam, non particularem, & distinctam? Quare non erit de mysterio Trinitatis, Incarnationis, &c. pro vt Deus voluerit communicare? Deinde, si esset in intellectu talis cognitio confusa, & generalis, media illa attingeret obiectum experimentaliter, ipsaque experientia est quasi noua notitia, nam per illam diiudicat intellectus de Deo, aliter ac anteà experientiam, vt dictum est cap. præcedenti. Gustat obiectum, percipit, & quasi tangit, illoque fruitur. Si ergo hæc omnia in intellectu non faciūt, vt percipiatur cognitio, idē dicendum erit de actu amoris in voluntate, tum, quia terminaretur ad Deum in generali, & in confuso, vt propositum, & apprehensum ab intellectu confusè, & nō distinctè; tum, quia ex hac attingentia actus amoris sentitur in voluntate talis actus experimentaliter, ergo sentietur etiam cognitio, vel neque illa, neque ille actus voluntatis; vnaquæquè enim potentia ex attingentia, & perceptione obiecti per actum, sentit, & percipit talem actum. Offuscatio à claritate nimia non euacuat difficultatem. Constat in potentia visiua, quæ respiciens solem intuitiuè offuscatur à luce illius, & tamen sentit se vidisse solem propter experimētalem actum, quo percepit obiectum ex attingentia illius, licet in caligine.

Opponunt aliqui, quòd tunc voluntas attingeret obiectum incognitum, & posset peccare sine vitiatione, quia libera est. Dicimus ad hoc, grauissimos Doctores defendere voluntatem posse magis amare aliquod obiectum, quàm intellectus cognoscere, S. Bonauentura: *Actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis actualis in aliquo gradu. In quantum autem eum præcedit, in tantum eum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu, ad quem actus intellectus extendi non potest.* Citat Hugonem à S. Victore in 7. Angel. Hierar. dicētē: Plus diligitur, quàm intelligitur, quia dilectio supereminet scientiæ, intrat dilectio, & appropinquat, vbi scientia foris stat. Dat rationem: *Amor præsumens, & confidens, ingressu à cumine penetrat omnia impetum sequens, ardentis desiderij sui, nec dissimulari valens, donec ad amatum perueniat, & eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, & esse cum ipso, & esse tam prope, vt si fieri possit, hoc idē sit, quod ipsum.* Citat Vercellensem super cantica. Angelicus Doctor: *Ad perfectionem amoris (inquit) sufficit, quod res, prout in se apprehenditur, ametur: Ob hoc ergo contingit, quod aliquid plus ametur, quàm cognoscatur.* Caietanus ibi: *Amor potest esse perfectus cognitione existente imperfecta.* Ex his videmus actū amoris excedere cognitionē in aliquo gradu attingēdo obiectum; necesse erit, quòd secundum illum gra-

S. Bo. itin. 5. ætern. d. 5.

S. Th. 1. 2. q. 2. art. 2. ad 2.

gradum attingat illud, vt incognitum, aliàs non excederet actum cognitionis, & cognitio attingeret obiectum in illo gradu, in quo exceditur; quod est contra prædictos Doctores. Non tamen ex hoc poterit peccare absque vsu rationis voluntas, quia determinatur quo ad specificationem actus, cùm nullum aliud obiectum proponatur. Deus enim, qui intimè est in voluntate, sicut in cęteris rebus, mouet voluntatem ad obiectũ, qua motione adhæret Deo per actum amoris, sentit amplexum, deosculationem, & tactum suauissimum diuinum experimentaliter, & per notitiam experimentalẽ suo modo experitur Deum, per intimũ amoris amplexum. Authoritates, quæ contra adducuntur affirmantes incognita, non posse amari, loquũtur de lege ordinaria, non de absoluta Dei potentia. In ordine ad meritum actuale, in isto casu, philosophandum est, sicut diximus, quãdo Deus adæquatè produceret actum amoris voluntate passiuè se habente. Per quod distinguitur ab appetitu causæ naturalis, & quia ordinario modo operatur media cognitione voluntas, determinaturque à se, quod non reperitur in principio naturali respectu suæ actionis, & motus, cùm determinetur a producente ad vnum.

TRACTATVS SECVNDVS DE CONTEMPLATIONE.

HVmana vita diuiditur conueniẽter à D. Thoma in actiuã, & cõtemplatiuam, quia natura hominum rectè intelligitur in eo quod intelligunt, & secundùm rationem agunt. Intellectus autem humanus diuiditur in actiuum, & cõtẽplatiuũ, nam finis intellectiuæ cognitionis, vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectũ contẽplatiuũ: vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectũ practicũ, siue actiuum. Caietanus ibi: contemplatiua non consistit in hoc, quod solũ vacet contemplationi veritatis; sed quod studium hominis sit principaliter ad cõtemplationem veritatis. Similiter vita actiua studet actionibus exterioribus, non solum, sed principaliter. Exprimitur hæc duplex vita in Martha, & Maria, vt passim reperitur in Sanctis Patribus.

S. Tho. 2. 2. q. 179. art. 1. & 2.

Per Liam, & Raquel, per Petrum, & Ioannem. Notat autem S. Bonauentura, quòd hæ duæ vitæ mutuo se excedunt secundum suas proprietates, quas sic declarat. Prima proprietas actiuæ vitæ est, diligẽtia vtilitatis, & necessitatis publicę, respectu rationalis: secũda est charitas erga proximũ cum cõpassione respectu concupiscibilis: tertia est fecũditas bonorũ operum in agendo cũ perfectione paciẽtiæ respectu irascibilis. In his contẽplatiua exceditur ab actiua. Prima proprietas cõtemplatiuæ, est contuitus pulchritudinis summæ maiestatis cum delectatione respectu rationalis: secunda est quies cum securitate respectu irascibilis: Tertia est munditia cordis cum bonitate respectu concupiscibilis. In his contemplatiua excedit actiuam. Hucusque Seraphicus Doctor. Tractatus præsens erit de vita contemplatiua, sequens de actiua virtutum.

S. Bon. 3. p. centiloq. sect. 46. td. 1. opusc.

CAPVT I.

Quid sit contemplatio in communi?

COntemplationem in cõmuni sic definit S. Bonauentura: est verus, certusque intuitus de quacumque re. Hæc communis est ad contemplationem philosophorum, & Christianorum. Versatur in quacumque materia, quando intellectus verè cognoscit aliquod obiectum simplici cognitione.

S. Bon. 3. p. centil. sect. 46.

Loquendo de contemplatione cõmuni ad contemplationem nostrã, industria acquisita diuina gratia, & de infusa, quæ Christianorũ est, variè definitur à Doctoribus mysticis, ex quibus sic describitur: contemplatio est libera, & sim-

simplex cognitio Dei, & rerum cęlestium ex amore procedens, & in amorē desiniens. Dicitur libera cognitio, siue intuitus, non quia procedat a volūtate ellicitiuè, procedit enim ab intellectu, sed (ait D. Bonau. alio loco:) *Quia libero quodam motu, & secundū spontaneum huc, illucque circum fertur, & nullo difficultatis obstaculo à discursionis suæ impetu impeditur, quin contemplanda contempletur, quātum potest.* Ratio est, nam tunc intellectus liber est à sensibus, & imaginatione in operando, quia licet antea dependebat à sensibus, per quos mittuntur species sensibiles ad phantasiam, & phantasia cum intellectu agente illas fecerunt spirituales, vt intellectus possibilis producat contemplationem; iam his non indiget, quoniam transierunt, sicque manet in regione superiori, & libera ad diuina contemplanda.

S. Bon. de sep. itiner. ætern. itin 3. dist. 2.

Optimè sic explicat Gerson: imaginemur conformiter, ad D. Augustinum in suo de Trinitate, quòd sit aliquis supra montem excelsum valdè: cuius cacumen, neque venti, neque nubes attingant: Sicut de Olympo narrant Aristoteles: subtus verò quantò sit descensus procliuior ad infima, tantò est illi tenebrositas inquietior per commixtionem, & quandam incorporationem radiorum solarium cum cæteris impræssionibus, vt sunt venti, pluuiæ, niues, & grandines, & similia. Constat hoc exemplo, quòd homo limpidius, & expeditius circunfert oculos suos ad serenum lumen solis, & cœli, dum sublimius euectus est in quadam regione pura, & tranquilla collocatus; cuius oppositum cernitur, dum ad inferiora dilabitur. Ad hoc exemplum respicit illud Psal. Quis ascēdet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius. Ductio quoque illa discipulorum in montem excelsum, dum transfiguratus est Iesus ante illos, & ascensus Moysis in montem Synai, dum è medio vocatus est. Conuertamus nunc ex hac re sensibili considerationem nostram ad tres vires animæ, quæ sunt: intelligentia, ratio, sensualitas, vel imaginatio. Comparemus sensualitatem infimo mōtis, rationem medio, suppremo intelligentiam: Inuenimus, quòd, si anima stare posset in arce intelligentiæ, sine delapsu in inferiora, ipsa poterit libero intuitu circumquaque semet diffundere, nunc antè, nunc retro, nūc dextrosum, nunc sinistrorsum. Hic est oculus contemplationis, qui in Adam ante lapsum viuacissimus, purissimus, & expeditissimus fuerat. Hæc ille. Nihil omittere potui. Alia scitu digna ad intentum prosequitur.

Gers. 3. p. Centil. con sid. 24.

Vocatur simplex cognitio Dei, in quo discernitur à cogitatione, & meditatione, licet circa vnam, eandemque materiam versentur, scilicet, circa vnum obiectum. Quomodo discernātur, benè Ricardus: *Cogitatio per deuia queque lento pede, sine respectu perueniōnis passim huc, illucque vagatur. Meditatio perardua sæpe, & aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio est sine labore, & fructu* (est enim improuidus animi motus ad euagationē pronus) *In meditatione est labor cum fructu. Contemplatio permanet sine labore cum fructu. Sub vno visionis radio ad innumera se diffundit.* Vnde quātò animus in cęlestiū cōtēplatione se exercet, sine labore delectatur, & delectando, admiratur, profundiusque illuminatur. Semper inuenit, quod miretur, & vnde delectetur, quia nunquam est copiosior materia admirandi, & nusquā vtilior causa delectandi.

Ricar. Victor. lib. 1. de contem. c. 3.

Itaque cogitatio, quæ species orationis est, non figit pedem, sed vaga procedit in suis motibus. Declarat Casianus: Cùm cępit mens cogitare de aliquo loco Sacræ Scripturæ, insensibiliter eo sub tracto ad alterius Scripturæ textū nesciens deuolbitur, nec ad integrū ventilatur, eodemque modo ad alios textus recurrit instabilis, & vaga. *Nihil pro arbitrio suo praeualens, abiicere, vel tenere, nec pleno quicquam iuditio vel examine finire. Atque in hunc modum nihil disciplinatè, nec opportunè recipitur, vel dimititur, & veluti fortuitis agi videatur incursibus.* Tunc magis dicitur tāgere cęlestia, quā apprehendere. Quare mēs nec meditationē habet, nec cōtēplationē. Aliquādo sistēdo in cogitationibus bonis vehemēti desiderio inquirendo veritatē, inuenit, & sic excedit cogitationis modū cogitatioq; in meditationem transit. At licet talis meditatio non remaneat extra

Casi. lib. 12 collat. cap. 15.

 hæ-

hæret superficie, sed interiora penetret, attentè consideret, ac rimetur, fit per discursum, qui pluribus actibus componitur; contemplatio vero vnicus actus simplex est sine motu, & discursu ad exẽplar (licet valde diuersum & imperfectum) simplicis intelligentiæ diuinæ, quæ vnico contemplationis intuitu cognoscit præsentia, præterita, & futura: & instar centri intelligibilis stabilis manens, dat cuncta moueri, sic vnica, & inuariata respicit, & intelligit omnia, quæ motui subiecta sunt.

Ex his cõstat animã diuersis motibus operari cogitãdo, meditando, & cõtẽplando; pro cuius maiori intelligentia, scire oporret, quòd S. Dionysius triplicem motum assignat in anima, prout motus dicitur actus perfecti (secundum Philosophũ 1. de anima text. 28.) nẽpe orbicularem, obliquum, & directum, quos sic explicat: *Animi motus orbicularis eius est ab extraneis in se ipsum introitus, spiritualiumque ipsius facultatum vnimoda inflexio, quæ quasi in circulo fixum, & ab omni errore, liberum motum ei tribuit.* Ecce contemplationis natura, & motus liber, vt explicatum manet; alienus à sensibus, vniusq; facultatibus per modũ vnius factus tendit in Deũ. Prosequitur Sanctus: *Quasi iam vnius modi effectum, coniunctis vno modo facultatibus, atque ita demum ad pulchrum, ac bonum manuducit, quod suprà omnia quæ sunt, & vnum, & idem, & sine principio, & sine fine est.* Paraphrasis Pachymere: *Animæ status* (ait) *est immobilitas, & stabilitas propriæ substantiæ. Motus autem circularis est, quando mentis contemplatione scietur, & in se ipso factus primum in se ipsum cogitur, & exinde ad Deum manuducitur.* Vocat Dionysius contemplationem motum liberum, ab omni errore, quia secundum Philosophũ, phantasia aliquando est recta, interdum non recta. Contemplatio semper recta, & vera, quia versatur circa Deum, vt obiectum summè verum.

S. Dion. c. 4. de diui. nom.

Agens de motu obliquo, inquit, Princeps mysticæ Theologiæ: *Oblique vero scietur animus, quando pro captu suo notionibus diuinis illustratur, nõ spirituali quidem vnito modo, sed cogitando, & discurrendo, quasi per mixtis, fluxisque actionibus.* Acsi dicat: anima ratiocinatione, & euagatione, idest, in particularia diuisa, atque ex communicatione addiscens intelligit; mens enim ad ratiocinationes descendens aliquo modo diuiditur in operando, & pluribus speciebus, seu exemplaribus sensibilibus indiget, dum ratio modum inquirit, vt exprimat quod intellexit. Sic operatur anima per mixtionem, & diuersos actus circa diuersas species, per meditationem, & passim per cogitationem: quæ in contemplatione non inueniuntur.

De motu recto animæ dicit hæc: *Directè vero mouetur, quando non ad se ipsum* (animum) *ingreditur, neque singulari motu spirituali fertur, (nam hic motus circularis est) sed ea, quæ ipsi vicina sunt, progreditur, & à rebus externis, non secus ac signis quibusdam varijs, ac multiplicibus, ad simplices, & vnitas contemplationes reuocatur:* Hic agit sanctus de meditatione per creaturas visibiles, per quas anima meditando procedit vsque ad contemplationem Dei, quando meditatio transit vsque ad contemplationem, meditatioque cessat, quæ media phantasia fit, & per eam ex creaturis ascendit mens ad cognitionem creatoris, tanquam per signa, & symbola quædam directa. In hoc longè distat contemplatio in perfectione à meditatione per creaturas; nam contemplatio immediatè Deum attingit, bibit que lucem in proprio fonte lucis immediatè; meditatio autem per speculum creaturarum, in quibus Deus ipse resplendet. Patet in speculo materiali; puriùs, & perfectiùs recipit immediatè solis lucem, quam oculus, qui eam in speculo videt. Vndè dixit Ricardus: *Per contemplatiuos debemus illos intelligere, quibus datum est facie ad faciem videre; qui gloriam Domini reuelata facie contemplando, veritatem sine volucro vident in sua simplicitate, sine speculo, & absque enigmate.* Lege D. Th. 2. 2. q. 80 art. 6. in corp.

Ricar. à S. Vict. in Ps. 113.

Additur in diffinitione contemplationis, ab amore procedens, & in amorem definiens, vt denotetur, quod distinguitur Christiana, à philosophica; ista enim consistit in speculatione veritatis tantum; illa verò imperatur à charitate, & intendit charitatem, quia practica est ex intentione operantis. Itaque contemplatio nostra prin-

principaliter consistit in operatione intellectus veritatem diuinã attingentis includens actum amoris. Expressit D. Gregorius: *Contemplatiua vita est, charitatem quidem Dei tota mente retinere, soli desiderio conditoris adhærere, vt nihil iam agere debeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndum faciem sui creatoris inardescat. Contemplatiua vita hic incipitur, vt in cœlesti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat viderit, in amore ipsius magis ignescit.* Consistit in hoc perfectio vitæ contemplatiuæ, nempè in cõtẽplatione veritatis diuinæ, & in amore Dei.

S. Gregor. Mag Hom 4. in Ezechiel.

Notat autem D. Bonauentura ex Ricardo Victorino lib. 1. de arc. mystic. cap. 4. quòd contemplatio est suspensio mentis ex admiratione causata. Ex nouitate enim rei, quæ est supra spem, & nostram æstimationem oritur admiratio, ex admiratione accrescit attentio, ex attentione cognitio, & ex his mentis suspensio. Sic dum humana intelligentia diuino lumine irradiata intelligibilum cœlestium contẽplatione suspenditur, dum eorum admiratione admodum, auroræ dilatatur. Vnde quantò ab infimis fit remotior, tantùm semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Ex quo sequitur, quòd tantò in superioribus diutius suspenditur, quantò à retrahentibus elongatur, & dilatatur. De hoc suspendio dicit Iob: *Suspendium elegit anima mea.*

S. Bon. itin 3. atern. dist. 2.

Iob. 7.

CAPVT II.

Duplex est contemplatio Christiana.

COntemplatio fidelium duplex est, vna acquisita humana industria cum gratia, altera infusa supra nostram industriam. Acquisita est simplex cognitio Dei, ac cœlestium rerũ, ab amore procedens, & in amorem desiniens, nostra industria acquisita cum diuina gratia. Manet explicata capite præcedenti agenti de contemplatione in cõmuni, solum restat explicandi illa differentia: nostra industria acquisita, quę contrahit rationem communem contemplationis ad particularem, & quasi specificam quodammodum. Dicitur nostra industria acquisita, quia fit labore media meditatione per res sensibiles, & materiales ordinario modo. Inquit S. Dionysius, quòd non possumus imitare contemplatione cęlestes Hierarchias, nisi vtamur priùs rebus materialibus: *Quandoquidem fieri non possit, vt mens nostra ad immaterialẽ illam cœlestium Hierarchiarum imitationem, ac contemplationem intendatur, nisi è propinquo materiali vsa fuerit manuductione.* Vbi sanctus Maximus scholiat: *Materialem manuductionem vocat, dictis rebus materialibus, ad ea quæ supra sensum sunt considerandà adduci.* Consonat S. Gregorius Theologus dicens: *Impossibile est ei, etiam qui valde festinat, vmbram suam transire (tantum enim semper vmbra anticipat, quantum anteuertitur.) aut sicut fieri non potest, vt extra aquam piscis natet; sic non potest fieri, vt qui in corpore sunt absque corporeis, cum iis, quæ intelligentia complectuntur, omnino sint. Semper aliquid de nostris rebus incercidis, quamuis se mens ab iis quæ cernuntur, maximè auocet; & sola secum collecta cognata, & inaspectabilia intelligentia assequi nitatur.* Propter hanc naturalem dependẽtiam intellectus à rebus sensibilibus indiget labore meditationis, vt ad contemplationem acquisitam perueniat. Concedit idem S. Thom.

S. Dionys. Areop. ca. 1. de cælest Hierar.

S. Gregor. libr. 2. de Tholog.

Huiusce modi contemplationem vocat ex Ricardo Victorino S. Bonauentura, quæ in ratione secundũ imaginationem formatur, quia rerum visibilium similitudine multifaria in rerum inuisibilium, speculatione sublematur. Consistit in ratione, quia in his solum, quæ imaginationem excedunt, per intuitionem, & inuestigationem insistit, vt quæ sunt inuisibilia. Dicitur autem secundùm imaginationem formari, quia in rerum visibilium imaginatione in hac speculatione similitudo trahitur, vnde in rerum inuisibiliũ inuestigatione animus adiubetur; sicque trahit mens in sui adiutorinm ad contemplationem formandam imaginationem rationalem, quæ est, quãdo aliqua imaginamur rationabiliter, per quod distinguitur ab imaginatione bestiali, per quam discurrimus, sine deliberatione, & vtilitate. Hunc modum contemplationis per imaginationem ex-

S. Thom. 2. 2. q. 180. ar. 3. ad 2. S. Bon. itinerar. 3. ætern. ar. 3 Ric. Victor libr. 1. de cont. ca. 6.

explicat, ac probat idem Ricardus ex illo textu Apostoli: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Manifestè* (ait) *ex hoc colligitur, quod ad inuisibilium cognitionem, nunquam ratio consurgit, nisi ei ancilla sua videlicet imaginatio, rationi visibiliũ formam repræsentet. Sinè imaginatione corporea nesciret, sine quorum cognitione ad cœlestium rerum contemplationem non ascenderet.* Lege Authorũ de spiritu, & anima.

Ricar. Vict. Benia. min cap. 5. Auth. de spirit. & anim. c. 1. apud Aug. to. 3.

Constat igitur istam contemplationem requirere imaginationem, & rationem, siue intellectum. Vndè ineptè quæritur per solam imaginationẽ, nec totaliter fit per solam rationem, licet vtraque potentia adiuuet, & suos limites non transeat. Aliqui illuduntur existimantes contemplationem fieri in imaginatione, maximè melancolici, in quibus efficaciter operatur melancolicus humor; redduntur que, vel phantastici, vel insani, qui dum insequi credunt elatissimos viros, & abstractissimos in suis modis contẽplandi, contemnũt autem modum eorum in vita actiua, & vtilia excludendo, & conuertendo se ad se, & supra se, nihil aliud referunt nisi phantasias, & errores: quantumlibet videantur sibi ipsis eleuatorum virorum in contemplatione viam tenere. Redduntur in fabulam, & risum, quia per solam imaginationem quærunt, quod per rationem, & intellectum fit. Contemplatio enim est actus intellectus attingens Deum immediatè, sine alio medio, iam depuratus à phantasmatibus, quæ sunt in imagines materiales, fiuntque spirituales per abstractionem intellectus.

Contemplationem acquisitam facilem reddit meditatio discursiua dupli ci ratione. Prima, quia meditatio, si debitè fiat, abstracta est à sensibilibus, sicut contemplatio; vtraque enim est actus intellectus. Secunda, quia facta sedula inquisitione veritatis per meditationem, quæ abstrahit quidditates rerum à sensibilibus, generatur habitus per frequentationem actuum, quo depuratur intellectus, fitq; lucidior, quãtò tenebrosus est per cogitationem, permixtam sensualitati. Hinc Gerson docet meditationem transire in cõtemplationem, sicut cogitatio transit in meditationem. Idem tenet Ricardus. Non sic intelligendi sunt, quod meditatio sit contemplatio; hoc enim est impossibile, nam meditatio componitur ex pluribus actibus, cõtemplatio autem est actus simplex incompositus, & nulla res potest esse ex natura sua simplex, & composita simul. Voluit dicere, quòd per meditationem veritatem diu quæsitam, tandemque inuentam, mens solet cum auiditate suscipere, mirari cum exultatione, & veritati inuentæ per meditationem simplici actu inhærere. Hoc est meditationem in contemplationem transire, sed iam cessat meditatio, & deficit, manetque contemplatio.

Gers. 3. p. Cent. consider. 24. Ric. Victo. de præpar. ad cõtemp. 87.

Alteram contemplationem acquisitam assignat S. Bonauentura ex Ricardo Victorino, quæ non dependet ab imaginatione, formaturque in ratione secundum rationem, & versatur circa illa, quæ imaginatio non nouit, nimirũ circa quæ mens ex ratiocinatione collegit, vel per rationem apprehendit de diuinis rebus. Tali contemplationi insistimus, quando inuisibilia, quæ per experientiam nouimus, & intelligentia capimus, in cœlestium contẽplationem assurgimus. Hæc contemplatio in ratione consistit, quia sensibilibus remotis, solùm intelligibilibus intendit. Dicitur secũdum rationem, quia illam non excedit in modo. Aliquando talis contemplatio acquisita est supra rationem, quando fit per fidẽ de mysterijs diuinitatis, & alijs, quæ credimus, ad quæ nulla ratione humana est potens; tamen non est præter rationem, quia ei quòd per intelligentiæ aciem cernitur, humana ratio contraire nõ potest: quin potius facilè acquiescit propter primam veritatem reuelantem.

S. Bon. sup.

Contemplatio supernaturalis, & infusa est supernaturalis, & libera cognitio Dei, & cœlestium rerum, ab amore procedens, & in amorem desiniens, proueniens a Spiritu Sancto speciali luce, & motione. Conuenit cum contemplatione acquisita nostra industria cum diuina gratia in omnibus, præter illa. Speciali luce, & Spiritus Sancti motiones per quæ ab illa secernitur: Ista namque modo supernaturali, & infuso procedit, non auxilio communi, sicut illa. Vide dicta supra satis: & in quo differant, secundum modum, secundum principia, & effectus, sicut, & in quo conueniunt. Contingere tamen

Tract. 1. c. 1. & 5. vsque ad 10.

men solet aliquoties, quòd mens operetur contemplatione acquisita, & tunc eleuetur ad infusam, provt Deus vult. In tali casu cessat acquisita, & permanet infusa; eo modo, quo diximus, quando meditatio transit in contemplationem.

De his tribus modis contemplationis, nempè acquisitæ, & supernaturalis, infusæ, & acquisitæ, eleuatæ ad infusam, agit Ricardus, exemplo Moysis, & Beseleel: Moyses Arcam in mõte, & nube sine vllo industriæ labore ex sola Domini reuelatione vidit. Beseleel proprio labore formauit, & formatam vidit. Contemplatio ergo acquisita fit industria humana cum gratia communi: infusa ex sola diuina gratia modo supernaturali: altera ex vtriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & diuinæ gratiæ. Solent explicari hoc simili: nauis aliquãdo mouetur propria industria, & labore, appræhensis velis: aliquando ex pansis flantibus ventis sine labore prosperè nauigamus: aliquando tandem, & velis, & remis mutuo se adiuuantibus.

Ric. Victor. libr. 5. de cont. ca. 1. & 2. Exod. 25. & 35.

CAPVT III.

De contemplatione acquisita per affirmationem, & negationem.

CElebris est apud S. Dionysium, Sãctos Patres, ac Theologos Scolasticos duplex contemplatio acquisita (sicut, & infusa) per affirmationem, seu positionem, & per negationem, seu ablationem. Contemplatio per affirmationem de Deo dupliciter fit. Primò, prout Deus ipse concipitur à nostro intellectu secundum eas proprietates, ac perfectiones, quæ illi ex natura rei, seu substantialiter conueniunt respectu sui. Agit de ista S. Dionysius, cum dicit: *Age porrò, si placet, veram, æternamque vitam, etiam, vt sapientem, ipsamque sapientiam celebremus. Non enim Deus, tantùm supra, quã plenus sapientia existit, & intelligentiæ eius non est numerus, sed supra omnem rationem, & mentem, & sapientiam collocatur.* Vbi S. Maximus: siue igitur sapientia, siue intelligentia, siue vita, siue substantia à nobis concipiatur, supra hæc omnia est, non tanquam horum expers, &c.

S. Dionys. Areop. ca. de diuin nom. S. Maxim.

Contemplatio hæc per affirmationẽ de Deo fit per fidem, qua credimus ipsum Deum, eiusq; perfectiones, quòd insinuat S. Dionysius, his verbis: *Cum scire debeamus mentem nostram pollere vi intelligendi, qua res intellectiles* (idest spirituales) *contueamur tamen istam vnionem, qua rebus superioribus coniungitur naturam ipsius longè superare.* Vocat contemplationem vnionem cum Deo, quæ superat mentem nostram, quia fides, à qua procedit, est donum Dei supernaturale. Magis se explicat, dicens: *Verùm si more nostro ea, quæ supra nos sunt, accipiamus, familiaribusque sensibus nobis inhæreamus, atque diuina cum rebus nostris conferamus, fallimur, si secundùm id, quod de foris apparet diuinum numen, & arcanam illa rationem metiamur.* Excedit talis contemplatio eminenter omnia sensibilia materialia. Versatur circa diuinam, *id est* (ait Carthusianus:) *Super naturalia, quæ sola fide tenentur.*

Dion. Car. lib. 7. de diuin. nom. art. 8.

De eadem contemplatione egit ipse S. Dionysius in Theologicis informationibus Theologiæ affirmantis: Quomodo, scilicet, diuina, bonaque natura vnica dicatur, quomodo trina, &c. lib. 2. de diuin. nominib. fusè tractat de hoc mysterio, attributisque diuinis per affirmationem. S. Bonauentura sic explicat: *Per positionem primo intelligimus in diuinis esse quædam, vt communia, quædam vt propria. Contemplare, si potest, circa Deum communia, & vide, quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata, quæ necessariam habent consequentiam.* Prosequitur de proprijs, quæ sunt Trinitatis per viam positionis. Denique S. Dionysius cap. 1. mystic. Theolog. inquit. *Opportet in ea* (Deo,) *vt omnium causa, omnes entium affirmationes statuere, ac de ea affirmare; quin illas ipsas omnes de ea magis propriè negare, tamquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes, affirmationibus esse contrarias, sed ipsam multò priorem, & superiorem priuationibus esse supra omnem, & ablationem, & positionem.* Agit cõtra eos, qui Deum cognoscebant solùm naturaliter per naturales res, non per supernaturalem cognitionem fidei.

S. Bona. de paru. bon. part. 3.

Hic docet in Deo ponere, & affirmare, eo nimirum modo, quo Deum de-

decet, enunciando de ipso omnium entium affirmationes, dicendo, verbi gratia, Deus est vita, bonitas, misericordia, &c. Negationes affirmationibus non esse contrarias dicit, quia non eadem, eodemque modo affirmantur, & negantur. Lege ibi S. Maximum, & Pachimeram. Ad istam contemplationem, per affirmationem pertinent omnia nomina positiua Dei, vt quando D. Dionysius de diuin. nomin. ca 5. & 11. vocat illum: *Per se esse, per se vita, per se sapientiam*, & similia, quæ soli Deo competunt: nulla enim creatura est per se, quòd est, sed per participationem; solus Deus est ipse qui est, idest, sua essentia, & suum esse. Idcirco idem Sanctus cap. 2. ait, hæc nomina, tanquam Deo decentia attribui diuinitati trium personarum imparticipatè, atq; adeo plenè, & essentialiter, ac proinde absolutè, & perfectè, sicut ipsa diuinitas est in qualibet persona ex tribus tota, perfecta, integra, & plena.

Secundo modo fit contemplatio per affirmationem de Deo, vt causa omnium creaturarum, de qua agit S. Dionysius cap. 5. de diuin. nomin. dicens: *Quod est effector entis, existentiæ, personæ, substantiæ, naturæ, &c.* Sicq; explicat *Deus non quouis modo est ens sed simpliciter, & infinitè totum esse in se complexus.* Quia omnibus dat esse per sui esse participationem, & ipse est omnia secundum causam, & suo esse omnia, quæ sunt, & quomodocumq; sunt, facit esse, in ordine naturæ, & gratiæ; sic est causa absoluta, & incircumscripta. Vide Dionysium Carthusianũ ibi, art. 6. qui latè ad intentum scholiat hũc textum. De gemina ista contẽplatione S. Bernardus. Et non solùm est causa, quia creaturas producit; sed quia in ea continentur eminentissimè, vt primum principium earum infinitum. Sicque ex contemplatione huius primi principij, & causæ se extendit contemplatio ad creaturas, tanquam ad obiectum secundarium, & materiale, eo quòd ibi relucent, tanquã in suo principio. Vocatur similis contemplatio per descensum; nam de suppremo extenditur ad inferiora.

S. Bern. de vit. solita. prop. fin.

Et cùm creaturæ sint veluti vestigia Dei propter participationem, formatur etiam contemplatio Dei per affirmationem ex effectibus creatis, tanquam per quosdam gradus scalares, quia causa in effectibus suis relucet. Hanc vocat S. Thomas cognitio secundum ratione causæ, & effectus; diciturque contemplatio per ascẽsum, quoniam ascendit mens de inferiori ad superius, secundũm illud, *inuisibilia Dei, &c.* De vtraque contemplatione meminit D. Dionys. cap. 1. mystic. Theolog. Illam autem, quæ per ascẽsum fit, cognouit Ricardus in scala Iacob: *Scala (ait) vsque in Cœlum porrecta ante oculos eius erigitur. Dominusque innixus scalæ conspicitur, fœlix cui visibilium scientia fit scala ad inuisibilia cognoscenda.* Appellat pulchrũ spectaculum videre huius scalæ scalaria modo congruo, & proportionabiliter locata, vt per multiplicem creaturarum differentiam paulatim se animus ad superiora promoueat, per uectionisque gradus semper ad altiora conscendat, donec inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, & Dominus innixus scalæ videatur, fortè in ascensu à creaturis ad Deum, & descensu à Deo ad creaturas Angelorum per scalam adumbrata fuit gemina illa contẽplatio per ascensum, & descẽsum. Contẽplatio igitur Dei per affirmationem, vel positionem est positiua; quæ explicatur arte pictoria, nam pictor imaginẽ format colores coloribus addẽdo.

S. Thom. in 3. dist. 35. q. 2. ar. 2. q. 2. & lect. 3.

Ric. à S. Vlctor. tra. 3. de exterm. mal. & promot. bon. c. 16. par. 1.

De contemplatione per negationẽ, seu ablationẽ multis in locis, agit D. Dionysius, præcipuè tamẽ, lib. 5. myst. Thol. vbi ait. Rursus autem ascendentes dicimus, quòd neq; anima sit (scilicet Deus,) neq; mens, neq; rationẽ intelligentiam habeat, neque viuit, neq; vita est, neque substantia, nec vnũ, nec vnitas, neque bonitas, nec est filiatio, neque paternitas, &c. vult dicere Deũ non esse hæc omnia, vt nos cognoscimus eum, sicut ipse affirmat expressè, quia quatenus est Deus, nemo cognoscere potest eum, cum sit infinitè super omnia creata. Sic omnes expositores. Itaque contemplatio hæc fit hoc modo. Deus non est vita, substantia, &c. vt mens per creaturas, & in creaturis cognoscit, sed est qui omnia creata, & creabilia infinitè excedit natura sua, & perfectionibus. Vndè talis contemplatio dicitur cognitio, & ignoratio, cognitio, quia Deus cognoscitur, quia est ignoratio, nam fit per ablationem similitudinum creaturarum cum eo. Quare

S. Dion. c. 7. de diuin. nom.

Quære alio loco, inquit Dionisius: *Quo circa Deus in omnibus cognoscitur, & separatim ab omnibus, & per cognitionem Deus cognoscitur, ac per ignorantiam. Et est de Deo cognitio, scientia, & nomen, & alia omnia. Et neque intelligitur, neque nominatur, nec est aliquid eorum, quæ sunt, nec in aliquo eorumque sunt, cognoscitur; & in omnibus, omnia est; & nihil in vllo, & ex omnibus ab omnibus cognoscitur, & à nullo ex vlla re.*

Pro maiori inteligentia sciendum est, quòd tribus modis ascendimus ad cognoscendum Deum ex creaturis. Vno modo auferendo ei neganter, tanquam non decencia, quæcumq; creata cernuntur; quia nihil eorum Deum esse dicimus, sed omnia negantes, dicimus: Non est Deus Angelus, neque anima &c. Alio modo perfectiones creaturarum, vt vitam, sapientiam, & alia huiusmodi remouẽdo à Deo, quia sapientia Dei omnem sapientiam creatam excedit, & vita Dei, omnem vitã, & reliquæ perfectiones reliquas omnes perfectiones creaturarum superãt. Tertio modo, quatenus omnia sunt à Deo creata, quęcumque in natura rerum, & vniuersitate mundi sunt, & in illis reperiuntur bona à Deo cõmunicata, vt sapientia, bonitas, & cętera huiusmodi. Hoc tertio modo cognoscitur Deus à nobis per creaturas. Duobus alijs modis per remotionem Deus ignoratur; quia compræhendi non potest, vt docet S. Maximus. Ratio est, quia modus noster cognoscẽdi Deum est limitatus ex parte modi cognoscẽdi; atque ita semper manet Deus nobis incognitus, & ignoratus. Non ergo mirum est, si ignoretur, maioris admirationis est, si sciatur. Eruditè S. Augustinus: Diximus (ait) aliquid, & sonuimus, aliquid dignũ de Deo? Imò verò me nihil aliud, quàm dicere voluisse sentio Hoc vnde scio, nisi quia Deus ineffabilis est? Quod autem à me dictum est, si ineffabile esset; at per hoc ne ineffabilis quidem Deus dicendus est, quia & hoc cũ dicitur aliquid dicitur: & fit nescio quæ pugna verborum: quoniã si illud est ineffabile, quod dici non potest, nõ est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest. Contemplatio per negationem magis innotescet sequenti capite. De vtraque agit S. Damascen. lib. 1. de fid. cap. 4. S. Bonau. sup. S. Cyprian. de Cardin. operib. Christ. prolog. S. Aug. libr. 5. de Trinit. cap. 1. & alij Patres.

S. Maxim. sup. 7. de diuin nom.

S. Aug. lib. 1. de doct. Christ. cap. 5. & 6.

CAPVT IV.

Contemplatio de Deo per negationem mystica est actus positiuus, tendens in Deum, illumque attingens, sine phantasmatibus.

VAriis sententiis, ac modis philosophandi relictis propter breuitatem (quæ latè, & doctè videri possunt in Carthusiano) sentio cum illo, alijsque Doctoribus, contemplationem mysticam per negationem cõsistere in actu positiuo intellectus attingente Deum, sine dependentia phantasmatũ. Quoad primam partẽ, scilicet, quòd sit actus positiuus attingens Deum, sic ostenditur, omnis intellectio actualis, realis, vera, & positiua, terminatur ad obiectũ reale verum, & illud attingit, sed contemplatio ista est notitia actualis realis de Deo, ergo maior in tota methaphisica certissima est, aliter intellectio esset vana, & phantastica, minor probatur, ex D. Dionysio, qui postquam dixerat, Deum esse supra mentem, & substantiam, addit: *Supra mentem cognoscitur. Et illa perfectissima in bonam partem ignoratio, notitia est eius, qui est supra omnia, quæ in cognitionem cadunt.* S. Maximus ibi notat, quòd hæc ignoratio, de Deo non est similis ignorationi, quæ per insciẽtiam existit, sed quòd: *Quãtò magis quis à Deo illustratur, tantò magis ad eam, quæ de Deo habetur, cognitionem ascendens, diuinam incomprehẽsibilitatem cognoscet, idest, illam Dei ignorationem, lucem esse atque cognitionem, quæ cuncta cognoscibilia trãscendat. Itaque non secundùm priuationem dicitur illa Dei ignorantia, sed per excellentiam, & excessum cognitionis.* Cognoscit tunc mens Deũ, qui sibi, & alijs creaturis incognitus, & incomprehensibilis existit. Concors est paraphrasis Pachymera.

Dionys. Cart. ca. 5. myst. Theolog. q. 2.

S. Dionys. epist. 1. ad Caim.

S. Maxim.

Iterum S. Dionysius agens de ista contemplatione, inquit: *Est diuinissima Dei notitia, quæ per nescientiam accipitur, secundum illam, quæ supra intellectum est vnionem, quando mens à rebus omnibus recedens; ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus*

S. Dionys. lib. de diu. nom. ca. 7.

bus radiis vnitur, quibus in illo inscrutabili sapientiæ profundo collustratur. Si positiua non esset Deum attingens, quomodo vocaret eam diuinissimam Dei notitiam? Et quidem perfecta est, quia mens procedit per viam negationis creaturarum, & se ipsam deterit in modo positiuo affirmationis, & fulgẽtibus illustrationibus diuinis euadit perfectior contemplatio, & vnio cum Deo ex parte intellectus, siquidem notitia vim habet vniendi potentiam cum obiecto, sicut amor in voluntate.

S. Bon. lib. de paru. bonis par. 3. Confirmat, & explicat, hanc doctrinam D. Bonauẽtura. Alia est (inquit) eminentior per viam negationis: quia vt dicit Dionysius, affirmationes incompactæ sunt; negationes verò, licet videantur nihil dicere, plus tamen dicunt. Est etiam supereminentis positionis inclusio, vt cum dicitur: Deus non est quid sensibile, sed supersensibile; nec imaginabile, sed superimaginabile, nec intelligibile, sed superintelligibile, nec existens hoc, vel hoc, sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem, & altius eleuatur, & profundius egreditur pro eo, quòd excedit se, & omne creatum. Hic est nobilissimus eleuationis modus; tantò est vigoriosior, quantò vis ascendens est intimior, tantò fructuosior, quantò affectio proximior. Hucusque Seraphicus Doctor idem docet itiner. 3. æter. dist. 4. art. 4. Proprius accedit ad veritatem, qui dicit: Deus non est hoc, quod nos existimamus, aut concipimus, quippe quid infinities perfectius, idque in ordine transcendentali, ac supernaturali, quã ab vllo intellectu concipi, aut cogitari possit. Est notitia, quæ quasi in silentio cognoscit, quoniam Deus incognoscibilis sit à creatura, quia incomprehensibilis est, & à se solo comprehenditur.

Nusquam magis se explicat (ait S. Maximus) D. Dionysius in huiuscemodi contemplatione positiua Deum attingente, quã in cap. 2. myst. Theologiæ, etiam exemplo ad intentum sic loquens: *Nos in hac supra quam lucente caligine versari exoptamus, & per visionis, cognitionisque negationem videre, & cognoscere, id quod supra visionem, cognitionemque existit, hoc ipso quod non videmus, neque cognoscimus, hoc enim est verè videre, & cognoscere, & supra essentialem supernaturaliter laudare per omnium rerum ablationem, non secus ac qui statuam dedolant, auferentes omnia, quæ circumposita claram formam latentis visionem impediebant, ablatione sola genuinam eius occultam pulchritudinem manifestant.*

Vocat, ingredi sub diuinam caliginem non videndo, & nesciendo videre, & cognoscere, quod est supra visionem, & cognitionem, videre, in qua, & cognoscere hoc ipso, quod non videmus, & cognoscimus, sic in Epistola ad Dorothæum, illam caliginem in quam ingressus est Moyses in monte, interpretatur Dionysius mysticè esse scientiam istam, quâ dicit Deum cognosci, ita vt in illa caligine sit, qui habetur dignus, vt verè videat, & cognoscat Deum, hoc ipso, quod non videt, neque cognoscit, hoc ipsum cognoscens, quod est supra omnia intellectualia, & sensibilia; Diuina itaque caligo, ait Sanctus, est illud lumen inaccessum, in quo dicitur Deus inhabitare, inuisibilem quidem, propter exuperantem claritatem; inaccessum propter nimiam, & supra naturam illuminationẽ. In hac caligine mystica, idest, in hac illuminatione interpretatur esse, eum qui non videndo, & nesciendo, videt verè, & cognoscit Deum. *Exod. 24.* Quomodo caligo sit illuminatio, & nescientia cognitio, explicatur exemplo oculi corporei. Quòd enim efficit absentia luminis, scilicet, vacationem sensus oculorum, hoc efficit intendere fixè aciem oculorum aduersus solis radios meridie, siquidem, vt in tenebris, sic etiam in nimia luce oculi calligant; sed cum differentia, quia in tenebris nihil vident oculi, in meridie verò solem vidẽt, licet obscurè, propter fortem reuerberationem lucis potentiam visus exuperantem: Sicque non videndo solem secundum totalitatẽ, videt secundum capacitatem potentiæ.

Rem apta similitudine sculptoris illustrat Dionysius ad explicandam contemplationem Dei per viam negationis positiuam, & perfectam. Quemadmodum sculptor solius materiæ circũpositæ, & redundantis ablatione, genuinam, & perfectam imaginem format, nihil addendo, imò tollendo partes impedientes visionem, ex quarum

abla-

ablatione manifestatur potentiæ visiuæ imago antea occulta; ita mystica contemplatio, res creatas omnes, quæ quasi Deo circumpositæ sunt, ab eo remouendo, & negando, ipsum quodãmodò nobis in seipso nudè, & perfectius se exhibet, & ab intellectu attingitur, & videtur: Quia intellectus format conceptum Deo magis proprium, & denudatum ab omni imperfectione in modo cognoscendi. Qui est absolutus conceptus Dei, non intuitiuus, quia nō videtur sicuti est, sed abstractiuus perfectus, quòd quia est, & determinatus, cuius obiectum est Deus infinitè sublimior, quam nos capere possumus. Intellectus tunc iubatur lumine supernaturali fidei; & aliquando euadit cōtemplatio à dono intellectus. Vt sentit Sanctus Thomas, aliquando à dono sapientiæ, vt alij affirmant. Lege Gersonem tractatu septimo, super Magnificat, liter. O. & de mystica Theol.

Ex dictis igitur constat, quòd quando dico, Deus non est ens, nec esse, neque essentia, nec viuens, nec vita, nec vnus, nec trinitas, nec sapiens, nec sapientia, &c. in huiusmodi propositionibus negatiuis, relinquitur, ac supponitur, seu præsupponitur positio, & affirmatio aliqua, sensusque positiuus, scilicet, Deus est ens supergloriosissimus, & superessentialissimus, & Deus ac deitas, vnus, & vnitas, trinus, & trinitas, viuēs, & vita sapiēs, & sapientia, vtpotè infinitè sublimius, perfectius, ac gloriosius quã capere valemus. Ita vt nihil horum intelligamus, concipiamus, aut intueamur, secundum naturam, & modum quo in Deo sunt, ei conueniunt, & sunt, quod ipse est, quia non intelligimus ea quidditatiuè, & neque Deum intuitiuè. Et hoc probant aliquæ authoritates Sanctorum, adductæ contra dicta. Tamen intelligimus eum, quia est (vt dictum est) per fidē, vel per dona intellectus, & sapientiæ. Cæterum ens increatum, est obiectū, huiusmodi contemplationis, mouetque potentiam intellectiuam obiectiuè ad illam, non illustratione superna, atque iam productam, terminat verè tanquam determinatum obiectum appræhensum per talem cōtemplationē per quam multa cognoscimus de eo, quæ ipsi solum conueniunt, quæ sunt, esse increatum, independens, &c. idem dicendum est de actu vnionis in voluntate, secuto ad actum intellectus propter eandem rationem, ac fundamentum; voluntas namquè attingit obiectum suis actibus, vt repræsentatur, & cognoscitur ab intellectu, si intuitiuè, intuitiuè; si abstractiuè, abstractiuè.

Procedere huiuscemodi contemplationem absque dependentia phantasmatis, probat Carthusianus citatus ex Sanct. Dionysio, qui monens discipulum Thimoteum dicit: Tu verò circa mystica spectacula intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectiles operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & quæ non sunt omnia, vt ad vnionem eius qui supra omnem essentiam, & notionem est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas: *Nam tui ipsius, & rerum omnium, libero, & absoluto excessu, ad supernaturalem diuinæ caliginis radium, ab omnibus abstractus, & absolutus, purè eueheris.* S. Dionys. c. 1. mysti. Theol.

Quid clarius, quid sententiosius dicere potuit Sanctus ille? Certè, qui phantasmata speculatur, non deserit, non transcendit purè, ac penitus omnem sensum, & sensibilia vniuersa. Nec tamen in ista mystica contemplatione sufficit ista relinquere, nisi, & intelligibilia omnia deserantur, & cuncta creata, operationesque propriæ, & ipse, qui contemplatur, nec seipsum intueatur. Quid in ista contēplatione conferrent phantasmata, quādo iam apex mentis soli increatæ luci, intentus est per Theorica lumina, per sapientiæ radium, per impressiones deificas, perfectissima, altissima, & profundissima, intimaque contemplatione Deitatis? Rursus D. Dionysius eodem capite, inquit de bona omnium causa: *Quod ipsa omnibus superessentialiter, iisqui solis absque velamine, vereque effulgeat, qui, & impura omnia, & pura pertranseunt, & omnem omnium sanctorum cacuminum ascensum transcendant, & omnia diuina lumina, & sonos, verbaque cœlestia quasi atergo relinquunt, & in caliginem absorbentur.* Et si oportet in hac contemplatione etiam Angelicas purissimas mē-

tes transcendere, quomodo non magis vilia, & materialia ista phantasmata?

CAPVT V.

Contemplatio nequit esset perpetua in statu huius vitæ.

NOn loquimur de possibili, quia Deus potest sua gratia facere, vt anima perpetua sit in diuina contemplatione vniformiter, maximè, si adepta fuerit contemplatio per modum habitus: vt sentiunt plures Patres de anima B. Mariæ Virginis in hac vita; solùm proceditur de modo ordinario accōmodato humanæ naturæ in statu viæ degenti. Hoc sensu contemplatio nequit esse perpetua. Ratio desumitur ex natura contemplationis, & modo operandi animæ in corpore; contemplatio namque est quidam actus, quo vniformiter vinit anima Deo vnitate ex parte intellectus, quæ vniformitas, non compatitur cum anima existenti in corpore.

Patet ex differentia, quam ponit S. Dionysius inter contemplationem Angelorum (quam vocat circularem motum) & contemplationem animæ, quæ motus est etiam circularis, secundum ipsum, illi namque dicuntur moueri circulariter: *Dum principio fineq; carentibus pulchri, bonique splendoribus vniuntur.* In quantū, scilicet, vniformiter, & indesinenter absque principio, in fine intuentur Deum, sicut motus circularis carens principio, & fine vniformiter est circa idem cētrum. Animi autem motus circularis, siue orbicularis, est eius ab extraneis in semetipsum introitus, spiritualiumque ipsius facultatum vnimoda inflexio, quæ quasi in circulo fixum ab omni errore liberum motum ei tribuit, & à multis rebus extraneis ipsum conuertit ad se, & quasi vniusmodi effectum coniunctis vno modo facultatibus coniungit, sicque Deo vnitur. Ad hoc requiritur in anima, vt exteriora relinquat, faciatque introitum ad seipsam. Deinde vt relinquat discursum rationis, quòd contingit secundum quod omnes animæ operationes reducuntur ad simplicem contemplationem veritatis. Hæc diu durare non possunt in anima, propter concurrentiam plurium naturalium meditationem, ac dependentiam, & vnionem cū corpore in sensibilibus, & extraneis obiectis, vt experientia constat. Hac de causa Angeli in patria semper vident faciem patris, & homo in via nūquam in eodem statu permanet. Vide Sanct. Thom.

S. Dionys. Areop. ca. 4. de diuin. nomi.

Idem Dionysius instruens Timothæum, quomodo ascendat ad contemplationem istam circularē, docet sensus dimittere, & intellectuales operationes, & sensibilia, & omne ens, & non ens, & se ipsum, & omnia, atque ita absoluto puræ mentis excessu, omnia deserens, & absolutus ascendat ad supersessentialem diuinarum tenebrarū radium. Ac si diceret (inquit Cartusianus) circa adipiscendus contemplationes mysticæ sapientiæ, cuncta creata transcendas, hoc est, vires, sensitiuus, & intellectiuus, operationes quoque, earumque obiecta. Ita vt in illis non sis intentus, nec in illis detinearis, imò totusq; sis in creato obiecto, vt aliorum nihil apprehendas, nec penses, sed totus, & totaliter in Deum demersus sis super gressione mentis depuratæ, eleuando te super te, contemplando te eriges ad lumen increatum, & eius intuitum. Supergrediendo omnia absolutus ab omni inspectione, affectione, & occupatione ad ea.

S. Thom. 2. 2. q. 181. art. 3.
S. Dion. c. 1. mystic. Theol.
Dion. Carthus. ibi.

Similis status vniformis animæ impossibilis est moraliter, imò, & phisicè attenta natura hominis. Irruunt communiter corporea phantasmata impedientia. Vnde Bernardus ait: *In hoc arcanum, in hoc sanctuarium Dei, si quem fortè vestrum aliqua hora sic rapi, & sic obscondi contigerit, vt mini mè aduocet, aut perturbent ea, quæ difficilius amouentur irruentia imaginū corporearum phantasmata, poterit quidem hic dicere, & gloriari: introduxit me rex in cubiculum suum.* Dicit etiā impedire sensus agens, cura pungens, & culpa mordens, quæ optimè prosequitur D. Bonauentura. Si hoc pro aliqua hora, quid per annos?

S. Ber. ser. 23. in Cant. circa fin. Cant. 1.

S. Bon. medit. Christ. cap. 50.

Etiam impedimentum est pondus ipsius naturæ lapsæ ad malum pronæ, quod deplorat Augustinus: *Rapiebar* (loquitur cum Deo) *à te decore tuo, moxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu, & pondus hoc consuetudo carnalis. Intromittis*

S. August. lib. 7. conf. c. 17. & li. 10 cap. 40.

tis me in affectum insuetatū introrsus, sed recido erumnosis ponderibus, & teneor solitis: lege pro eodem argumēto S. Gregorium lib. 5. mor. cap. 23. & hom. 14. in Ezech. Inter exercitiū contemplationis, & pondus naturæ, est homo velut in quoddam certamine, modo superat diuina gratia illuminatus, modo superatur, & deficit. Sic non stat, sed transit spiritus de vno extremo ad aliud in nullo permanens.

S. Ber. ser. 54. in Cant. post. med. Aliquando etiam subtrahitur contemplatio, propter defectus proprios animæ, relinquiturque in summa sterilitate, & indigentia rerum diuinarum, propter superbiam, hoc sibi accidisse fatetur Bernardus: Iam (ait) suo pœnas iam acerbissimè vapulo. Non sine causa ab heri, & nudius tertius inuasit me languor animi, & mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritus. Currebam benè, sed ecce lapis offensionis in via: impegi, & corrui. Superbia inuēta est in me, & Dominus declinauit in ira à seruo suo. Quomodo ita exaruit cor meum; coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra, sine aqua tibi? vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto? Sic ille ex propria experientia loquens: lege Hugonem de S. Victore mira dicentem, & Ricardum Victorinum libr. 1 erudit. interi. homin. capit. 2.

Hugo de S. Vict. lib. 3. de ani. ca. 16.

Lud. Blos. Monil. Spirit. cap. 4. Multoties etiam turbatur anima in contemplatione malis, ac opportunis cogitationibus, propter vanitatem mundi anteà habitam voluntariè. De S. Brigitta narrat Ludouicus Blosius: Cum quadā die afflicta esset his prauis cogitationibus, dixit ei Iesus. Hæc est vera iustitia, vt sicut priùs delectabaris vanitatibus mundi contra meam voluntatem; ita modo tibi molestæ sunt variæ, peruersæque cogitationes cōtra tuam voluntatem. Docuitque eā eas retinere, & patienter ferre, sic deseruire ad purgationem animæ, & ad coronam.

Denique, impedimentum continuæ contemplationis, est vita actiua, quæ agit de necessarijs vitæ humanæ propriæ, de qua Dominus dixit Marthæ: sollicitam esse, & turbari erga plurima. Vel succurrendo proximis ex charitate, siuè in humanis, siuè in diuinis. Vnde Cassianus affirmat propter dicta, nec ipsum Apostolum Paulū consecutum fuisse contemplationem diuturnam, & perpetuam, quod probat dupli ci authoritate. Prima est ex actibus Apost. capit. 10. vbi dicit Apostolus: *Vos scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Secunda ex 2. ad Thesalon. cap. 3. hic testatur in labore, & fatigatione die, ac nocte, operatum se fuisse. Idem de alijs Sanctis. Concludit igitur Abbas, Moyses, apud eundem Cassianum collat. 1. c. 13. *Inhærere quidem Deo iugiter, & contemplationibus quemadmodum dicitis inseparabiliter copulari, impossibile est homini istius carnis fragilitate circumdato.* Sapientia hæc diuina conseruatur in otio Mariæ, turbatur, vt dictum est & Marthæ negotio. Tū etiam, quia diuina prouidentia, & datur, & subtrahitur, sicut testatur Ricardus, & infra latius videbitur.

Cas. collat. 23. cap. 5.

Ric. Victo. li. 1. erud. hom. inter p. 1. c. 19.

CAPVT VI.

Quando relinquenda sit anima in contemplatione.

MAgni momenti esse hoc scire, nullus sapiens in mystica Theologia ignorat. Multi minus experti errant in tanto negotio; nam tollunt totaliter contemplationem, & docent, sine discretione meditationem per imagines corporeas in phantasmate omni tempore. Alij in principio spiritualis vitæ faciunt relinquere meditationem, exercerique in contemplatione animam, hoc solo fundamento fulti, quòd sic experiuntur proficere spiritum. Debilis ratio ad astruendam, tam singularē doctrinam contra communem sententiam PP. & DD. qui dicunt, incipiendum esse per sanctas meditationes. Debebant probare mētem magis proficere in principio per contemplationē, quàm per meditationem. Certum quidem est, quod proficit via contemplationis, sicut frequentia, & exercitio cuiuscumque virtutis.

S. Bon. meditat. vit. Christ. cap. 51. & 52.

Vt ergo inter vtrumque extremum stemus in medio, in quo virtus consistit, sciendum est, quòd iuxtà ordinem communem procedendi in mystica Theologia, vir spiritualis vtitur discursibus, ac meditationibus cum dependētia phantasmatū, qui operandi modus

est regularis, conformisque dependentiæ intellectus ab imaginatione, in qua formantur imagines corporeæ meditationum. Misericors autem Dominus in multis, vult eleuare mentes illorum ad contemplationem supernaturalem infusam, quos fideles inuenit, ixta illud Euangelij: *Amice, ascende superius.* Tunc mens operari nequit meditatione per corporeas imagines, & si vult, fit violentia magna, & cùm defatigatione capitis, & animæ siccitate, & repugnantia. In hac angustia, si non reperitur Magister spiritualis sapiens in mystica Theologia, deficiunt multi in exercitio interiori sine spe, quia iudicant non esse capaces illius, eo quòd meditari nequeunt, vt anteà. Ignorāt superiorem gradum contemplationis ad quem vocantur, & propter quem deficit meditatio per imagines. V. P. Fr. Ioannes à Cruce vocat hoc purgationem passiuam sensus, nam purgatur passiuè intellectus à modo operādi per sensus: videatur, nam grauiter, & eruditè agit de hoc puncto.

V. P. Fr. Ioan. à Cruce, libr. 1. noct. obscu. à ca. 1. per plura. Cap. 19. ibi

Cœterum, quia ista siccitas animæ, & deficētia meditationis, prouenire possunt propter peccata propria, imperfectiones, tepiditatem, vel omissionem naturæ, vel ex alio humore prædominante, sapienter aliqua signa notat, ex quibus fiat iudiciū prudens non oriri ex his, sed expurgatione passiua sensus. Primum est, si tunc anima non reperit consolationem in rebus creatis, nec in diuinis, nec gustum. Ratio est, nam Deus non permittit, nec relinquit gustare creatam rem, quia intendit animam purgare ab appetitu sensitiuo. Sic probabiliter iudicatur similem desolationem non prouenire ex peccatis, & imperfectionibus nouiter commissis. Si enim ex his promanaret, reperiretur in natura aliqualis inclinatio, & appetitus ad gustandum alia præter Deum: natura namq; ex actu propensa manet ad alium similem, magis vel minus, iuxta maiorem, vel minorem intensionem actus, & applicationem affectus. At quia accidere potest, ex indispositione, vel humore naturalibus non sentire, nec affici rebus diuinis, nec creatis, ideò sequitur aliud signū sequens.

Secundum signum passiuæ purgationis est, quòd anima inueniat in se ipsa attentionem adducendi Deum ordinariè in memoria solito sollicita cura iudicans Deum offensum, & in via spirituali deficere, videns non gustare diuina. Ex quo cognoscitur desolationem, & siccitatem, ne habet originem in omissione, tepiditate, & humore; etenim ex natura tepiditatis, & omissionis non est sollicitudinem habere de rebus cœlestibus siccitas verò orta expurgatione trahit secum sollicitudinem cum timore sancto suæ perditionis, quòd non operatur, quando oritur ex humore aliquo prædomināte; nam in tali casu, totus animus distractus, & impatiēs reperitur propter pondus, quòd natura patitur ex infirmitate, sine desiderio affectuoso Deo seruiendi. Vndè in purgatione passiua licet pars sensitiua debilis, & infirma manet, propter deffectum gustus de ista spirituali notitia, quia animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus; tamen spiritus promptus inuenitur, ac deuotione substantiali præditus. Trāsfert Deus bona sensus in spiritum, quibus robustus, & fortis fit per istam occultam, & secretam contemplationem, manente sensu vacuo, sine alimento suo sensibili, & materiali.

Tertium signum est, animam non posse vti formis imaginarijs per meditationem, quantumvis in hoc negotio laboret. Ratio est, quia iam non communicatur Deus animæ per sensum, & phantasmata, vt in principio, sed eminentiori modo, & supernaturali in puro spiritu per simplicem contemplationem purè spiritualem, alienam à sensu, & imaginatione, sicut spiritus alienus est à corpore, & materia. De hoc plura dicta manent agendo de natura mysticæ Theologiæ infusæ, & contemplatione in hoc tractatu, & in primo.

Hisce concurrentibus signis, in primis relinquenda sunt omnia motiua exteriora corporea, per quæ solet anima ascendere ad Deum contemplandum, mensq; attendere immediatè ipsi, eumq; respicere eo modo, quo iam explicauimus. Ratio est, quia hic modus altior est, ac perfectior terminatus ad obiectum perfectius, excedens illum per formas corporeas, & solidiorem cibum accipit anima. Sic Bernardus: *In operibus Dñi minus capa-*

paces animos exterior consideratio pascit, & qui magis exercitatos habent sensus, solidiorem intus cibum inueniunt, & suauiorem, tanquam adipem, medullamque frumenti. Adducit illum textum Pauli: *Etsi cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus.* Nam licet Dominus Iesus exterius erat speciosus præ filiis hominum; interius tamen erat cardor lucis æternæ, & Deus, quoniam caput Christi Deus. Propter quod cùm iam Apostolus peruenisset ad nucleum, scilicet diuinitatem, testam iam (hoc est humanitatē) licet decoram valdè, non reputabat Paulus, dicens: *Et si cognouimus, &c.* Nimirum quia ipse Dominus dixerat: *Caro nō prodest quidquam, spiritus est qui viuificat.* Ponit Bernardus hoc exemplum ad maiorem intelligentiam: Si quis fregerit nucem, intus inueniet, quò iucundius sit, & multò amplius desiderabile, nempè nucleum in testa inclusum, lege ipsum ser 6. de Asc. & S. Bonau. sup. ca. 53.

S. Ber. ser. 2. Dom. 1. post octau. Epiph.
2. Chor. 3.

Consonat D. Augustinus super illum textum: *Si non abiero paraclytus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eū ad vos. Expedit vobis* (ait) *vt hæc forma serui auferatur, nolo, vt carnaliter adhuc diligatis, & isto lacte contenti, semper infantes esse cupiatis. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis. Non potestis capere spiritum, quandiu secundum carnem persistitis nosse Christum.* Scribit ad intentum allegatam authoritatem Apostolis, & si nouimus Christum: quia iam cœperat spiritum. Hugo. Christus Discipulis corporalē præsentiam subtraxit, vt eum spiritualiter amare discerent. Subtractum est lac, vt ad perfectionem spiritualis amoris cō ualescerent. Sicque etiā amor, & vnio secuta ad contemplationem, sine imaginibus corporeis cibus solidior, & perfectior est voluntati, quia spiritualius attingit. Deū spiritu altiori modo, sicut, & contemplatio intellectui. Vide Bern. ser. 20. in Cant. circ. med. & ser. 3. de Ascens. & Aucto. de spiritu, & anim.

Ioan. 16.
Aug. tra. 94. in Ioā.
Hug. de S. Vict. lib. 1. erud. Theolog. t. 102.
Aut. de spirit. & anima ca. 12.

Si ergo talis, & nobilissima meditatio relinquenda est, etiam omnis alia propter eādem rationem. Tùm etiam, quia contemplatio mystica passiua nobilior est ex parte principij, nam vt dictum est supra, procedit, vel à dono intellectus, & sapientiæ, vel à quodam lumine supernaturali, vel specie eiusdē ordinis, vel speciali influxu spiritus, & aliis modis. Modus autem seruādus animæ in contemplatione infusa, hic est, relicta omni meditatione, maneat in quadam aduertētia pacifica amorosa Dei, quieta, ac dilatata cum sancta libertate spiritus ad notitias de Deo accipiendas, velut qui audire vult, & dicat cū Samuele: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*, Vbi S. Gregor. *Quid aliud desiderare potest mens in illo gaudio loquentis maiestatis assumpta? Domino dicit: loquere, quia eo interni auditus gaudio sibi complacet, quo in exterioribus nihil placet.* Qui audit, non loquitur, sed percipit, quæ ei loquitur alius. Sic mens attendere debet ad motionem supernaturalem diuini spiritus qua mouetur ad contemplationem infusam; quòd est loqui Deum, & animā audire locutionem motionis. Sic Maria audiebat Christum loquentem.

Apud August. to. 3. Tra. 1. à c. 6. vsque ad 9.
Nota
1. Reg. 4.
S. Gregor. Mag. ibi lib. 2. ver. 10.

Tunc iuxta doctrinam D. Dionysii, relinquendæ sunt operationes propriæ intellectuales animæ, vt supra diximus Ratio est manifesta, quia istæ procedunt ab auxilio communi medio lumine fidei, & pertinent ad contemplationem, vel meditationem acquisitam, contemplatio verò infusa non ita, vt explicatum, & probatum manet. Vnde tunc propria operatio acquisita impediet infusam, opponiturque motioni supernaturali Dei, & actum vnionis secutum. Declaratur exemplo: radij solis in speculo concauo: illud illuminant, & per vnitiuum eorum concursum comburunt stupam, & ignem accendunt, si speculum vacuū non esset omni alia re luci opposita, nec ipsam ad plenum reciperet, nec in stupa ignē produceret. Sic in proposito requiritur, vt mens vacua sit operationibus propriis, vt diuinam lucem ad plenum recipiat, euadatque vsque ad contemplationem, ad quam sequitur vnio Dei.

S. Dion. c. 1. mistic. Theol. hoc tra. cap. 4.

Sequitur ex hoc modo remanere animam otiosam, sicut aliqui iudicāt, esseque errorem illuminatorum affirmant. Etenim mens mota, & leuata Spiritus sancti motione producit actiuè contemplationem, & eadem motione voluntas vnionem; sicque actualiter, & practicè attingit Deum

anima per contemplationem intellectus, & vnionē voluntatis, & manet adæquatè vnita. Quæ conuentio hæc cū ociositate, & vacuitate actuū?

Verum tamen est, quòd in principio non semper sentitur talis contemplatio, & diuina communicatio, nec gustatur, imò solet causare in anima siccitatem, & aliquo modo fastidium, quia intellectus assuetus erat meditare per formas, & imagines sensibiles, in quibus gustum, & saporem capiebat; sicque non facilè percipit, nec gustat simplicem, & spiritualem cibum contemplationis infusæ, & quia adhuc nō est perfectè defecatus. Adumbratum fuit hoc in filijs Israel in deserto, quibus Deus cibauit cibo, & pane Angelorum, nempè manna, omnem saporē eminenter in se habente, in quo fastidium, & nauseam experiebantur, dicētes: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Gustus illorum assuetus erat cibis grossioribus, & materialibus Ægypti, ad quos aspirabant. Hac de causa, non percipiebant gustum, delicatissimi cibi, manebatque gustus ieiunus, & cum nausea. Tamen spiritualis vir perseueret patienter in oratione modo explicato, & per exercitiū sentiet contemplationem infusam, ac mānna absconditum, quòd cęlum pluit, & illius saporem percipiet.

Num. 21.

Dilatet ergo sinus animæ, & implebitur pane cœlesti contemplationis istius, qui est intellectus, & voluntatis. Dominus enim mittit crystallum suā sicut bucellas; vt non bucellam, sed sicut bucellas; vt non semel, sed vis, & multoties repleat animæ sinus. Pulcher panis, licet in principio durus videatur ad masticandū. Ricardus: *Quis est hic panis cristalinus tam durus, tā purus? Pulcher quidem ad videndum: sed fortis ad masticandum: Ipse qui mittit crystallū suam sicut bucellas, emittet verbum suum, & liquefaciet ea, & veniens ipse Christus* (secundum medullam diuinitatis) *adimplendam promissionem suam* (vtpotè dilata os tuū, & implebo illud) *transiens ministrabit illis, & ne potus videatur deesse, flauit spiritus eius, & fluent aquæ.* Vides quàm fidelis est Deus cūm seruis suis perseuerantibus in exercitio interiori, & masticatione huius cibi in principio duri, & fortis?

Ps. 147. Ric. à S. Victor. in Ps. 50.

Duo necessariò notanda sunt prodictis. Primum est, quòd in contemplatione acquisita, inueniuntur illa tria signa dicta pro contemplatione infusa, nimirum, difficultatē meditandi, quia contemplatio cùm sit actus simplex ex natura sua, opponitur meditationi, quæ componitur ex pluribus actibus. Deinde nam contemplatio, est notitia pacifica, magisque comprehēsiua obiecti, quòd in meditatione nō inuenitur, propter quòd intellectus assuetus contemplationi inhærere, non facilè meditationi accommodatur. Etiam mēs cum contemplatione acquisita consolationem non reperit in rebus creatis, quia gustat de Deo. Ac tandem curam habet placendi Deo, quæ sunt alia duo signa. Vndè difficulter discerni potest contemplatio acquisita, & infusa, precipuè in principio, quando hæc penè percipitur, & eius effectus. Regula ad eas discernendas erit, quando mens cū difficultate, & siccitate format, contēplationem acquisitam, & interius occultè sentit applicationem: & quasi intimum motum ad alium modum sibi ignotum, signum est vocari à Diuino spiritu ad infusam. Ratio est, quia tunc vult Deus eleuare animam ad altiorem gradum contemplationis, & eam purgare propria illa acquisita, & hac de causa oritur difficultas, & siccitas, sicut diximus de meditatione per imagines corporeas, sentiturque illa vis occulta ad alium modum ignotū. In tali casu relinquenda est cōtemplatio acquisita, & disponi ad infusam, eo modo, quo explicauimus supra.

Secundum notandum est, quòd vt notauit Ricardus, contemplatio infusa multoties deficit, & redeit meditatio, in quam contemplatio transit. Tunc mens redditurа est ad primum statum meditationis, & illam exercere. Præcipuè in vita, & passione Christi, qui est via ad patrem, & per quem ad eum peruenimus. Est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, ac deníque magister, & exemplar virtutum omniū. Non est ergo relinquenda meditatio, nisi vocetur anima ad contemplationem infusam, ne tempus minus fructuosè consummat, & vocata maneat in illo sancto contēplationis ocio, quòd quærit, & diligit charitas, ne illi dicatur ab sponso: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt;* propter impedimentum meditationis.

Ricar. à S. Vict. lib. de cont. c. 87. p. 1.

CA-

CAPVT VII.

Varij sunt gradus contemplationis infusæ.

GRadus vocamus omnes differentias, quæ contingere possunt in mentibus nostris in contemplationis exercitio. In primis sumitur talis differentia graduum ex parte principij supernaturalis intellectum eleuantis ad contemplationem. De hoc actum est suprà, vbi plura assignantur diuersa inter se, secūdùm quam diuersitatem, diuersi sunt contemplationis infusæ gradus.

Trat. 1. à cap. 5. vsque ad 8.

Deindè sumitur differentia secundum progressus, & profectum ipsius contemplationis, magis, vel minus intensæ, magis, vel minus claræ. Sic D. Gregorius ait: gradus dicuntur mensura crescentium virtutum. Tales gradus in contemplatione innumerabiles sunt, sicut sunt in qualibet qualitate, quæ augeri potest in infinitum negatiuè. S. Bonauentura ex eodem probat necessitatem graduum contemplationis, dicens: *Nemo infima deserens, repentè fit summus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet, vt mens, quotidiè in altum, quasi quibusdam ascensionis gradibus perueniat. Vndè rectè Psalmista dicit: ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.* Eandem necessitatem explicat ex Liconiensi super Angelicam Hierarchiam tali exemplo: Sicut oculi carnis infirmiores prius suscipiunt lumen solis obscurum, & magis coloribus superfusum, deinde magis confortati suscipiunt illud à coloribus medijs coloribus, & posteà visu roborato, plus suscipiunt illud super fulgidum coloribus albis: deinde verò plus aucta sanitate suscipiunt illud fulgentibus coloribus super fusum in speculis, tādē oculis perfectè sanatis suscipiunt radium solarem, non autem alicui super fusum, sed in se purū ipsum solē in ipso puro solari lumine irreuerberare cōspiciente. Cōcludit Seraphicus Doctor: *Ex prædictis apparet, quòd tam in radioso lumine contemplationis speculatiuæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ oportet paulatim, & gradatim ascendere, & ascendendo clarius cognoscere Deum.* Dicit Hugo *super Angelicā Hierarchiam: quantò magis accrescit ascensio, tantò magis crescit cognitio, donec oculus intellectualis magis, ac magis illuminetur.* Plura ibi ex Doctoribus mysticæ Theologiæ scitu digna adducit, quibus dicta illucidat, ac probat.

S. Greg. Mag. 22. mor.

S. Bon. itine. 3. æter. dist. 4. art. 1.

Ps. 83.

Deniquè varietas, & diuersitas contemplationis infusæ, sumuntur ex diuersis, & varijs modis, quibus anima operatur in corpore mota à diuino spiritu, secundum diuersitatem potentiarum eius, ac modum operandi. Pro quo sciendum est, quòd Ricardus considerat animam veluti quendam orbem latum, & amplum, & aliam quandam plenitudinem orbis terrarum, & in ea tres cœlos distinguit, ac explicat, dicens: *Vt hoc triplex cœlum congrua possimus distinctione discernere: primum dicatur imaginabile, secundum est rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi cœli: ratio secundi, intelligentia verò vicem tertij:* Vnde quamuis intellectus vnus indiuisibilis sit, tamē ob numerū instrumētorū, quibus vtitur, & propter varia exercitia variatur, & dicitur, ait Hugo: *Sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia.* Lege Auctorem de spiritu, & anima cap. 4. apud S. Augustin. tom. 3. & cap. 12.

Ricar. à S. Vict. lib. 3. de cont. c. 8. p. 1.

Hug. de S. Vict. lib. 2. de anim. c. 2.

Idem Ricardus (quem sequitur D. Bonauentura citatus art. . .) alio loco sex gradus contemplationis assignat iuxta distinctionem triumanimæ cœlorum. Primus gradus versatur in imaginatione rationali, secundum solam imaginationem, nimirum quando nihil agendo quærimus, & ratiocinando inuestigamus, sed liberè mens nostra huc illucque discurrit, quo eam in hoc genere speculationis admiratio rapit, quæ oritur ex his, quæ sensu corporeo hauriuntur, dum imaginamur, quam sint multa, & varia, & pulchra: talium forma in imagine adducta inferunt stuporem, & admirationem. Talis autem pura imaginatio non est propriè contemplatio; nam contemplatio est simplex intuitus spiritualis veritatis; deseruit tamen contemplationi, quia imaginatio rationi famulatur, & ideo lato modo gradus contemplationis nuncupatur. Secundus gradus contemplationis est, qui consistit in ima-

Ricar. lib. 1. de cont. cap. 6.

Auth. de spir. & ani. cap. 12. apud Aug. tom. 3.

imaginatione, tamen formatur secundum rationem, atque procedit, ratiocinando circa ea, quæ imaginationi præsentantur. Fit, quando ea, quæ in imaginatione versamur, ratione quærimus, & inuenimus, & inuenta cum admiratione contemplamur. Consistit hæc contemplatio in imaginatione secundum rationem, quia circa ea ratio procedit cognoscendo.

Tertius gradus contemplationis est, qui in ratione secundum imaginationem formatur: quando, scilicet, rerum visibilium similitudine multifaria in rerum inuisibilium cognitione subleuamur. Consistit in ratione, quia in his solum, quæ imaginationem excedunt per intuitionem sistit, vt quæ inuisibilia sunt. Dicitur formari secundum imaginationem, quia in rerum visibilium imaginatione similitudo trahitur, vnde in rerum inuisibilium inuestigationem adiubetur, iuxta quod scriptum est: *Inuisibilia Dei, &c.* Vnde similis contemplatio dependet ab imaginatione. Prædicti gradus contemplationis pertinent ad primum animæ cęlum imaginarium.

Quartus gradus est, qui in ratione, & secundum rationem formatur, vt quando semoto omni officio imaginationis, animus intendit solùm illis, quæ non nouit imaginatio, sed quæ mens ex ratione cognoscit. Fit, quando inuisibilia nostra, quæ per experientiam nouimus, & capimus intelligentia, in considerationem adducimus, & ex eorum consideratione in cęlestium animarum, & super mundanorum intellectum contemplationem assumimus. Consistit in ratione, quia sensibilibus se motis, solùm intelligibilibus intendit. Hæc contemplatio fit in pura intelligentia, & quasi per speciem, quia aliena à phantasia. Iste gradus pertinet ad secundum cęlum animæ.

Quintus gradus contemplationis esse dicitur, qui est supra rationem, sed non præter rationem. Ad hanc contemplationem eleuatur, quando ex diuina reuelatione intuemur quæ, nulla ratione humana comprahendere valemus, & nulla ratiocinatione inuestigare sufficimus. Talia sunt illa, quæ de diuinitatis natura in illa simplici essentia credimus, & diuinarum scripturarum auctoritate probamus. Est supra rationem, quia est ex diuina reuelatione; non præter rationem, etenim ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, ratio contraire non potest, quin potius facilè acquiescit, & sua attestatione alludit.

Sextus gradus contemplationis est, qui versatur in his, quæ supra rationem sunt, & videntur esse præter rationem, seu etiam contra eam. In hac supprema, omnique dignissima contemplationis specula tunc veraciter mens exultat, atque tripudiat, quando illa ex diuini luminis irradiatione cognoscit, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt penè omnia, quæ de personarum Trinitate credere iubemur, de quibus cum humana ratio consulitur, nihil aliud quàm contraire videtur. Geminus hic vltimus gradus ad puram, & superiorem intelligentiam simplicem attinet, quæ quandoquè vocatur mens, quandoquè cœlum suppræmum, spiritus, lumen intelligentiæ, vmbra intellectus Angelici, apex, vel scintila mentis. Constat ex his, quòd diuersitas graduum contemplationis sumitur, non solum ex diuersis modis operandi intellectus, sed etiam ex diuersitate obiectorum in tribus cęlis animæ cognitorum. Prius per imaginationem intelligentia assuescit ad Deum contemplandum in grossioribus, deinde in subtilioribus, donec tādem ex benignitate diuina superiori luce superfusa restituitur in simplicem radium diuinum, fontemque luminis. Præcipuè in duobus istis vltimis gradibus, vt affirmat Ricardus: *Quale quæso est* (ait) *quòd intelligentia humana quotidiè ad illos super cœlestium animorum Theoricos excessus mititur: & quandoquè pro diuinæ dignationis beneplacito ad illa summæ maiestatis magnalia contemplanda subleuatur?* Rica. Vict. lib. 4. de cont. ca. 7. & p. 1.

Iuxta distinctionem huius triplicis cęli animæ, Doctores mystici aiunt esse tres Hierarchias in ea, in quibus purgatur, illuminatur, & perficitur, secundum prædictos gradus ad similitudinem cęlestium hierarchiarum. Vnde S. Dionysius secundùm commentatores Liconiensem, Hugonem, & Vercellensem docet similis gradus esse tam in mente Angelica, quàm in humana benè ordinata, dicens: *Addam, & ego ex abundanti non inconuenienter* Hug. de S. Vict. in c. 3. in cœlest. Hier. lib. 4.

ter (sic loquunt illi) *quòd vnaquæque mens Angelica, vel humana benè ordinata, havet in sua singulari persona primas medias, & vltimas ordinationes, & virtutes, & sursum actiones, hierarchicarum illuminationes manifestè distinctas.* Quæ verba benè explicat Vercellensis. Hierarchia enim secundum ipsum Dionysium: *Est sacer ordo, & scientia, & actio, quæ ad deiformitatem, quantum fas est, accendit, atque insistit sibi diuinitus illustrationibus proportione quadam ad Dei subuehitur imitationem.* Sicut ergo in Angelis ordo reperitur, nam alij sunt infimi, alij medij, alij supræmi; ita in anima est ordo operandi Primus per imaginationem, secundus per rationem, tertius per intelligentiam simplicem; & sicut Angeli non æquè illuminantur, ita neque anima iuxta diuersitatem operandi, prout explicatum est.

S. Dionys. Areop. c. 3. de cœl.

Consonat Gerson, qui postquam dixerat, quòd lux solis materialis, & visibilis se diffundit disparitter pro varietate mediorum: aliter in densitate, aliter in medio diaphano, aliter in obscuro, turbido, & spisso, ait: *Attendamus diuinam lucem, quando proportionabili similitudine solem se communicare liberalissima, & gratuita charitate, his quidem clarius, his verò obscurius. Dat se lucidius intelligentiæ, quam rationi; & vtrique limpidius quam sensui.* Idest imaginationi. Aptum exemplum sensibile adducit; si diuersa vitro apponamus radijs solaribus secundum propinquum, & distans per lineam rectam inter solem, & oculum nostrum; constat interduo qualibet specula esse spatium vbi lumen solis aliter, & aliter inspici possit: Ita vt posterius lumen apparet quædam vmbra, vel adumbratio, si ad præcedentem comparetur. Triplex ista Hierarchia animæ, sed potius triplex gradus contemplationis ipsius, reducitur ad tres status, nempè principiantium, proficientium, & perfectorum. Principiantes sunt in primo, proficientes in secundo, perfecti in tertio. Primus purgat, secundus illuminat, tertius perficit, qui sunt tres actus Hierarchici, similes Angelicæ Hierarchiæ cui nostra assimilatur, vt docet S. Dionysius, & Auctor de spir & anim. cap. 5. & noster Henri. Harph. lib. 1. myst. Theol. cap. 103. p. 2. ac Ricar. Vict. in Psalm. 113.

Gers. de myst. Theol. spec. cons. 17. 3. p.

Notare tamen oportet, quòd contemplatio infusa orta ex imaginatione, vt quando ex visibilibus eleuatur mens ad inuisibilia contemplanda, quandoquè est simul cum ea concomitanter imaginatio, quia perseuerat eius actus circa obiectum sensibile; tunc aduertere debet spiritualis vir non attendere imaginationi: tum quia impediet contemplationi, eo quod intellectus est potentia limitata, & minor circa plura: tùm, quia imaginatio fuit medium ad contemplationem, & habito fine, cessare debet medium ad finem. Quando verò contemplatio fit immediatè à Deo in tertio animæ celo, nequit concomitare imaginatio, cuius operatio est corporea, & materialis; contemplatio purè spiritualis de obiecto purè spirituali. Vnde attingere nequit imaginatio illud, sicut nec visus, quòd omnino spirituale est attingere valet. Adeò adeò imaginatio totaliter ignorat contemplationem, & eius obiectum, veluti potentia visiua spiritualia. Vnaquæque enim potentia suum proprium habet, vltra quod non potest operari, nec extendi ad aliud alterius potentiæ.

CAPVT VIII.

Contemplatio infusa in primo animæ cælo fit tribus modis.

DIximus capite præcedenti, primum gradum contemplationis infusæ pertinere ad primum cœlum animæ, quod est imaginatio, siue phantasia. Gradus iste primò fit ex creaturis visibilibus, quæ dependet à phanthasia, ex quarum consideratione eleuatur mens, influxu Spiritus Sancti ad Deum contemplandum, nam licet nihil eorum quæ cadunt sub sensum, diuinæ naturæ, vtpote simplicissimæ, purissimæque conueniant, nec occultum illud Dei manifestant; tamen ducunt in contemplationem, & cognitionem à posteriori. Ipsæ enim creaturæ posteriora Dei sunt, & earum rationes, secundum illud: *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Et, à magnitudine spe-*

Rom. 1. Sap. 13.

speciei, & creaturæ poterit cognoscibiliter creator horũ videri. Vnde in hoc gradu intellectus nequit ascẽdere ad diuina contẽplanda, nisi per visibilium, & sensibilium considerationẽ dirigatur.

Hisce creaturis omnibus visibilibus ascendere potest mens ad Deum contemplandum, quia illis in creatione suam bonitatem cõmunicauit pro captu cuiuscumque, & propter hoc eas creauit, communionẽque cum eo haberẽt, & participationem sui principij: *Primum omnium* (inquit D. Dionysius) *id dictu verum, super essentialem Deitatem per bonitatem cunctas rerum essentias subsistere faciendo, in lucem produxisse: est enim hoc omnium causæ, suppremæque bonitati proprium, vt ad sui communionem res vocet, pro vt cuiuscumque captus modusque postulat. Quare res omnes participant prouidentiam, à Deitate superessentiali, omniũque causa promanantem: neque enim essent, nisi rerum essentiæ principijque, participes extitissent.* Notat S. Maximus, illud, *ad sui communionem*, esse rationem ob quam Deus omnia produxit, nimirum, vt pro captu suo bonitati eius cõmunicaret: hoc significat illud: *Mansiones multæ sunt*, apud Patrẽ. Vide S. Dion. epist. ad Policarp.

S. Dionys. Areop. de cœlest. Hier. c. 4.

S. Maxim. ibi.

Luc. 14.

Similis hæc participatio, non est diuinitatis, neque attributorũ eius, nam creatura incapax est; sed quia à Deo habet esse tãquã à primo principio sui, & ab illo communicantur esse substãtiæ, existentiæ, viuentis, rationalis, &c. Atque adeò Deus cõmunicatur, & nõ cõmunicatur: cõmunicatur creaturæ tribuendo illi quod habet; nõ cõmunicatur, quia secũdũ se manet Deus incõmunicabilis. Idẽ Dionysius: *Et hoc commune est, & copulatum, & vnũ toti diuinitati, participari, scilicet, ipsam ab vno quoque participantium, & à nullo nulla parte.* Explicat exẽplis, pũctũ cẽtri in medio circuli ab omnibus lineis rectis, quæ sunt in circulo circũpositæ participatur, & sicut multæ figuræ sigilli expræssæ archetipũ sigilli participãt, & in vna quaque figura sigilli expræssa totũ, & idẽ sigillũ est, & in nulla figura secundũ vllã partem. Concludit: *Vincit autem hæc exempla diuinitatis, quæ omnium causa est, imparticipabilitas, quoniam eius nulla est actio, neque alia cũ participantibus mixtionis cõmunio.*

S. Dionys. c. 2. de diuin. nom.

Ratio est, nam creaturæ non participamus Deum, sicut species participant genera, & sicut singularia participant vniuersalia, & sicut illa quæ sunt subter prima, participant illa ipsa prima. Neque ipsum participamus secũdum existentiam suam; neque sicut omnes species ex materia compositæ, materiam, & formam participant secũdum admixtam cõmunionem media vnione compositionis; sed solum pro captu cuiuscumque naturæ, vt dictum est. Ac sicut magnam vocem emissam omnes qui adsunt participat, vnusquisque pro suis viribus, & vir, & puer, & bruta animantia; verum alij quidem valentius, alij verò obtusius secundum vim, & facultatem audiendi. Et est quidem vox participabilis, & in se ipsa imparticipabilis manet.

Materia illius contemplationis est infinita: sunt cœli, sol, luna, & stellæ, quatuor elemẽta, species, & indiuidua, & omnia, quæ sensibus percipiuntur, totusque mũdus sensibilis; omnia hæc sunt scala ad creatorẽ contemplandũ, pro eo quod (inquit S. Bonauentura) illius primi principij potentissimi, sapientissimi, optimi, illius æternæ originis, lucis, & plenitudinis, illius artis efficientis, exẽplantis, & ordinantis, sunt vmbræ, resonãtiæ, & picturæ, vestigia, simulacra, & spectacula nobis ad contuẽdũ Deũ proposita, & signa diuinitus data. Significãt creaturæ huius mundi sensibilis inuisibilia Dei, partim, quia Deus est omnis creaturæ origo, exemplar, & finis ad quẽ ducit: partim: ex propria repræsentatione. Omnis ergo creatura est æternæ illius sapientiæ quædã effigies, & similitudo ex natura sua. Hæc Seraphicus Doctor capite primo discurrit per creaturas secũdũ substãtiã earũ, qualitates, actiones, generationes, põdus, numerũ, mẽsurã, sitũ, &c.

S. Bon. itin. ment. in Deum cap. 2.

Ex his omnibus eleuatur mẽs ad Deũ cõtẽplãdũ supernaturaliter, multoties vsque ad extasim, vt legitur de multis viris Sanctis suspiciẽtibus per cõsiderationẽ solẽ, florẽ, vel aliã creaturã visibilem, per experiẽtiã cognouerũt illã sententiã S. Basilij: *Vniuersa molles mundi, perinde est, ac liber litteris exaratus, palã cõtestans, ac prædicãs gloriã Dei, illiusque Augustissimã Maiestatẽ (arcanam alioquin, & inuisibilem) abundè enuncians intellectiue creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis.* Itẽ verum esse, quod affirmat

S. Bas. ho. 11. Exam.

Pachim. in ca. 2. de cœlest. Hierar. S. Dion.

mat Pachimer; nimirum creaturam visibilem esse echum Dei, dicens: considera spiritualem Dei pulchritudinē, ac decorē referre quodāmodo echonis prorsus singularis, & occulti, à cuius sono, & à cuius pulchritudine resonantiæ quædam, & quasi similitudinis ipsius soni, licet dissimiliter accipiantur, ad ipsas creaturas deferuntur. Se explicat sic: quod enim est in visione imago, similitudinem quandam primi exemplaris referens; hoc est, in auditu resonantia, similitudinem quandam vocis habens; quod nimirum est, quod à sono vltimo reflectitur. Ita quælibet creatura dicitur echo Dei, licet dissimiliter. Quam legitimè nostram inertiam, & oblivionem reprehendit S. Bonauentura: *Qui igitur tantis rerum creaturarum splendoribus non illustratur, cæcus est: qui tantis clamoribus non euigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est: qui ex tantis indicijs primum principium non aduertit, stultus est.*

Can. 1. cit.

Ricar. à S. Vict. lib. Beni. min. c. 22. p. 1.

Notat tamen Ricardus, hanc contemplationē, duplici modo fieri, translationē, & comparatione. Comparatione, quando ex præsentium pulchritudine, & magnitudine colligit diuinam pulchritudinem, & virtutis magnitudinem. Visa v. g. luce, & claritate solis visibilis, contemplatur quanta, & qualis sit lux illa Dei infinita communis Angelis, & hominibus beatis. Translatione, quando rerum visibilium descriptionem transfert ad rerum inuisibilium significationem; vt quando audit in Scripturis nominari lucem, sicut de Deo scriptum est, quòd habitat lucem inaccessibilem; quærit, & cognoscit, quòd ipsa sit lux vera, quam habitat inuisibilis, & incorporea Dei natura. De isto gradu contemplationis per creaturas passim agunt Sancti Patres, & Doctores præter citatos, quos omitto breuitatis gratia.

S. Bonau. myst. Theo. particu. 1. cap. 2.

Secundus gradus contemplationis infusæ fit per Sacram Scripturam lectam, vel auditam sensibiliter. Quomodo sit, docet S. Bonauentura hac sententia: *Apparet* (radius diuinus) *in Sacra Scriptura, quando sub cortice litteræ, per aliquod donum intelligentiæ, sensus anagogicus inuenitur, quo mens, sicut per quendam radium ad amorem sui creatoris multipliciter, & mirabiliter erudita erigitur. De isto radio, qui facit semper splendescere spiritum, Beatus Dionysius de diuinis nominibus sic ait: Indicibilia autem casto silentio venantes, ad illucentes nobis in Sanctis eloquijs splendores exercemur, & ab ipsis illuminamur.* Tunc solet Spiritus Sanctus sub Sacræ Scripturæ velamine eleuare mentes cōtēplātium ad altissimos sensus ipsius Scripturæ, & ad amorem feruentissimum sui Auctoris eleuare. Legitur de B. Didaco nostræ Religionis insipiēte dicto in eius Officio diuino, quod in Schola orationis eruditus vir, alioquin rudis admirandum in modum, de rebus diuinis loquebatur, sensusque mysticos proferebat, ita vt eruditissimi summopere stupescerent; nec non contingeret doctos, & pios viros ad res diuinas, animarumque salutem cum cō familiariter conferentes, id ab homine litterarum experte cumulatè discere; quod in celeberrimis Academijs, à magnis Doctoribus comparare nequiuerant. Noster Henricus Harphius refert de fratre Rogerio, fideliæ socio S. P. N. Francisci de se ipso dixisse: Scio hominem, qui centies in vno matutino, & forte, in quolibet versu, sursum tractus fuit ad altissimam intelligentiam diuinorum secretorum. Idem legitur de Fr. Barnaba Laico Prouinciæ Angelorum nostræ filio. Hæc contemplatio oritur à dono intellectus Spiritus Sancti de quo actum est tract. 1 cap. 6 suprà) per Sacram Scripturam communicata, non aliter. Vnde ait S. Dionysius: *Neque enim potest aliter diuino principalis ille radius nobis illucere, nisi sacrorum varietate operimentorum anagogicè obuelatus, nobis quoque paterna prouidentia connaturaliter, ac propriè sit accommodatus.* Agit de Sacra Scriptura, in qua diuina hominibus proponuntur metaphoris, & corporalibus similitudinibus, vt per sensibilia eleuemur ad diuina, qui est modus connaturalis noster. S. Maxim. & Pachim. ibi. & Diony. Carthus. 4. Vide S. Thom. 1. p. q. 1 art. 9. & lib. 1. Sent. dist. 34. q. 3 art. 1.

Lect. 22. noct. 3. diei infra oct.

Harph. li. 2. myst. Theol. cap. 37. p. 3.

Hist. Prou. Ang. lib. 7 cap. 24.

S. Dion. c. 1. de cœlest. Hier.

Ad hunc gradum reducitur contemplatio Dei, quæ ex miraculis ortum sumit. Tria (idem est de alijs) enumerat S. Dionysius ad conuincendum Philosophum Apollophanem cir-

S. Dion. Areop. Epist. 7. ad Policarp.

circa cognitionem Dei authoris omnium rerum,& miraculorum, quæ in eis operatur. Primum miraculum est illud, quando Iosue fecit stare in suo cursu solem,& lunam: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol, & luna.* Secundum miraculum est illud horologij Achaz sub Ezequia Rege Iudà, habetur in 4. lib. Reg. *Inuocauit Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Tunc facta est ista dies artificialis triplo fere longior. Tertiū miraculum adducit de prodigiosa solis eclypsi facta in morte Christi, de qua Lucas Euangelista: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque ad horam nonam, & obscuratus est sol.* Erat S. Dionysius cum Apollophane Heliopoli (quæ ciuitas erat Egypti, olim cultui solis dedicata) quando facta fuit eclypsis, & ambo cognouerunt miraculum, quia viderunt lunam soli coincidere, cum non esset coniunctionis tēpus: & contra ordinem naturalē lunæ moram esse motibus contrarijs.

Iosu. 10.

4. Reg. 20.

Luc. 23.

Tertius gradus contemplationis est, quando sub velamine veritatis incarnatæ eleuatur mens ad altissimas notitias diuinitatis. Velamina autem sunt passibilitas, fames, tristitia, paupertas, & omnes infirmitates, quas (absque peccato) pro nobis Verbum in natura nostra assumpsit: iuxtà illud Isai. *Verè languores nostros ipse tulit.* Diuinas imbecibilitates vocat S. Dionysius. Alludit ad illud Isaiæ: *Dominus voluit eum cōterere in infirmitate.* Sic humanitas Christi, est via ad cō templationem puram diuinitatis media, motione Spiritus Sancti eleuantis intellectū ad illam, S. Bonauentura ali qua testimonia Patrum cōgerit, S. Augustinus: *Ambula per hominem, si vis venire ad humanitatem, & peruenies ad Deum, scilicet, personam Verbi, in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ibi inuenit mens pascua cōtēplationis Dei, ex pascua humanitatis. Vnde S. Dionysius inquit, quod Iesus: *Paterna lux est vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad originem lucis Patrem accessum obtinuimus.* Lege S. Laurent. Iustinia. capit. 23. de cast. Connub.

S. Dion. Areop. c. 3. de diuin. nom.

Isai. 53.

S. Bon. itiner. I. ætern. dist. I.

S. Dion. c. I de cœlest. Hier.

Experta loquitur sponsa in hac diuina cōtemplatione: *Comedi (inquit) fauum cum melle meo*; fauus, sicut dicit Origenes, est cera virginea loculis distincta, quæ sunt melle repleta. Quid ergo aliud est comedi fauum meum cum melle meo, nisi gustaui dulcissimam diuinitatem in cera virgineæ humanitatis abscondita cum ipso absconso? His tribus gradibus, ex visibilibus creaturis, ex Sacra Scriptura, & miraculis, ex sapientia incarnata, consurgit mens ad contemplandum Deum, & eius diuina attributa altissimè, & occultè; ita vt dicere possit: secretum meum mihi, secretum meum mihi; quia nequit explicari, vt experitur. Hæc est via trium dierum in solitudine, per quam accedimus ad terram fluentem lacte, & melle, figuratam in filijs Israel in deserto.

Cant. 5.

Isai. 24.

Exod. 3.

CAPVT IX.

Triplex est gradus contemplationis infusa ex inuisibilibus obiectis.

PRimus gradus, est ex anima rationali, quæ obiectum est maximè proportionatū, vt per illud eleuetur mens supernaturaliter ad diuinam contemplationem propter similitudinē, quam cum Deo habet: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam* (consilio totius Trinitatis) *ad imaginem Dei creauit illum.* De imagine sic loquitur D. Ambrosius: Quæ imago diligentius ex interioris hominis nobilitate est consideranda. Primo, quòd sicuti Deus vnus semper, vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quòd in eo viuimus, mouemur, & sumus, sic anima in suo corpore vbiquè tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans. Nec enim in maioribus corporis sui membris maior, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Quæ quoque quandam S. Trinitatis habet imaginem, Primo, in eo quia sicut Deus est, viuit, & sapit, ita anima secundum suum modum est, viuit, & sapit. Est quoque alia Trinitas in ea,

Genes. 1.

S. Ambros. lib. de dignitat. huma. condit.

ea, quæ ad imaginem sui conditoris, perfectæ quidem, & summæ Trinitatis, quæ ex Patre, & Filio, & Spiritu Sancto condita est.

Et licet vnius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, idest, intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem (licet alijs verbis) in Euangelio designatur, cum dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente tua, idest, ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex patre generatur filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus est, non tamen tres Dij sunt, sed vnus Deus, tres habens Personas, ita, & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates, atque in tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. Hæc ille. Quasi eodem modo discurrit D. Bonauentura, Sanctus Bernardus cap. 1. meditatio. & cap. 57. de inter. dom. Hug. de S. Victor. lib. 1. de anim. cap. 1. Ricard. Vict. lib. 3. de cont. ca. 20. Nost. Harph. lib. 1. myst. Theol. cap. 97. & Auct. de spiri. & anim. cap. 6. Per suam ergo imaginem medio dono intellectus Spiritus Sanctus, eleuatur anima tanquam per speculum ad contemplationem mysterij Sanctissimæ Trinitatis. Aliquando verò à supernaturali motione ipsius S. Spiritus.

S. Bon. itiner. ment. in Deum c. 3. & c. 1 Soliloq.

Deinde eleuatur anima ad istam contemplationem ex virtutibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis, ex donis Spiritus Sancti, alijsque gratuitis. In hoc consistit similitudo Dei in anima reparata per Christum. Ex quibus oritur perfectior contemplatio Dei, nam vt asserit Sanctus Ambrosius citatus: *Quas virtutes quantò plusquisque habet in se ipso, tantò proprius est Deo, & maiorem sui conditoris gerit similitudinem.* Ratio est, quia hæc dona sunt participatio Dei Auctoris supernaturalis; præcipuè gratia, quæ participatio est diuinæ naturæ, vt sentiunt communiter Theologi. Vnde S. Bernardus ait: *Est alia magis Deo propinqua similitudo, quæ in virtutibus consistit.* Per quas tanquam per scalam ascendit mens ad Deum contemplandum mota à Diuino spiritu, qui tanquam in medio earum veluti cor existit gubernans, & viuificans. Prosequitur Bernardus ingeniosè: *In Cathalogo spiritualium exercitiorum Apostolus prudenter interseruit Spiritum Sanctum, dicens: In castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Vide ergo quomodo tanquam omnia facientem, ordinantem, & viuificantem, in medio bonarum virtutum, sicut cor in medio corporis constituit Spiritum Sanctum, ipse est enim omnipotens artifex, dans virtutem, iubans operationem, agens omnia fortiter, & disponens omnia suauiter.* Vide S. Bon. sup. c. 14. & Ricard Vict. li. 3. de cont. c. 24. Henr. Harph. li. 1. myst. Theol. c. 97. Hugon. de S. Vict. lib. 1. annotat. elucidator. c. 5. & in celest. Hier. lib. 2. c. 1.

S. Bern. de Vit. solit.

2. Cor. 6.

Ex imagine, & similitudine, anima sursum ascendit contemplatione infusa ad Deum, in eumque transformatur tanquam in imaginem, iuxta illud Pauli: *Nos autem reuelata facie gloriam Dei speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Tunc conuersatio mentis in cœlis est, illique adhæret per amorem. Experitur, quod per hoc quod anima facta est ad imaginem Dei, Deum cognoscit ex sua imagine, & per hoc quod facta est suam similitudinem, Deum diligeret, & cognoscendo, & diligendo Deum possideret, & possidendo beata esset. Sicut enim in vno elemento, scilicet, igne sunt inter se diuersa, & à se prorsus remota, splendor, & calor, nec splendor est calor, nec calor splendor, quia splendor lucet, & videtur, & calor ardet, & sentitur; nec splendor ardet, aut aliter, quam visu sentitur, nec calor lucet, aut videtur. Ita in spirituali anima imago, & similitudo Dei inter se quodammodo diuersa sunt. Nam secundùm illud originale bonum, quo facta est ad imaginem Dei, ipsa spiritualis creatura relucet ad contemplatio-

1. Cor. 3.

 nem,

nem, & secundum illud bonum, quo facta est ad similitudinē Dei, calet ad dilectionem. Lege Auctor de spirit. & anim. cap. 14. Pro similitudine creaturæ cum Deo S. Thom. 1. p. q. 4. art. 3.

Quamuis autem creatura rationalis per similitudinem, & imaginem Dei ad Deum conuertitur, & ad hoc creata sit, non tamen talis similitudo reciproca est ex parte Dei, propter infinitam distantiam naturæ diuinæ à natura creata. Audiamus S. Dionysium de hoc: *Atque (ait) hæc est diuinæ similitudinis vis, vt omnia quæ producta sunt, ad Auctorem suum conuertat. Ista igitur similia dicenda sunt, vt ad eius imaginem & similitudinem effecta; non autem Deus iis similis dicendus est, quia nequidem homo est imagini suæ similis: quoniam quæ equalia sunt, possunt sibi inuicem esse similia, & ab vtraque potest ista similitudo reciprocari, vt sint ambo similia inuicem secundū principalem speciem similitudinis: in causa verò ad effectus nequaquam admittemus istius modi reciprocationem.* Latè explicat Sanctus Maximus ibi.

S. Dionys. Areop. ca. 9. de diui. nomi.

Secundus contemplationis infusæ gradus est sublimior primo, quia iam eleuatur mens ad Deum contemplandum medio dono intellectus, vel speciali modo mota à diuino spiritu, non per speculum animæ, & donorum supernaturalium, sed per ipsum Deum, eiusque perfectiones sine medio creaturarum. Ad hunc gradū spectant omnia Dei essentialia, & absoluta; quòd, scilicet, est primū ens à se, & simplicissimum, ac purum actum perfectissimum, omnipotens, summū, bonum, & sic de aliis attributis. Pro quo videatur S. Bonauentura, qui huiuscemodi gradum contemplationis dicit esse: *Supra nos per lumen, quod est signatum supra mentem nostram, quod est lumen veritatis æternæ, cum ipsa mens nostra immediate ab ipsa veritate formetur.* Contēplatio per visibiles creaturas est extra nos, per imaginem nostram intra nos, de hac latissima, ac profunda materia agunt Bern lib de consideract. cap. 6. & 11. Ricar. Vict. lib. 4. de contempl. cap. 17. August. li. 7. confess. c. 5. Cassian collat. 1. c. 15. Bellar. grad. 1 o. ascens. ment. in Deum explicans illud ad Ephes. 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, sublimitas, & profundum.* Dion. Carth. de font. luci. c. 11. & alij, quos refert Thom. à Iesu lib. 4. de contempla. diuin. cap. 11. contemplatio ista fit, vel per affirmationē, vel per negationem, de qua dictū est hoc tract. cap. 3. & 4.

Nota

S. Bon. itiner. ment. in Deum cap. 5.

Tertius gradus est altior præteritis, & versatur contemplatio circa mysterium Sanctissimæ Trinitatis, ad quod modo supernaturali eleuatur mens, profundèque cognoscit illud. Consistit in primis secundum D. Bonauenturam ex eo quod est summum bonum se diffundens in tres diuinas personas per productionem substantialem hypostaticalem a quā nobilē, sicut est producens per modū generationis, & spirationis, ita quod sit æternalis principij æternaliter comprincipiantis, ita quod sit dilectus, & condilectus, genitus, scilicet, & spiratus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Deindè quomodo in tribus personis præter summam bonitatem, esse summam cōmunicabilitatē, & ex summa cōmunicabilitate summā cōsubstātialitatem & ex substantialitate summam configuralitatem, & ex his summam coæqualitatem, ac per hoc summam coæternitatem, atque ex his omnibus summam cointimitatem, quia vnus est in alio per summam circumincessionem.

S. Bon. immed. citat. cap. 6.

Denique quomodo ex eo quòd est in Trinitate summa consummatio, & vera diffusio, vera est origo, & vera distinctio. Et quia totum communicatur, non pars, ideò sum datur quod habetur, & totum. Vnde emanans, & producens, distinguuntur proprietatibus, & sunt essentialiter vnum. Quia distinguuntur proprietatibus, ideo habent personarum proprietates, & hypostasium proprietates, & originis emanationem, & ordinem, non posterioritatis, sed originis. Et quia sunt vnum substātialiter, est vnitas in essentia, dignitate, æternitate, & existentia: eodem fere modo loquitur Dionysius Carthusianus de font. luc. cap. 11. Cognoscit, quòd licet tres diuinæ personæ, sint vnum in essentia, in se ipsis sunt distinctæ, & non confusæ in parte vlla. Hoc explicat S. Dionysius exemplis familiaribus sub sensu cadentibus dicēs: sicut lumina lampadum, quæ sunt in vna do-

S. Dion. c. 2 de diuin. nomi.

domo; & tota sunt in se totis vicissim, non permixta, ac per se existunt perfectè inter se mutuo sigillatim distincta, coniuncta in vnum discretè; & discreta coniunctim. Cernimus in domo, in qua multæ lampades existunt, in vnum quoddam lumen cunctarum lumina coalescere, splendoremque vnum indiscretum, indiuiduumque proferre. Neque quisquam potest vnius lampadis lumen ab aliarum ex aere cuncta lumina continente secernere, atque alterum absque altero videre, quod tota totis sine confusione contemperata sint.

Quinimò si quis vnam lampadem educat è domo, simul exibit totum proprium lumen, nihil quidquam ceterorum luminum in se ipsa simul trahens, nec aliquid sui illis relinquens: Erat enim illorum totorum ad tota perfecta coniunctio, mera penitus, & nulla ex parte confusa. Hæc ille. Experientia conijcimus in tali casu lumina micantia in aere inuicem non confundi, sed quamuis sint coniuncta, loco puta tamen esse, suamque proprietatem seruare inter se discretam; nam si in cella ambeles illustrata, tres vmbræ resultant. Præterea, si magnam tabulam lucernis illis apponas, in cuius medio sit foramen, lucernæ tres per foramen illud tria lumina transuersò emittunt in oppositum. Lege Dionysium Carthusianum ibi latè, & doctè scribentem de hoc mysterio cap. 4. S. Dionysii art. 2. Disputant de illo Hilar. lib. 4 de Trinit. & Augustinus lib. 6. de Trinit. ca. vltim. ac omnes Theologi Scholastici. Pro his gradibus duobus contemplationis relatis videri potest Ricardus Victorinus, qui per sex libros de Trinitate agit eruditè Sacra Scriptura, & rationibus innixus; & Hug. de S. Vict. tract. 1. sum. sent. cap. 5. vsque ad 11. tom. 3.

Itaque ad hanc contemplationem spectant omnia, quæ de Trinitate dicuntur, ad quæ mens eleuatur, iuxta diuinum beneplacitum magis, vel minus. Fatetur de se S. Theresia à Iesu mansio. 7. c. 1. Experta fuit in hoc gradu contemplationis B. Angela de Fulgino, quæ de se ipsa sic loquitur: *Video Sanctam Trinitatem in tenebra, & in ipsa Trinitate quam video in tanta tenebra: videtur mihi, quod ego stem, & maneam in eius medio. & illud trahit me plusquam alia res aliqua quam hactenus habuerim, vel ali[q]uod bonum quod viderim; ita quod ipsius non est comparatio ad illa.*

B. Angel. de Fulgin. cap. 25.

Contemplationem istam sublimem, facit tenebram in intellectu, propter summam lucem obiecti, de quo infra, cap. sequenti Videtur Deus in caligine. Aliquando etiam sentitur in anima diuina Trinitas, vt docet Rusbrochius in Samuele, siue Apolog. cap. 1.

Triplex ista contemplatio fit sine concursu phantasmatum. Ratio est, quia obiectum omnino spirituale est, vt constat, atque adeò non formatur ex rebus corporeis ad imaginationem pertinentibus. De primo gradu ex dignitate animæ tenet Auctor de spiritu, & anima. Tunc enim fit contemplatio in intelligentia mediis spiritualibus: *Et nil sensualitas, nil a[g]it imaginatio: sed omnis inferior vis animæ proprio interim viduatur officio.* Factum est silentium partis inferioris, quandiu durat contemplatio, quasi dimidia hora... Remanet quod animale est in imo, quod verò spirituale est liberè ad summa euolat.

Auct. de spir. & anim. c. 3.

Hac de causa docet Hugo: *Terrenarum phantasmatum imaginum, & quidquid terrenũ cogitationi occurrit, respuat, & talem se intus quærat, & videat, qualis est sine ipsis. Supra se ipsam surgat, & se ipsam deserat, atque quodammodo in obliuionem sibi veniat, & se contemplationi creatoris sui subiiciat.* Est enim creata supra corpus, vt sine dependentia phantasmatum operari possit, ac tunc operetur illa respuendo.

Hug. de S. Vict. lib. 2 de anim. c. 20. .cn. 2

De secundo gradu circa Deum in se, idem sentit Sanctus Bernardus; intrat enim ipse Deus in animæ cubiculum absque imaginibus corporeis, eo certè securius, quo secretius: *In hoc arcanum (ait) in hoc Sanctuarium Dei, si quis fortè vestrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contingerit, vt minimè perturbet, vel sensus egens, vel quæ difficilius irruentia imaginum corporearum phantasmata: poterit quidem hic cùm ad nos redierit gloriari, & dicere: Introduxit me rex in cubiculum suum.*

S. Ber. ser. 23. in Cant.

Cant. 1.

De tertio gradu contemplationis circa mysterium Trinitatis idem omnino asserendum est. propter

rationes alatas: Et quia nulla creatura corporea inuenitur, quæ illud repræsentet, nec illi assimiletur Vnde constat ex dictis, quod in his tribus gradibus non interuenit officium phantasmatis, imò impedit, & obnubilat mentem. Refero Ricardum dicentem: *Cedat igitur imaginatio interim, cedat penitusque recedat: non est vtique in quo hoc opus adiubare valeat. Quid enim imaginatio ibi faciat, vbi ratio succumbit? Quid enim imaginatio vbi nulla est tr insmutatio, nec vicissitudis obumbratio? Absque dubio in eiu modi spectaculo officere potest, adiuuare omnino non potest.* Dari contemplationem infusam absque phantasmatibus dictum manet supra tract. 1. cap. 8. & hoc tractat. cap. 4. & 6. Præter Patres ibi citatos videri possunt S. August. tract. 102. in Ioan. & lib. 12. in Gen. ad lit. Gers. consider. 2. industr. 7. de myst. Theol. pract. 2. p. & tract. 1. sup. magnif. fine. & tract. 2 princip. S. Bona. latè de hoc dist. 3. de sept. itiner. æternitat.

Ricar. à S. Vict. li. 4. de cont. c. 4. p. 1.

CAPVT X.

Quæ sit contemplatio infusa in caligine diuina.

QVid sit diuina caligo docet S. Dionysius, dicens: *Diuina caligo lux est inaccessa, quam in habitare Deus perhibetur.* Vox caligo desumpta est ex Dauide: *Et caligo sub pedibus eius.* Psam. 17. Id circo addit: Quam inhabitare Deus perhibetur. Nam si sub pedibus eius caligo est, liquet eum tota ista caligine incomprehensibilem alioquin, & inuisibilem circumquaque operari. Rursus Isaias: *Et impleta est domus fumo.* Itaque diuina caligo Deus est lux inaccessa, id circò nomen caliginis accepit, quod nimirum inaspectibilis sit, quia lucem inhabitat inaccessibilem, propter splendorem exuberantem, sicut solem in meridie dicimus inaspectibilem, cum lucidicissimos radios eiaculetur. Nam quod lucis absentia facit, dum, scilicet, videndi facultatem operatione sua priuat clara, & solum abstractiuam, & confussam habere potest, sic aliquo modo efficit contuitus in solem meridianum fixus, nã ex exuberãte luce obtenebrat visum. Quo sensu dixit idem Dionysius de Deo: *Cum sit inaspectabilis propter exuberantem supernaturalis luminis effussionem.* Lux ergo est, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. 1. Ioan 1 & caligo. Dionysius Carthusianus: *Hinc Deus in caligine dicitur habitare, quæ caligo aliud prorsus non est, nisi incircumscripta, & pænitus interminata, atque impenetrabilis exhuberantia, & superefluentissima plenitudo, ac supersplendissima copia, pulchritudo, serenitas, & dulcedo lucis æternæ, quo ad suam immensitatem inuisibilis omni menti creatæ.* Hoc est, incomprehensibilis; videtur enim à beatis facie ad faciem clarè, & intuitiuè absque caligine, propter lumen gloriæ eleuans intellectum, quod deficit in viatoribus, respectu quorum caligo dicitur.

S. Dionys. Areop. ep. 5. ad Doroth.

Isai. 6.

Dionys. Carth præfat. myst. Theol.

Perfectissima est contemplatio ista in caligine: est enim notitia de Deo altissima, qua vnitur mens Deo, vt ignoto, eique inhæret secundum partem superiorem animæ, quæ est claritatis speculum in quo veritates æternas suscipit, & Deo similis efficitur. De qua portione sic loquitur Rusbrochius: Suppremaanimæ nostræ portio, nũquã non parata erit ad receptionem Dei, siquidem sit prorsus nuda, & formis seu imaginibus vacua, ad suum semper principium propẽdens, vtpote viuidum Dei speculum. Fitque cõtemplatio hæc caliginosa per illapsum Dei sub ratione lucis increatæ in mentẽ, quam illa inaccessibili luce perfundit, atque absorbet, & anima vnitur per contemplationem cum Deo immediatè, illique inhæret intimo modo sine medio, quia contemplatio est ipsa vnio orta ex diuina luce, & ab intellectu producta, vbi plura arcana diuina manifestantur, nuda sicuti sunt, sine symbo lis, & tegumentis.

Rusbr. specul. Salut. cap. 5.

Hoc insinuat ipse Dionysius alio loco, qui orat Sanctam Trinitatem, vt nos dirigat ad mysteriorum oraculorum plusquam indemõstrabile, & plusquam lucens, & summum fastigium; *Vbi simplicia, & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria, aperiuntur in caligine, plusquam silente silentii arcana docentis, quæ in obscuritati tenebricosissima plusquam clarissimè super lu-*

S. Dionys. Areop. ca. 1. my. Th.

lucet, & in omnimoda inuisibilitate per pulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Si silentium illud actiuè accipias, quod omnibus interpretibus placet, significat tale silentium esse rerum mysticarum, veluti Doctorem, & initiatorem, siue ipse Deus, qui cum summa pace, & silentio per suam lucem ducit intellectum ad contemplationem. Si verò passiuè accipiatur, silentium istud arcanarum denotat, quod anima ad illud silentium redacta per cõtemplationem, suscipit in se diuinum arcanum cum Deo vnita, simplicia, & absoluta, idest, nuda, vt in se sunt. Splendoribus mentes super adimplet, non splendore tantùm, quia Deus non vno genere splendoris animam implet, sed multo, & vario, vtporè, qui omnis lucis pulchræ fons, abyssus, & plenitudo est.

Splendores autem, ipsam diuinam essentiam, eiusdemque proprietates, interpretatur Herpentius ibi, quæ sub ratione lucis in animam illabuntur, eamque illustrant (vt explicatum est) ab ea cognoscuntur præstantissimo modo, licet in caligine propter exuberantem supernaturalis luminis effusionem. De excellentia huiusce modi cõtemplationis ait S. Dionysius ad Dorothæum: *Ad hanc pertingit, quisquis Deum nosse ac videre meruit, eoque ipso, quo neque videt, neque cognoscit, in illo verè qui visionem, & cognitionem superat, existit hoc ipsum sciens, eum in omnibus, tam sẽsibilibus, quàm intellectibilibus existere, & cum Propheta pronuntians: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Cognoscitur Deus in se ipso transcendentem omnia, quæ sensu, & intellectu percipiuntur. Sicque est suprà visionem, & cognitionem, & neque videre, nec cognoscere animam dicitur. Hoc est, quod Sanctus vocat; per vacationem omnis cognitionis, secundum meliorem partem copulatus, & eo ipso quòd nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

Psalm. 38.

Vnde non temerè inferre liceat apicem mentis, seu mysticum fastigium proximè accedere ad statum beatorum, in quo Deus ita Sanctorum erit plenitudo, & adimpletio, vt etiã teste Apostolo, futurus sit: *Omnia in omnibus.* Tunc enim anima in caliginosa contemplatione super essentiali deitati tã radiosè, amorosè proximè copullatur, vt quasi à se defluit, & in infinitum defluit fontem; sicque in diuitias gloriæ rapitur, & in deitatis abissum profundatur, & deificatur; atque adimpletur illud Pauli: qui adhæret Deo, vnus spiritus est.

Hac diuina contemplatione insignitum fuisse Moysem testatur S. Dionysius, quando in monte Sinai: *Accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Vnde S. Bonauentura ipsum citat, ac sequitur dicens, verus contemplator est, si sursum tractus est super omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ. Et hic gradus contemplationis, est de quo loquitur Dionysius, aiens: Adhuc restat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quod Moyses separatur ab his, qui locum Dei se cum viderãt, & subtrahitur illis visis, & intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehensibilitati diuinæ, quã non penetrat intelligentia, quæ verè est omniũ clarissima, & in se claudit, & secretissimè celat omnes cognitiones cõprehensiuas (solus enim Deus se comprehendit) tãquam in causa prima omniũ, & per eam omnis vnitus Deo, qui est suprà, omnia constituitur inexcellentia, quam neque ratio inuestigat, nec intellectus speculatur, & ab omnibus, & quasi à se ipso seggregatur, & per vnionem dilectionis, quæ affectiua est veræ cognitionis vnitur Deo intellectualiter ignoto, cognitione multò meliori, quã sit cognitio intellectualis in eo quod intellectus intellectualem cognitionem dereliquit, & super intellectum, & mentem Deum cognoscit. Hæc Seraphicus Pater secundum versionem Vercellensis, Ricardus: *In medium nebulæ Moyses ingreditur, quando humana mens ab illa diuini luminis immensitate absorta sui obliuione sopitur: ita vt mirari valeas, & iustè mirari debeas, quomodo concordet ibi nubes cum igne: & ignis cum nube: nubes ignorantiæ, cum illuminante igne intelligentiæ.* Breui sententia explicat, quomodo contemplatio ignorantia sit, & scientia. Ignorantia, quia mens absorbetur immensitate lucis diuinæ, scientia, & notitia, quia intromittitur in abyssum Dei.

Exod. 20.

S. Bon. itine. 3. æter. dist. 4. ar. 6

Ricard. Vict. lib. 4. de cont. c. 22. p. 1.

Henr. Harph. li. 3. myst. Theol. cap. 16. p. 3.

In hoc fœlici statu iuxta Harphium nostrum, Deus est pax, qui est, & quædam fruitio animæ. Vbi mira contabulatio, mutua, & plena complacentia ipsius Dei, & spiritus gaudium, tã opulentum, vt omnem capacitatẽ spiritus excedat. Ibi spiritus velut spiratus, sine spiritu effectus (scilicet, sine operationibus acquisitis) à se ipso defluens, & transiens vnus cum Deo spiritus per fruitionem constituitur per contemplationem caliginis, & per vnionem intimam voluntatis, quod est quædam animæ fruitio huius vitæ, ac mystica Theologia experimentalis, de qua egimus suprà. Ipse Harphius optimè depingit animam in hac caligine collocatam: constituitur in quandam Dei perfectam ignorantiam, velut inter duas mensas, ibique fame potius perire eligit, quàm descendere ad mensam inferiorem, vbi Deus in imaginibus, & similitudinibus cognoscitur (est enim inferior contemplatio ista:) ad mensam verò superiorem, vbi Deus in sua nuda essentia videtur in patria adire, non permittitur. Sic igitur manet sedens in nuda caligine, immediatè vnita Deo ignoto, qui refulgere non cessat: *Sed adhuc nubes, & caligo sub pedibus eius* (ait Ricardus,) *adhuc tronus eius in columna nubis, lene, & blandum, quod sentitur, sed nubilum quod cernitur. Anima dilectum suum sentire potest, sed videre non potest. Si videt, videt quasi in nocte, videt velut sub nube, videt per speculum in ænigmate, nondum facie ad faciem. Vnde dicit, illumina faciem tuam super seruum tuum.* Lege Rusbrochium ca. 14. de gradib. amor.

Tract. 1. c. 11.

Harph. li. 2. myst. Theo. cap. 58. p. 3.

Ricard. Vict. de gradib. violent. charit. p. 1.

B. Angel. de Fulgi. cap. 25.

Audiamus contemplatricem B. Angelam de Fulgino, expertam in caliginosa contemplatione nobilissima, deque nobilibus virtutibus in ea operantibus; de se ipsa loquitur sic: & post istud vidi Deũ in tenebra vna; & ideò in tenebra, quia est maius bonũ, quòd possit cogitari, aut intelligi; & omne quod potest cogitari, vel intelligi, non attingit ad illud. Et nũc data fuit animæ fides certissima, vna securitas de Deo continua, ita quod abstulit omnẽ timorem, & in illo bono quod videtur in ea tenebra, recollegi me totã, & affecta ita secura de Deo, quòd nũquã possum dubitare de, eo quin Deum habeam certissimè; & in illo bono efficacissimo, quod videtur in tenebra, est modo spes mea tota recollecta, & secura. Frequenter igitur video Deum illo modo, & in illo bono, quod narrari exterius non potest, nec etiam cogitari corde: in illo inquam bono certissimo, & incluso, quod intelligo cum tanta tenebra, habeo totã spem meã; & in videndo quidquid volo habere, totum habeo; quidquid volo scire, totum scio, & video ibi omne bonũ. Nec anima in videndo potest cogitare de discessu illius boni, vel de discessu ab illo bono, nec quòd debeat de cętero discedere: sed delectar ineffabiliter in illo omni bono, & nihil videt omnino anima, quod narrari possit ore, nec etiam concipi corde; & nihil videt, & videt omnia omnino. Et quia illud bonũ est cum tenebra; ideo magis certissimum, & magis superans omnia, quantò magis videtur in tenebra, & est secretissimum.

Et postea video eum tenebra, quod superat omne bonũ, & omnia, & omne aliud est tenebra, & omne quod cogitari potest est minus illo bono. Sed isto modo quando videtur Deus in tenebra, non apportat risum in ore, nec feruorem, nec deuotionem in corde, nec feruentem amorem; quia corpus non tremuit, nec mouetur, nec sic alteratur, sicut consueuit fieri in alijs; corpus enim nihil videt, sed anima videt, & corpus quiescit, & dormit, & truncatur lingua, quia tunc nihil potest loqui. Et omnes amicitias, quas Deus ostendit mihi multas, & innenarrabiles, & omnia verba dulcia ab eo mihi data, & omnia alia data, factaque, in tantum sunt minus illo bono, quod video cum tenebra tanta, quòd non pono spem meam in illis; imo si possibile esset, quòd essent omnia non vera, nullo tamen modo minuerent spem meam, nec minueretur spes mea securissima, quę est certa illo bono, quod video cum tanta tenebra. Ad istum autem prædictum modum altissimũ, & omnino ineffabilem videndi Deum cũ tanta tenebra, & super memorabili gratia visionis, est mẽs mea, tribus tãtũ vicibus eleuata, quãuis multis, & innumeris vicibus viderim istud omne bonũ semper cũ tenebra, sed nõ prædicto altissimo modo cũ tãta tenebra, in hoc vltimo gradu fa

tetur

teturse vidisse santã Trinitatẽ, ac in alijs denotat exercitium heroycum trium virtutum Theologicarum. Ex quo colligitur, quòd huiusmodi contemplatio in caligine obtinet diuersos gradus, secundum maiorem, vel minorẽ illustrationem diuinam, maiorem, vel minorem approximationem animæ ad Deũ, qui est diuina caligo, & inaccessa lux modo explicato. Vnde maior, & perfectior est contemplatio in maiori tenebra, & minor in minori.

CAPVT XI.

Quomodo fit contemplatio infusa in caligine?

QVo pacto fiat contemplatio hæc ex parte Dei, & ex parte animæ docet S. Dionysius: Ex parte Dei, quia cum cunctis creatis superessentialiter supereminet, ostenditur absque operimentis, idest, sine symbolis, & figuris. Ex parte animæ, quia hæc ostensio fit: *Solis iis qui cuncta quæ impura, quæque pura sunt, pertranseunt, omnenq; omnium Sanctorum fastigiorum ascensum transcendunt, & omnia diuina lumina, & sonos, & sermones cœlestes relinquunt, & in caliginem absorbentur, vbi verè est, vt dicit Scriptura, qui est vltra omnia.* Itaque Deus se ostendit, sine imaginibus per illapsum in animam, vt dictum est capite præcedenti. Mens verò debet relinquere omnia materialia, & spiritualia, quod denotant illa verba: *Cuncta*, quæ impura, quæq; pura sunt. Etiam suppremas naturas Angelorum, quas cap. 1. de cœlesti Hierarch. vocat Sanctus vertices. Hoc insinuat, illis verbis: Omnẽ omnium Sanctorum, &c. Debet etiam transcendere anima omnia diuina lumina, qualia Moysi in rubo, Exod. 3. in columna nubis populo Israelitico, Exod. 1. Moysi in monte Sinai, Exod. 19. & similia. Denique sermones cœlestes, quales fuerunt Domini ad Noe, & ad alios Patres veteris testamenti, Abraham, Isac, & Iacob, & ad Prophetas. In quibus verbis, docet Dionysius fieri contemplationem in caligine abstracta ab his visionibus, & reuelationibus, vt mens in caliginem absorbeatur. Confirmat exemplo Moysis, qui ab omnibus his abstractus, & absolutus: *In caliginem verè mysticam ignoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit, per vacationem omnis cognitionis, secundum meliorem partem copulatus.*

S. Dionys. Areop. ca. 1. mystic.

Exod. 19.

S. Maximus, sic commentatur Dionysium: Sic intelligendum est, quòd Moyses locum vbi Deus steterat contemplatus, tùm ab his, quæ videntur absolutus, idest, ab omnibus sensibilibus, ab spectabilibus, idest, ab omnibus rationalibus, intellectibilibus inquã, & intelligentibus substantijs, & cum his etiam ab animabus nostris liberatus, posteà in caliginem ingressus, hoc est, in Dei ignorationem mysticam, om nis cognitionis subsidia exclusisset, fit intactili, & inaspectibili mente Dei, qui supra omnes intelligendi facultates constitutus est, atque hoc modo erat ignorationi, cessationique coniunctus, non dico per ipsius propriæ mentis cessationem, sed secundum potiorem mentis portionem isti ignoto, quod omnia excedit, pœnitus vnitus; tùm demum, sine notione (scilicet acquisita) omnia nouit. Hæc ille. Et quia ipse Dionysius dicit, quòd Deus per ignorationem cognoscitur. Notat alio loco Maximus, ait: *Ignorationem non eam accipias, quæ ex inscitia oritur, nã hæc existit quænam animæ caligo, sed secundum illam ignorationem, secundũ quam simplificati supra notiones, omnemque Dei cognitionem transcendentes, simplices efficimur.* Ignoratio ergo hæc non est priuatio cognitionis Dei, imò est perfectissima notitia ipsius, secundumquam mens vnitur Deo simplici intuitu, opposito multiplicitati cognitionũ aliarum rerum, quæ in anima diuisæ sunt, & non vnitæ in vno Deo ignoto.

S. Max. ibi

S. Max. c. 2. de diui. nom.

Eodem modo explicat S. Bonauentura, S. Dionysium instruentẽ discipulum suum Timotheum ad istam contemplationem, quando docet eũ: *Intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & non sunt vniuersa, vt ad vnionem eius, qui supra essentiam, & scientiam est, quantum fas est, inde mõstrabiliter assurgas.* Docet eũ (inquit Seraphicus Pater) derelinquere omnes reuelationes sensibiles, & omnes reuelationes intellectuales tam naturales, quàm supernaturales, & omnia se

Cap. 1. mystic. Theol.

S. Bon. itiner. 5. ætern. dist. 6.

sensibilia, & intelligibilia, donec ingrediatur caliginem, occulti silentij, in qua reuelatè, & verè apparet Dominus superintellectualiter. Gradus igitur ascensionis istius est, primò derelinquere omnia sensibilia; secūdò omnia intelligibilia; tertiò ingredi caliginē, vbi apparet Deus. Concors est Vercellensis, adducens historiam Moysis allegatam. Sic fit contemplatio in caligine, media qua mens vnitur immediatè incomprehensibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ omnium clarissima est, & in se claudit, & celat secretissimè omnes cognitiones comprehensiuas, exemplum huius planè videtur in luce stellari, quomodo absconditur in luce solari in meridie.

Necessitas relinquendi omnia sensibilia, & intelligibilia, denotatur illis verbis Dionysij, *intēta exercitatione.* Aliter erunt impedimenta contemplationis istius, si deficiat intenta exercitatio. Quemadmodum si cuidam homini daretur graue pondus fune attrahendum, si aliquid attractiuæ facultatis interim remitteret, rursus ab initio, vt vires colligat, & intendat, necesse est, & si iterum remittat denuò ad principium redibit, & nihil rectè peraget, quoniam, vel parua remissio rectū destruit. Sic mens debet relinquere à intē ta exercitatione omnia sensibilia, & intelligibilia, quæ creaturæ sunt, & tenebræ respectu increatę lucis, vt ab omnibus absoluta recipiat lucem cōtēplationis puræ, & per ipsam vniatur Deo immediatè simplificata, vt dictum est. Atque sub vmbra illius sedeat recollecta per modum vnius integrè, & non respersa, ac diuisa, terminata immediatè ad Deum, velu ti linea recta ad centrum.

Gers. trat. 7. supr. Magnif. de exper. Vnio. Verit

Declaratur amplius à Gersone sic: sit oculus in excelso monte, qualis fertur esse olympo, sit ab imò nubes caligino à prohibens aspectum eius, quæ subipso sunt, sit sursum inter solem, & oculum alia caligo impediens aspectū solis directum, non autem diffusionē luminis ex obliquo; constat quòd oculus satagens inspicere solem, non intuebitur, nisi caliginem; quamuis inde suscipiat obliquam irradiationē. Alioquin non videret oculus istam caliginem radiatione huiusmodi non existēte, potest ad hoc induci illud Isaiæ, surge illuminare Hierusalem: ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Consonant verba Ricardi de diuisione animæ, & spiritus; in hac, inquit, diuisione anima, & quòd animale est in imo remanet, spiritus autem, & quòd spirituale est, & quod ad summa eleuat, & ab infimis diuiditur, vt ad summa subleuetur: ab anima scinditur, vt Domino coniugatur; quia qui adhæret Domino, vnus spiritus fit cum illo. Felix diuisio, & admirabilis separatio, vbi quod corpulentum est, & feculentum, deorsum remanet, quòd spirituale est, & sublime, vsque ad contemplationē diuinæ gloriæ sublimatur, & in eandē imaginem transformatur. Hæc ille satis ad propositum. Ordinatissimus ergo procedendi modus in hac contemplatione est, cum mens supra se prouecta mouetur in Deum immediatè velut in centrum suum, sine omni mixtione, vel intermissione alicuius creaturę inferioris, vel superioris. Multa inuenies in N. Harphio, & magna, quæ ob breuitatem omitto. Vide Dionysium Cartusianū cap. 1. myst. Theol. artic. 1.

Henr. Harp. lib. 3. mystic. Theol. cap. 21. par. 3.

Hac de causa, contemplatio ista in caligine appellatur à mysticis Doctoribus modinescia; nam virtus intellectiua, vt notauit idem Harphius alia parte, in modum modi nescium eleuatur, ita vt eius intuitus, sine modo fiat, nec hic, nec sic ibi firmetur, sed omnia quodāmodo, sine modo complectitur, eo quod eius intuitus ei superexaltatus, & eleuatus sit, modo sibi ignoto supernaturali infuso. Nec intuitum reuocare valet, quia totus est ab eo diffluens, sine modo, sine fine, ac sine reuersione; quia quod capere desiderat, adipisci ad votum non valet. In hoc statu anima quāuis sedet sub vmbra sponsi possidens, ac gustans ipsum, & eius fructus, tamen aspirat ad contēplandum Deū clarè in patria, fruique ipso facie ad faciem, quia ad hoc allicitur, & incitatur. De intima, & perfectissima vnione voluntatis secuta ad contemplationem in via vnitiua agemus.

Harph. lib. 3. Mistic. Theol. cap. 29. p. 4.

CA-

CAPVT XII.

Quæ sit quies, quæ contingere solet in contemplatione in caligine.

EX contemplatione in caligine solet contingere in mentibus perfectis summa quies, ac ex intima vnione cum Deo. Quid sit ista quies, & quid boni admirabilis anima possideat, tūc docet S. Bonauētura, his verbis, quies est totius animæ mira, & quædam suauis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinē concreata. Solis valdè spiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus, & datur etiam ipsas supercœlestes substantias contemplando transcendere. Superignota enim bonitas ipsis familiaris, se ipsam eis immittit, & ipsi tota virtute dilatato sinu sancti desiderij, potenter suscipiunt beatas immissiones. Sic igitur puris Sanctorum cōtemplatiuorum animabus, tam insueto nutrimento ditissimè adimpletis splendescit ipsorum ratio, dulcescit cōcupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione, quorum deificam illam quietem nō ambigimus emanare. Hic gradus gloriosior, & præciosior est, quo vltimo modo gradui, qui solùm patriæ est, appropinquat. Hæc Seraphicus Pater.

S. Bona. de sept. grad. amor. t. 2. opusc.

Ex hac sentētia videtur, quòd quies est quædam animæ satietas, qua nihil aliud appetere potest, per beatas, & diuinas immissiones, totus intellectus est clarificatus, intimèque Deo vnitus media sublimi contemplatione in apice mentis. Voluntas, quæ potētia irascibilis rationalis dicitur, prout tendit ad ardua, vnita est etiā eminenti vnione cum summa bonitate. Voluntas item, prout concupiscibilis rationalis, adepta est commodum summum. Vnde anima satiatur, adimpletur, iuxta suum dilatatum sinum; ac in Deo requiescit diuina quadam fruitione, & Deus in ea. Corporalis sensus sopitur, bestialis appetitus obstruitur, exteriorum memoria intercipitur, affectio inebriatur, ratio transformatur à claritate in claritatem; intelligentia innouatur, mens tota à se ipsa alienatur, & trāquillè quietatur in fœlici, ac supprema regione cum Deo: *Vndè* (ait N. Harphius) *ex diuino contactu plerumque spiritus amans per amplexū quendam vnitiui amoris pœnitus liquescit: quoniam ex illo profluit quoddam incendium adimplens virium superiorum vnitatem & consumens vniuersas imagines & omnia media.* Sic mens manet in sua quiete, quia consecuta est suam perfectionem perfecto modo, & satiata; sicut quælibet res in adepto fine suo quietatur; vt videtur in lapide quando peruenit ad centrum, & in pisce in aqua. De fructibus quietis plura S. Theres. cap. 14. suæ vitæ, & sequentibus. Fœlix nimis, qui huius gradus collem attingit: hic planè Angelificatus in præsenti futuram iam inchoauit vitam. Reuelata enim facie gloriam Dei speculatur, quia remota omni impuritate, velante faciem intelligentiæ, rimatur super ignotam, & simplicissimam, & super splendentem æternitatis claritatem, gauderque pace tranquillissima ad modum Angelorum. Quomodo manet anima transacta hac fœlicitate, optimè de pingit Hugo sic loquens: verumtamen, cum ab illo sublimitatis statu ad nos metipsos reddimus, illa quæ priùs suprà nosmetipsos vidimus in ea veritate, vel claritate, qua priùs perspeximus, ad nostram memoriam omnino reuocare non possumus. Et quamuis inde aliquid in memoria teneamus, & quasi per medium velum, & veluti in medio nebullæ videamus, nec modum quidem videndi, nec qualitatem visionis recordari sufficimus, & mirum in modum reminiscentes non reminiscimur, dum videntes non prœuidemus, & aspicientes, non perspicimus, & intendentes non penetramus. Hæc ille, lege Ricardum. Non mireris, quia in isto statu occultissima, & secretissima est diuina communicatio quietem animæ faciens; nam vt docet Harphius citatus: *Apparitio quædam* (purè spiritualis) *sequitur vitam perfectam demonstrans; sed quomodo, vel quid sit in se, pœnitus est indicibile: quia nec aliqua potest ostendi similitudine, nec verbis, aut exemplis edoceri: sed ex Deo effluit, & in mente sublimiter eleuata semet ostendit, quam dum contemplari spiritus appetit, subito sui modū amittit, & cum lumine illo vnum efficitur: quia eius complexu spiritus clarificatur, & totus diuino lumine perfunditur,*

Henriq. Harp. lib. 3. mystic. Theol. cap. 18. p. 3.

Hug. de S. Vict. lib. 3. de anim. c. 49.

Ric. Vict. libr. 4. de cont. c. 23.

Henriq. Harp. sup.

tur, primæque veritati, quæ Deus est, vnitur: Vbi Deus in eo, & ipse in Deo requiescit, ac æterna quadam fruitione alter alterius est amplexus.

Hanc quietem concomittatur quoddam mysticum silentium. Memoria manet, sine imaginibus nudata, sine actu. Eodẽmodo phantasia, non irruũt peregrinæ imagines corporeæ, nec ipsa operatur. Sic ociosæ existunt absq; operationibus vacuæ, velut visus in nocte. Anima etiam silentium obseruat, sed aliter. Non enim ociatur, quia vnita est cum Deo media cõtẽplatione, & amore (aliter nihil ageret;) tamen manet transformata in summo silentio in dilectum suum. Qua de causa nihil aliud appetit, nihil aliud vult, solũ manere in sancto ocio, quòd charitas quærit, & in suo exercitio gaudet in illo. Vnde oritur, quòd nec intellectus, nec voluntas ad alios actus procedunt, sicquè tota anima profundata in pelago diuinæ bonitatis, quę Deus est, manet in silentio admirabili, sine diuersione, ac similis fluminibus, sine cessatione, & reuersione in mare defluentibus, quia mare est eorũ proprius locus. Atque adeo medium silentiũ tenent omnia, & non est qui derideat sabbata eius, prout stabilita est in summo bono absque motu quieti dictę opposito, aliquomodo pro tunc Deo assimilata, qui sine motu est, vt S. Dionysius docuit, cap. 1. de diuin. nom. & caliginẽ, silentiũ vocat, nã mens libera manet in summa pace, vt dicimus: & quia gaudet vera pace, gaudet, & cõcordia, sine contrarijs motibus; etenim, vt ait S. Thom. pax includit cõcordiã occasione sumpta. Ex S. Dion. ca. 11. de diu. nom. vbi agens de Deo, inquit: *Age iã pacẽ, & conciliationis Principem pacificis laudibus prosequamur.* Concludit Angelicus Doctor: *Concordia importat vnionem appetituum diuersorum appetentium: pax autẽ supra hanc vnionem importat etiam appetitum vnius appetentis vnionem.* Ecce quomodo cũ concordia, & pace vniuntur in vnũ etiam diuersæ potentiæ, ex quo oritur silentium earum, & otium sanctũ. Lege Hug. de S. Vict. lib. 2. de anim, cap. 20. & Ric. Vict. in Ps. 28. *Est ergo* (ait Bernardus) *fructuosum, & negotiosum silentiũ. Moyses in silentio loquebatur, & in ocio operabatur. Quando iustus solus est, qui semper cum Deo est? Quomodo solitarius est qui à Christo non separatur? Quando autem feriatur à negotio, qui nunquam feriatur à merito, quo consummatur negotiũ? Quibus autẽ locis circunscribitur, cui totus mundus diuitiarũ possessio est? Qua æstimatione definitur, qui nec operatione comprehenditur.* O magnum silentiũ quadam quasi immensitate fructuosum, ociosum, & negociosum! Bonum est prę stolari cum silẽtio salutare Dei, & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium. Non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur, vt splẽdor iustus, & saluator, vt lampas accẽdatur. Habet enim amor sanctus inquietudinem suam, & silentium diligit. Se ipso contentus, sic sedet solitarius, & tacet, & leuat se suprà se, Tren. 3.

S. Thom. 2. 2. q. 29. artic. 1.

S. Bernar. lib. de ord. vit.

Tren. 3.

Isai. 62.

Denique ex intima cõtemplatione, & vnione oriuntur in anima quædam suauitas admirabilis, & gaudium cœleste. Ratio est, quia operationibus illis attingit immediatè mens Deũ, & per attingentiam sentitur suauitas, & gaudium de Deo, de bonitate haurit gaudium, & de suauitate suauitatẽ. Sic in obiectis sensuum experitur cum attingunt ea, quæ suauia, & dulcia sunt, ac pulchra. Qui ad istum statũ eleuantur, participant solidum cibum spiritualẽ, & diuinum, vt alter Paulus, quando de se, inquit: *Quando autẽ factus sum vir, euacuaui, quæ erant paruuli.* Vndè S. Dionysius: *Arbitror solidum illum cibum intellectibilis, ac perseuerãtis perfectionis, & identitatis signum per se ferre, quo spirituales isti sensus, secundum constantem, ac potissimam, & singularem illam indiuiduam scientiam diuina participant, quos diuinissimus, quoque Paulus solidi verè cibi à sapientia accepti participes facit.* Isti hoc substantiali cibo cibati vniformiter vniti Deo sunt, secundum interiores sensus benè exercitatos, & non diuisi in alia, pręter ipsum Deum. Tantò magis replentur suauitate, & gaudio, quantò intimius, & perfectius diuinæ naturæ vniuntur, per contemplationẽ, & vnionem, quia de illa magis participant, & ipsa indeficientium deliciarum suarũ affluentiam eis præbet. Istud est veraciter epulari. Ceterum, quia mentem à se ipsa alienat ebrietas nominatur à Ricardo ex sacra Scriptura probans: *Visitasti terram, & inebriasti eam. Audi hominem hac ebrietate madentem, &* quid

1. Cor. 13.

S. Dionys. Areopag. epist. 9. ad Tit.

Ricar. à S. Vict. Beniamin. c. 37. p. 1.

quid circa se agatur omnino ignorantem. Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quomodo putas inebriatus erat, quando mundus ei in obliuionem venerat, qui seipsum nesciebat?

CAPVT XIII.

Quid sit somnus animæ mysticus.

DVlci somno dormit anima in contemplatione sanguinis eleuata. Per notitiam simplicem de Deo profundam, ac per purissimam vnionem in ipso Deo absconditur, in eoque dormit, & vigilat, vt fatetur in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ex hoc loco explicat Sanct. Bonauetura, somnum mysticum, ac docet quid sit similis dormitio, & vigilatio animæ, dicens: Est talis somnus sicut illorum qui incipiunt dormitare, & videntur tamen sibi ea, quæ circa se fiũt aliquo modo sentire, & intelligere; sed præ sopore non aduertunt, nisi vellint sibi vim facere, vt ad se plenius reuertantur. Amor enim Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem: & ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat, & coniungit, & quantò amor vehementior, & intelligentior, & lucidior, tantò validius mẽtem in se rapit, quousque tandem omnium quæ sub Deo sunt plenè oblita, in solo diuinæ contemplationis radio liberè figatur. Hæc Seraphicus Pater.

Cant. 5. S. Bon. pro c. ff. . reli. ca. 102.

Hoc statu tota anima cum omnibus potentijs suis, & viribus in Deum collecta, vnus fit spiritus cum eo nihil meminit nisi Deum, nihil sentit, nec intelligit, nisi Deum, & omnes affectus in contemplationis, & amoris gaudio, in sola conditoris fruitione dormiunt vigilantes. Manent tres animæ potentię deificatæ, in quibus imprimitur Deus velut quoddam sigillum. Ratio iuxta capacitatem suam illuminatur, ad Dei cognitionem, qui summa veritas est; voluntas perfectè afficitur ad amandum summam bonitatem, & memoria absorbetur plenè ad fruendã summam felicitatem: vndè est quædam beatitudo inchoata huius vitæ: in qua mens stabilita dormit, quia abstracta est ab omnibus sensibilibus creatis, eo quod phantasia, & sensus exteriores non impediunt; Ædificans enim Hierusalem Dominus omnes dispersiones Israel in vnum congregat; mensque in Deum transformata, & satiata, omnia præter Deum fastidit, spontaneèq; spreuit, & in ipso Deo pacificè dormit. Audiamus Ricardum super illud: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam. Pax illa* (ait) *per quam anima obdormit, & in qua, per quam exteriorum omnium interim memoriam amittit, per quam ipsa sibi in obliuionem venit, in qua se ipsam supergressa tota in Deum transit. Pax illa quid aliud esse videtur, quam ineffabilis quædam spiritualium deliciarum superfluentia, mira, & ineffabilis quædam facietas cœlestium desideriorum?* Infra explicat somnum mysticum per somnum naturalem, nam quod facit somnus naturalis circa hominem exteriorem, hoc facit somnus mysticus circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat sensum corporeũ, aufert officium sensuum exteriorum, atque membrorum. Sicut ergo per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis: Sic per spiritualẽ somnum exuperantur omnes sensus mentis. Simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, & intelligentiam, vt constet quòd Paulus scribit, quia exuperat omnem sensum. Huiusmodi somnũ anima inter veri sponsi amplexus capit, cum in eius sinu requiescit, ac dicit: *Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Propterea dulcissimus sponsus leuam suam capiti eius supposuit, quatenus in sinu suo eam faciat dormire.

Psalm. 4. Ric. Victor. in Ps. 4.

Can. 2.

Hac de causa sentit D. Bernardus, quòd ipse sponsus custos efficitur spõsæ dormientis, ne suscitetur à somno, iuxtà illud: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, vt non excitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quòadusq; ipsa velit. Vbi manifestè* (inquit) *inducitur cœlestis sponsus vehementissimè zelans pro quiete cuiusdam dilectæ suæ solicitus seruare inter brachia propria dormientem, ne qua fortè molestia, vel inquietudine à somno suauissimo deturbetur.* Tunc anima dilecta transuolat mentis puritate irruentia, vndique phantasmata corporearum similitudinum; valetque dicere: *Abscondit me in tabernaculo suo in die malorũ, pro*

S. Bernar. ser. 52. in Cant.

Psalm. 26.

te-

fariè, multisque modis per diuersas nationes probatæ dicũtur, non parua exinde scandalorum in Christiana Religione, & deuotione populorum formidatio. Denique in ipso silentio, & dissimulatione, pericula, & discrimina occurrunt; quandoquidem, quæ sunt friuolæ, & suspectæ, quasi comprobãtur pro veris, & securis, si non corredarguantur, ac refutentur.

Verùm quidem est, quòd discretio hatum dependet à gratia gratis data, quam Apostolus appellat, discretionem spirituum, Maximè in diabolicis, nam vt dixit ipse Paulus: *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, peroptimè S. Gregorius super illud Iob: *Quis reuelabit faciem indumenti eius? Subaudis, nisi ego* (scilicet Deus) *qui seruorum meorum mentibus gratiam subtilissimæ discretionis inspiro, vt reuelata malitia faciem eius nudam videant, quam coopertam ille sub habitu sanctitatis occultat.* Bonos enim latenter sub sanctitatis specie decipit falsis visionibus, & reuelationibus, ac locutionibus. Hoc non obstante, Sancti Patres, & Doctores agunt de hac materia, vt qui talem gratiam non acceperint, quæ paucorum est, possint prudenter discernere inter veras, & falsas, iuxtà regulas ab eis traditas, ne cæci cęcos ducant, ac in foueam cadant ductores, & ducti, nesciendo zizaniam à frumento scindere, iudicando mentitum lumen pro vero, noctem pro die, tenebras pro luce, sicque omnia scienter probent, & quod bonum est teneant. Non solum probanda sunt falsa, sed vera, vt cum certa probatione discernantur, secundum Pauli sententiam: *Omnia probate, & quod bonũ est tenete, ab omni mala specie abstinete.* S. Chrysostomus: *Non ab illa, aut ista, sed ab omni, omnia probate, tum falsa, tum vera, vt cum certa probatione discernatis, & ab illis abstineatis, istis adhæreatis.* Intellectus (sicut, & aliæ potentiæ sensitiuæ) non potest rectum iudicium formare, nisi per veras species obiectorum, nam in falsis fallitur.

2. Cor. 11. S Gregor. Magn. in 41. ca. Iob cap. 12.

1. Thes. 5. S Chrysost. hom. 11. in 1. ad Thesal. cap. 5.

Supponimus tamen dari in Ecclesia Dei visiones, reuelationesque diuinas cõtra hæreticos Magdeburgenses, nõ solum concernentes publicam fidem, sed etiã factas personis particularibus. De primis cõstat in sacra Scriptura in lege scripta, & in lege gratiæ plurimis in locis. De secundis ex libris S. Brigittæ, S. Hildegardis, quæ approbatæ sunt à Pontificibus, & alijs Sanctis patet. De his omnibus plura inuenies in Theatr. vit. human. verb. Reuelatio, prophetia, & Somnia. Eruditè, & fusius in P. Grauina lib. 1. c. 1. 2. Lapid. Lydi.

CAPVT I.

Quid sit visio, & quotuplex.

NOmen visionis, ait, Diu. Tomas: *Primo impositum est ad significandum actũ sensus visus, sed propter dignitatem, & certitudinem huius sensus, extensum est, secundum vsum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum. Vlterius ad cognitionem intellectus, secundum illud Matthæi ca. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deũ videbunt.* Itaque visio extenditur ad cognitionem intellectus, quæ, & naturalis est, & supernaturalis. De supernaturali, sermo præsens est. Visio est diuinorum mysteriorum, & secretorum Dei manifestatio supra cursum naturalem ad vtilitatem communem Ecclesiæ, vel particularem, & priuatam, cui fit visio. Differt visio hæc à reuelatione; nam reuelatio supponit visionem, non verò visio supponit reuelationẽ: aliqua enim videntur, quorum intelligentia, quæ reuelatio occulta est, non habetur. Pharao de spicis, Nabuchodonosor de statua, visionem habuerũt, & propriè, & in rigore reuelationẽ, & intelligentiam non habuerunt: At Ioseph, & Daniel eorumdem Symbolorum nedum visionem, sed & intelligẽtiam, & Propheticam reuelationẽ perceperunt, vnde dixit Daniel: *Est Deus in cœlo reuelans mysteria nobis, c. 2.*

S. Tho. 1. p. q. 67. ar. 1.

Eodẽ ferè modo differt visio ab apparitione. Habet in morem Deus, vt quòd à nobis videri nequit, appareat, vt Angelus, &c. per speciem. Quando autem sola species apparet, & nostris se obtutibus ingerit, reuelari, & apparere dicitur, sed quia sæpè cum specie apparenti intelligentia non reuelatur, tũc incipit reuelatio, & apparitio, & dicuntur quasi semiplenę; tũ verò plenæ sunt, & perfectę quando interior mentis visio, & intelligentia, externã speciem apparentis informant, & interna reuelatio, & intelligentia eidẽ speciei copulantur. Sic dicuntur reuelata

F mysle-

mysteria prophetis, quia intellectualis visio speciebus visis sensu exteriori, vel interiori adiuncta est, & supra visionem sensibilem addita est intelligentia, & visio intellectualis, à qua visione, reuelatione, & apparitione prophetæ dicti sunt complete, videntes, & intellectualis visio prophetia appellata est.

Triplex est genus visionis, nempè corporalis, imaginaria, & intellectualis. Probat, & explicat D. Bonauentura Visiones corporales sunt, quæ corporaliter ostenduntur vigilanti, vt Moyses vidit Dominum in rubro ardenti, & Patres antiqui sæpè Angelos visibiliter susceperunt. Ad has referri possunt quorumlibet sensuum experientia, vt auditus, gustus, odoratus, & tactus; visus enim pro quolibet sensu accipitur, vt diximus. Dicitur in Exodo, quòd populus videbat voces, & lampades, & sonitū buccinæ, & tonitruas voces autem, sonitum buccinæ, & tonitrua audire potuerunt; sed non videre visu oculorum; sed quia visio pertinet ad alios sensus, dicitur vidisse.

S. Bon. pro-cess. 7. reli. c. 75.

Visiones imaginariæ sunt, quæ vigilanti, non corporaliter per sensus externos, sed imaginariè ostenduntur per species in imaginatione infusas, vt visiones Ezechielis, Danielis, & aliorum sanctorum in nouo, & veteri testamento. Aliæ similiter imaginariæ, quæ dormientibus ostenduntur. Iacob vidit dormiens Dominū innixum scalæ. Pharao, & Nabucodonosor somnia viderunt præsagia futurorum. Notat autem Seraphicus Pater, quòd istæ visiones conueniunt simul in hoc, quòd nō solū bonis, sed & malis sæpè ostenduntur. Itē, quod quandoq; veræ sunt, & per eas erudiūtur aliqui, quandoq; deceptoriæ, & per eas aliqui deluduntur. Aiebat Ezechiel: visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis. Item, quòd nec faciunt sanctum, nec ostendunt: alioquin Balaam Sanctus esset, & eius asina, quæ vidit Angelum, & Pharao, qui futurorum præsagia in somno vidit. Item, quod etiam si veræ sint, tamen per se meritoriæ non sunt: & qui multa talia, nō ex hoc melior est, & qui nulla non est minor, sicut patet de aliquibus miraculis. Notent hoc viri spirituales, & qui alios gubernant, ne decipiantur, nec decipiant his, quæ prodigia videntur, & magnalia.

Visio intellectualis est, quę non per sensum, nec per imaginationem fit, sed purè intellectualiter per species infusas in intellectu, quibus illustratus luce veritatis, purè contemplatur veritatem in se, vel intelligit veritatem contentam in visione imaginaria: sicut Paulus raptus in paradysum, vel tertium cęlum vidit inuisibilia, & audiuit verba ineffabilia, quia non corporearum rerum imagines, sed ipsius veritatis splendorem purè intuitus est. Similiter Ioannes Euangelista, licet sub figuris corporearum rerum describat Apocalypsim; creditur tamen omnia purè vidisse, & intellexisse intellectualiter, quæ ibi figuraliter descripsit, vel propter capacitatem aliorum, quibus ipsa pura veritas præ sui splendore imperceptibilis fuit; vel magis propter mysteriorum reuelationem, quæ non passim omnibus propalanda sunt, vt sapienter docuit Sanctus Dionysius, dicens Timoteo: *Hæc autem vide, ne quis audiat rudiorum: istos dico, qui rebus (naturalibus) adhæserunt, & nihil vltra naturalia supernaturaliter imaginantur, quinimo arbitrantur sua cognitione nosse eum, qui posuit tenebras latibulum suum.* Sunt hæc diuina mysteria supra captum suum, quia rebus sensibilibus inuoluti sunt; sicque exerceantur digni, & excludantur indigni à sacrorum mysteriorum intelligentia; sicut & reliqua sanctarum Scripturarum velaminibus sunt operta. Hoc signat velum ante Sancta Sanctorum oppansum, intra quod non licebat populo, sed solis Sacerdotibus introire.

S. Dionys. Areop. ca. 1. mystic. Theol. Psalm. 17.

De hoc triplici genere visionis agunt Hugo de Sancto Victore lib. 2. de anim. capit. 15. Ricardus Victorinus in Apocalyp. capit. 4. & Auctor de spirit. & anim. capit. 24. Sciendum tamen est, quòd licet in visionibus diuinis arcana cęlestia cognoscantur, non semper valet mens ea penetrare, & de eis rationem reddere. Hoc cognouit Ricardus in visione, quam habuit Nabucodonosor de arbore illa magna. Dixit Rex sapientibus Regni sui *Somnium, & interpretationem eius indicate mihi. Duo quærit* (inquit Ricardus) *somnium, & interpretationem eius. Aliud est diuinorum iudiciorum arcana ex diuina reuela-*

Ric. Victo. de erud. inter. hom. c. 5. & 1.

tione cognoscere: aliud est eorundem rationem perpendere, vel penetrare potuisse. Hoc ad somnii cognitionem, illud pertinet ad eius interpretationẽ; quia multa diuinorum iudiciorum cognoscimus, quorum rationem nulla nostra discussione penetramus. Patet ergò visiones non semper venire cum intelligentia earum; visionem enim habuit Rex iste, & non intelligentiam, celat Deus prout vult. Daniel intelligentiã obtinuit, & Regi reuelauit. Visio sine intelligentia infirma est, & quia angusta magna non attingit, & quia habens minima non discernit: quia pigra nõ cognoscit remota, & quia perspicax non est, non penetrat occulta. Tunc visio imaginaria completa est, quando intellectus per Spiritum Sanctum illuminatus formis, & similitudinibus rerum visibilium & imaginibus præsentatis quasi quibusdam figuris, & signis ad inuisibilium ducitur contemplationem.

Non omittam pro documento aliquorum, qui in visionibus diuinis cęlo honoris diuini, minus charitatiuè irascuntur contra peccatores, singularem casum, quem narrat S. Dionysius, quando veniens in Cretam recepit eum hospitio Carpus, vir aptissimus ad contemplationem Dei, qui sacros mysteriorum ritus, non auspicabatur, nisi priùs ipsi interpręparatorias orationes, sacra quædam, & propria visio apparuisset. Hic ergo S. Carpus in quadam visione vidit duos peccatores iam proximos ingenti luminis rogo, partim inuitos, partim suasos iam iãq; prę pedum lubricitate in infernũ collapsuros; & cum aspiceret nondum cadere, grauiter, & indignè ferebat. Tunc aspexit Iesum de cęlo descendentem comitatu Angelorum aspectu benignissimo, ei dicentẽ: *Manu iã extensa pereũte me, siquidem adhuc paratus sum denuo pro hominibus saluádis pati, illudque libentissimè, ne demũ alij homines peccent. Cæterum considera, num tibi expediat, hanc huiusmodi hiatus, & cum serpentibus mansionem Dei, ao bonorum Angelorum consortio præferre.* Ipse Iesus anteà benignè manus porrigebat ijs peccatoribus, ne in infernum præcipitarẽtur. Discant spirituales viri in suis visionibus peccatoribus compati sequentes

S. Dionys. Epist. 8. ad Demophil. Mocach.

Iesum, qui errantem ouem in montibus quæsiuit, & repertam suis humeris portauit. Carpus iste est cuius memoriam agit Apostolus: *Penullam, quam reliqui Troiade apud Carpũ, veniens affert tecum, & libros.* Fuit Episcopus Cretæ Apostolorum auditor. Lege S. Maximum, & Pachym. ibi.

Luc. 15. 2. ad Tim. cap. 4.

CAPVT II.

Plura pericula inueniuntur in visionibus imaginarijs, & corporeis.

VIsiones corporeæ, & imaginariæ communiores sunt principiantibus, quia minus exercitatos habẽt sensus in rebus spiritualibus, etenim vt benè notat Ricardus: Necessarium erat nostræ infirmitati, quòd sũma, nõ nisi per ima, spiritualia, non nisi per corporalia valet capere: non ignota per ignotiora: sed ignota per cognita noscere. Vndè B. Dionysius ait: Neque possibile est animum nostrum, ad non materialem illam ascẽdere celestium Hierarchiarum imitationem, & contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione vtatur. Materialem manuductionem vocat rerum corporalium imagines, per quas in sacra Scriptura ea, quæ incorporea, & inuisibilia sunt, figurantur.

Ric. Victo. in Apocalypsi ca. 1.

Sanctus Dionysius sentit reuelationes factas hominibus, simul, & visiones fieri ministerio Angelorum, quia ipsi primùm à Deo illuminantur, & per ipsos nobis nostræ reuelationes transmittuntur: *Sic igitur* (ait) *lex, vt diuinus sermo testatur, per Angelos nobis data est: & illos celebres ante legem pastores nostros, Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, & ab errore, & vita profana ad rectam viam veritatis traducentes, aut manifestantes Sacros ordinis, aut mysteriorum, quæ supra mundum sunt, abditas visiones, aut diuinas quasdam prædictiones, tanquam nuntii, & ministri explanantes.* Quasi id ordo diuinæ legis sanxerit, vt per ista superiora, ista quæ inferiora sunt ad diuinum Numen adducantur. Quando autem dicitur Deum apparuisse aliquibus Sanctis; sic intelligit S. Maximus, non quòd Deus appareat, & ostendat

S. Dionys. Areop. ca. 4. de cæl. Hierar. Galat. 3. Actu. 7. Matth. 2. Actu. 12. Daniel. 7. Isai. 10.

S. Max. ibi

quid sit; hoc enim fieri nequit; sed quia Sancti diuina illustratione honorantur, per visiones quasdam sacras, ad quę ipsis proportionatas per Angelos factis, in assumptis corporibus quoque interdum apparent, in quibus, & videre, audire, & manducare, non numquã videntur, sed non illis vniuntur, aut vtuntur, tanquam formæ substantiales, sed tanquam motores. Lege Dionys. Chartus. ibid. art. 9.

S. Bon. pro-cess. 7. reli. cap. 75. Sanctus Bonauentura de alijs visionibus Christi, & sanctorum hæc inquit: Sæpè refertur, aliquibus Sanctis, & deuotis Christum apparuisse in visione, vel nascens, vel in matris gremio contentus, vel extensus in Cruce: non quòd ita secundum veritatem fieret, sed quod illis propter aliquã singularem consolationem, & deuotionis exercitationem, vel propter aliquam singularem significationem spiritualem, sic apparet. Scimus enim, quod Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, & mors vltra non dominabitur: Sic nec vltrà corporaliter lactabitur, nec nascetur. Ita de alijs Sanctorum, vel Angelorum apparitionibus tenendum est, Sic ille. Rom. 6. Cùm ergo visiones corporales, & imaginariæ fieri possint ab Angelo malo se transfigurante in Angelum lucis, vel à propria imaginatione, & phantasia hominis; ideò necessum est notare pericula in eis secundum Doctores mysticæ Theologiæ; imò, & bonis visionibus, quia in earum vsu multoties periculum est, vt euitari queant cognita.

Videamus in primis, quòd ipse S. Bonauentura in hac materia de falsis loquitur, ac seductorijs, loco citato, sic prosequitur: quidam decepti à seductorijs spiritibus, vel proprijs falsis opinionibus, putant, sibi apparere, vel ipsum Christum, vel eius gloriosissimam matrem, & non solum amplexibus, & osculis; sed & alijs indecentibus gestibus ab eis demulceri, vt sicut spiritus ipsorum interius, ita & caro, & exterius, sibi congruo oblationis sensu sensibiliter demulceatur, & carnaliter consoletur: quòd non solum est falsum, & seductorium; sed etiam blasphemia grauis esse aliquando cõprobatur. Spiritus S. visitatio, sicut cõtra omnia vitia reprimenda, & detestanda infunditur, ita etiam singulariter contra carnis illecebras opponitur. Et vbi spiritus munditiæ sua luce resplenduerit continuo, omnes praue voluptatis motus euanescere, & velut tenebras superueniente lumine dispatere necesse est. Vnde illæ visiones, vt blasphemæ abominandæ sunt, & reijciendæ. Sapiunt errores Beghardorũ, qui suas virginas decipiebant, dicendo blasphemè, quo in meditatione exardescit ignis concupiscentię, sicque ad opera carnis deuoluebantur miserè, ac fraudulentèr.

Author de spiritu, & anima fatetur periculũ esse in visione corporali, quia anima sæpè fallitur, cùm in ipsis corporibus fieri putat, quòd fit in sensibus corporis. Sicut nauigantibus videtur terra moueri, quæ stat, & intuentibus cęlum sydera stare, quæ mouentur, & diuaricatis radijs oculorũ res vna duas formas habere videtur, & vnus homo duo capita, & in aqua remus fractus, & multa huiusmodi. Sunt etiam, & alia visa vsitata, & humana, in quibus fallitur, quia ex spiritu nostro multipliciter existunt, & fabricantur, vel ex corpore, quodammodo suggeruntur spiritui, sicut fuerimus affecti à carne, vel ab animo. Concludit, animam formare visiones naturales corporum, quas per oculos corporis viderit, quasi extasis visiones: *Quæcumque tamen illa natura visorum est, proculdubio corpus non est. Non enim corpora visa illas imagines in spiritu faciunt, nec eã vim habent, vt aliud spirituale formet, sed ipse spiritus in se ipso celeritate mirabili, vtpotè spiritualis, intellectualis, & rationalis.* Fallitur etiam sæpè nimia intẽtione cogitationis, vel aliqua vi morbi, vt in phreneticis per febrem accidere solet, seu commixtione alterius spiritus mali, in quibus ita corporalium rerum imagines exprimuntur, tanquam corpora ipsius corporis sensibus præsententur, vt absentia, videantur ad esse tanquam præsentia, & quæ non sunt, tanquam præ oculis adsint. Auth. de spirit. & anim. cap. 14. tom. 3 S. Aug. Cap. 23.

Capite 26. adducit visionem aliam corpoream deceptoriam arte diabolica efformatam, quæ spectra vocatur; quando scilicet arte Dæmonum apparet homo velut asinus, aut aliud animal onere onustus, sicut narratur de

ali-

aliquibus mulieribus hoc facientibus diabolica arte. Bestiale autem corpus, quod sensibus apparet, est phantasticũ formatum à Dæmone ex aëre, & alijs qualitatibus ad decipiendum, illa vero onera, quę portari videntur, si sint vera, portantur à Diabolo, vt hominibus illudatur, partim vera onerũ corpora, partim falsa iumentorum cernentibus.

Quia autem Dæmones acrimonia sensus, & celeritate motus aerei corporis terrenorum corporum sensum facilè præcedunt, & quædam cogitata prænunciant, quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Item, quia pollent longa experientia rerum, quam homines non habent, idcirco quædã futura, prædicunt, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt, & seducunt. Vnde quędã muliercula vocatæ sagæ dęmoniorum illusionibus, & phantasmatibus seductæ credunt, & profitentur se cum multitudine mulierum nocturnis horis equitare. Ipse namque Satanas transformat se in diuersam personam, species, & similitudines, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens per deuia quæque deducit, & seducit, siue per sensus externos, siue per visiones imaginarias, quæ fiũt in prima parte cerebri, quæ vis animalis dicitur, & imaginaria, quia in ea continẽtur, rerũ corporalium imagines, & similitudines; atque adeò magna diligentia examinanda.

Periculum tamen est in visionibus imaginarijs, quæ oracula vocantur, quando, scilicet, in somnis apparet aliqua grauis persona, seu Sacerdos denuncians aliquod futurum faciẽdum; etenim possunt tales visiones fieri à Diabolo, vt dictum est alterando imaginationem per has imagines, & similitudines.

Hug. de S. Vict. lib. 2. de anim. c. 16.

Aliæ sunt visiones corporales, vel imaginariæ, vt inquit Hugo, nimirum cum homines mortui, seu viui hominibus dormientibus, vel vigilantibus, apparent, sed nõ in ipsis rebus, vt sunt videntur; sed in quibusdam similitudinibus. Istud autem Angelicis operationibus fieri creditur per dispensationem prouidentiæ Dei benè vtentis bonis, vel malis, secundum inscrutabilẽ altitudinẽ iudiciorũ suorũ, siue hinc instruantur mentes mortalium, siue consolentur, siue terreantur, siue fallantur: Sicut vnicuique, vel præbenda est misericordia, vel irroganda iustitia ab eo, cui misericordiam, & iudicium non inaniter decantat Ecclesia, ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, vbi non vident, neque audiunt, quæ aguntur, aut eueniũt in ista vita hominum, nisi ea, quæ sciũt ab Angelis, vel ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergũt, non quidem omnia, sed quatenus sinitur eis reuelare, quæ necessario est eis noscere secundum diuinam prouidentiã. Quidam etiam ex mortuis ad viuos rapi possunt, non per propriam naturã, sed per Dei potentiam. Vtrùm autem ista fiant per eorum præsentiam, an per Angelos suscipientes eorum personam, scit Deus omnipotens, qui est, vbique præsens, & per Angelica ministeria, vsquequaque diffusa potest ista præbere solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda. Sed quia diabolus potest plures huiuscemodi similitudines corporeas efformare, in eis pericula inueniuntur.

Ric. Vict. in Cant. c. 32. p. 2.

Notat Ricardus, quod multi falluntur visionibus mendatijs, & diuinant vana, & mendatia; quia mundo non sunt corde ad Deum cognoscendum, & quia sine discretione credunt omni spiritui. *Vt ergo (ait) Deum videas, munda cordis oculum: alioquin mundum tibi pro Deo, vel Angelo lucis videas, & recipias tenebrarũ Angelum; nec bibas vinum Dei, & mel dulce, sed fel draconum sit vinum tuũ, & venenum aspidum insanabile, cæcutiens enim visus sæpe fallitur, vt quò deterius videt, eo plus sibi videre videatur: & cum vna res oculis eius appareat, duas se potius videre credat. Sed quidem cùm quædam vident vana, & diuinant mendatia, vident visiones fallaces, quia omni spiritui credũt, & minus cordis oculos ad videndum spiritualia, & discernendi mundauerunt.* Scriptum est enim: beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Propter hoc visiones sunt periculosæ in principiantibus, quia non dum purgati sunt, & imperfectionibus pleni, ac peccatis maculati.

CAPVT III.

Regulæ, & remedia ad euitanda pericula in visionibus corporalibus, & imaginarijs.

CApite præcedenti visa sunt pericula, & illusiones, quæ in hisce visionibus reperiuntur; quamque magna, quamque grauissima sint. Accuratè oportet remedia indagare in re tanti momenti. In primis reuertamur ad nos metipsos, scrutemurque vias nostras, vt dignè ambulemus in conspectu Dei virtutibus, & oratione continua, petamusque ab eo lucem, & inuocemus spiritum veritatis, vt antecedat nos, quia sine eo nihil boni possumus. Nec verendum quòd dedignetur cōscendere nobis propter bonitatem suā, & promissionem infallibilem nostris iustis petitionibus factam. Non enim est ipse vadens, & non rediens, sed ducit nos, & reducit à claritate in claritatem, tanquam Domini spiritus, quādoq; rapiens ad se in lumine suo; quandoque contemperans, & illuminans tenebras nostras: vt siuè supra nos, siuè apud nos semper in luce operemur, ac radijs diuinis illustrati omnia discretè probemus, bonum teneamus, malū abijciamus, sine periculis errandi.

In omnibus ergo generibus visionum magna cautela exhibenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximijs, & incerta pro certis recipiantur. Non desideranda sunt, minus petenda à Deo. Hoc erit superbia velle supernaturalia, & periculosa. Documentum istud generale est. Et quia sine desiderio, nec intentione nostra euenire solent, erunt sequentia documenta, visiones corporales, vt sunt figuræ, quibus repręsentatur Christus gloriosus, crucifixus, &c. splēdores, tenebræ, & alia similia. Voces suauissimæ in auditu, in odoratu suauissima fragrantia, in gustu sapores super mel, & fauum, in tactu delectationes placidæ, ita vt omnia ossa impinguare videantur. Omnes istæ nullo modo attēdendæ sunt, & parum, aut nihil de eis curandum. Sanct. Bonauentura agens de his *Aliquando* (ait) *etiam hæc oblata velut minus fructuosa paruipendere*. Addit. *Si vera sint, se habeant indifferenter ad ea* (sic habebunt in spiritu suum effectum absque periculo.) *si falsa non innitantur eis, ne decipiantur. Quærant super his consilium sapientum solum, & paucorum. Se exerceant*, in vitijs extirpandis, & virtutibus exercendis. Aliter datur locus diabolicis illusionibus. D. Diadochus docet multos deceptos fuisse, qui propter ignorantiam à via veritatis malè deflexerunt. Varia exempla extant de hac illusione in vitis Patrum, Cassiani collationibus, & alibi.

S. Bon. proces. relig. cap. 76.

D. Diadoc. libellor. de spir. perf.

Certum est, quòd sensibilia, cum sint nobis connaturalia, fortius mouent sensum, inde ex nouo visu, vel auditu crescit admiratio, & exultatio, ac iucunditas, & delectatio, vt videatur animæ patienti esse in magnis, & in mirabilibus super se, vt Deus videatur eius magister, & ambulare diuinis fauoribus, vt amica; atque adeo occulta satisfactione superbit, vultque exterius se videri, & manifestari. Benè depinxit istum animę deceptæ statum Ricardus, ex superbo Nabucodonosore sua magna visione, dixit Rex: *Quæ quæso est ita responsio, vbi nulla præcedit interrogatio? An forte* (inquit) *alienæ cogitationi respondebat*, nempe Danieli, *& forsitam cogitationi, quæ nulla erat, sed esse credebat? forte eorum cogitationi respondebat, quos suam magnitudinem, & authoritatem admirari existimabat. Habet hoc proprium arrogans animus, vt celsitudinem suam omnes admirari credat, quam ipse omni hora apud seipsum magnificat: Vnde fit, vt apud omnes in verba iactantiæ fiducialiter prorrumpat, & idem, quod Nabucodonosor (quamuis alijs verbis) exprimat.* Alia prosequitur. Anima sic decepta fœnum tanquam bos comedet, bos enim fęnum præ summis delitijs ducit, & nil substantialius requirit, & cùm sit omnis caro fęnum, & omnis gloria eius quasi flos fęni, fęnū, quasi bos comedit, qui gloriatur, & gaudet in his visionibus corporalibus, nec ad substantiam earum transit; velut paruulus apparentibus contentus, & mendatio.

Ric. Victor. de erudit. homi. inter ca. 40. p. 1.

Visiones imaginarię dupliciter fiūt, vel medijs sensibus externis, per quos ingrediuntur species, & simulacra rerum corporalium; vel immediatè formantur in phantasia à Deo, vel ab Angelo, vt dictum est capite antecedenti-

denti. Quocumque modo fiant, sic in illis procedendum est: nullo modo intellectus figat obtutum circa illas, sed denudatus his formis attendat ad effectum earum, qui erit contemplatio Dei, si visio diuina sit. Documentum est S. Dionysij, dicentis: *Sensibilium signorum multiplicari* (in nobis ad distinctionem Angelorum, qui Deum clarè contemplantur) *quibus Sacrosanctè ad vniformem deiformitatem pro captu nostro, & ad Deum promoueamur. Nos à sensu perceptis imaginibus ad diuinas, quantum possumus contemplationes subleuamur.* Sensibiles imagines nobis dantur: *Vt per sensibilia* (inquit Carthusianus) *prout connaturale est nobis, ad intelligibilium, inuisibilium, ac diuinorum notitiam, ac amorem sustollamur.*

S. Diony. Areop. c. 1. de Eccle siast. Hier.

Dionys. Carth. ibi. art. 1.

Vnde, signa hæc sensibilia, & symbolica subleuant mentem ad Deum contemplandum, & diligendum, atque adeò debet intellectus denudari sensibilibus (quæ opposita sunt rebus purè spiritualibus) vt capax reddatur contemplationis, & visionis Dei, aliàs improportionatus remanebit; Deus namque nihil eorum sensibilium est; contemplatio enim est immediatè in mente aliena à phantasmatibus, tamquam supprema notitia, & veluti anagogica, quæ tendit ad res, vt in se sunt significata, siuè in sinuatas per symbola sensibilia homini sensibus corporeis constanti proportionata, vnde ipse Dionysius: *Visionum iuxta mysticam scientiā, illustrati cognitione, consecrati, luciformes, ac deifici perfecti euadere poterimus.* Hic denotat effectus visionis, qui sunt lux, & notitia in intellectu, sic visio est cum intelligentia, iuxta illud: *Daniel vir desideriorum intellige visionem.*

Dani. 9.

Propter eandem rationem denudanda est mens respectu vnionis cum Deo. Audiamus eundem Dionysium alio loco, sic alloquentem: *Rebus ineffabilibus, & ignotis modo inneffabili, & ignoto coniungimur, secundum eam vnionem, quæ vim omnem, ac potentiam nostræ, aut ratiocinationis, aut intellectionis excedit.* Ad intentū adducit illud Pauli: *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis.* Quarè anima modo ignoto Deo vnitur nudata à formis imaginarijs, dixit S. Maximus ibi: Quia nulla imaginatio in Deo locum habet, quoniam supra omnia existit, eminetque supra omnia sensibilia, ac corporea, quæ infinitè inferiora sunt; circa quæ occupata mens deterioratur, & detinetur, vt nequeat ad vnionem ascendere. Vnio autem circa Deum orta ex visionibus, est optima cum qua anima in eo deificatur, simplificatur, ac stabilitur, nuda ab omni forma corporea, sicque fit vnus spiritus cum summo, & increato obiecto. In rebus enim spiritualibus manifestum est motum omnem, omnemque operationem, & quietem omnem ad Deum viuificantem, & animam deificantem manu ducere, quoniam circa res æternas & incorporeas vacationes, & operum sensibilium cessationes faciunt, vt perturbatio phantasmatum cesset, & anima vnita cum Deo maneat ex parte voluntatis, sicut, & intellectus, vbi communicatur Deus ipsæ menti, veluti sigillum sine impedimento, quia nuda manet, & veluti materia non repugnans diuinæ communicationi cum silentio manens impermixta, & simplificata ad vnionem cum Deo vno simplicissimo, principio, & fine omnium operationum animæ.

S. Dion. Areop c. 1. de Diuin. nom.

1. Cor. 2.

S. Maxim

Explicatur amplius. Imaginatio, & phantasia, imago est, & vmbra. Idcirco postquam phantasia cum visione imaginaria ad rationem ascendit, quasi vmbra in lucem veniens, in quantum ad eam venit, manifestatur, & circumscribitur: in quantum illi superuenit, obnubilat eam, obumbrat, inuoluit, & contegit. Et si ratio ipsa sola contemplatione eam susceperit, quasi vestimentum ei est ipsa imaginatio, & visio imaginaria extra eam, quia iam detesta fugget nucleum; sicque ea expoliatur, & exuitur, & manet mens in pura intelligentia. Si verò visioni imaginariæ phantasiæ adheserit delectatione, quasi pellis est ipsa phantasia, quæ impedit contemplationem, vt dictum est. Relinquendæ ergo sunt imaginariæ visiones, vt per contemplationem, & vnionem Deum attingat anima: *Non enim* (aiebat Apostolus) *debemus existimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile.* Vnde dixit S. Dionysius de veneranda superessentialis Deitatis beatitudine: *Eam non esse secundum quidquam*

Actuū. 17

quam eorum; quæ sunt; atque adeò eloquia sacra illam celebrant, dum inuisibilem, & incompræhensibilem appellant; ex quibus non quid est, sed quid non est significatur. Quod vocat contemplatio Dei per dissimilitudines.

S. Dion. c. 2. cælest. Hierarch.

Denique optimè dilucidat Ricardus, insinuans quid agendum sit secundum ordinem procedendi in visionibus imaginarijs, inquiens: *Exterior homo in inuestigationis suæ cursu, interiorem adiubat, quo ei in inuisibilium imaginationem per rerum sensibilium imaginationem repræsentant, & dum ducatus sui officium explet; illuc per istum similitudinum callem perducitur, quo ille intrare non audet.* Adducit optimum exemplum: *Sic sæpè famuli Dominos suos in via vsque ad Regias fores præcunt, & tamen istis intrò vsque ad interiora palatii properantibus, illi exterius subsistunt.* Ad propositum visiones imaginariæ tanquam famulæ commitantur intellectum ad diuina intelligenda, sed illis relictis ingrediatur Domina mens ad Deum contemplandum sola absque illarum committatu. Per visiones enim has illustratur mens à Deo, sed ipsæ non sunt illustratio. In aduentu Spiritus Sancti super discipulos in die Penthecostes agnouit D. Gregorius: ait sacer textus: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, quasi ignis, seditque supra singulos eorum. Per ignem quidem* (inquit Gregorius) *Dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus fuit; sed per hoc quod exterius exhibuit, expressit hoc quod interius gessit.* In fine visionis admotum est elementum ignis, igne verò inuisibili illustrati sunt discipuli. Sic in Sacra Scriptura sunt plura symbola de Deo, vocatur leo, petra, &c. quæ sunt collectio formarum visibilium ad inuisibilium contemplationem, & anagogicam ascensionem ad Deum. Sed distant ab eo, sicut distat pictura à prototypo.

Ricar. Vict. Beni. maio. c. 18. li. 2.

Actuũ. 2.

S. Greg. Magn. 28. mora. c. 2.

Hisdocumentis seruatis, visiones diuinæ imaginariæ consecuntur suum effectum sine impedimentis; si diabolicæ, vel à cerebro fabricatæ, non nocebunt, neque illudent mentem, quia illis non sistit intellectus. Notat tamen S. Bonauentura periculum in visionibus imaginarijs, in quibus, quid sentiat, ostendit: *De his verò* (ait) *qui cum aliquando dulcedinem spiritualem sentiunt, & mox carnalis delectationis pruritu fœdantur: nescio quid iudicem, nisi quod potius eligo illis carere floribus, quos deluti sordibus legere deberem. Et sicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque spiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur; ita etiam excusare nequeo, qui tali fluxu ex consensu condelectantur, qualiscumque eorum intentio videatur.* Qui talia patitur, fugiat, & iterum fugiat consensum delectationis cautè, & fortiter, ne bibat venenum in potu salutari, detque locum Diabolo in suis illusorijs visionibus. Ne includatur, & inuoluatur hisce visionibus; visio namque Dei cum effectu purè accipienda est, & cum quadã libertate animæ, quia vbi spiritus Domini, ibi libertas. Attendat cõtemplationi, & vnioni, vt in Deum transformetur à claritate in claritatem. Timeat casum, obstupeat caro, & ad Deum mens accedat, & cum eo sit conglutinata; sic visio fructuosa erit, iuxta illud Isaiæ: *Viderunt Insulæ, & timuerunt, & extrema terræ obstupuerunt, & accesserunt.* Visio comprehendit, timor comprimet, ne fiat consensus, stupor suspendit, rapit, & vnit accessio, ac conglutinat amor. Sic mens altissimum ponit refugium suum.

S Bon. proces. 7. reli, c. 75.

Isai. 42.

CAPVT IIII.

Alia documenta pro visionibus imaginarijs.

IN huiuscemodi visionibus, omnino fugienda est curiositas, attendendo sobrietate quadam, ac reuerentia interiori, quidquid Deus animæ communicare voluerit. Documentum est S. Dionysij, qui agens quomodo accedere debeamus ad abditam Deitatem in Sacra Scriptura diuersis modis, & symbolis reuelatam, ait: *Tantùm ad inaccessum illud lumen aspirando, quantum se insinuauerit diuinorum ille radius oraculorum, quò eminentioribus istis diuinorum splendoribus sobrietate quadam, ac sanctitate contemperamur.* Tenetur ergo anima sobrietate, ac reuerentia contemperare se sin-

S. Dionys. Arep. c. 1. de Diu. Nomi.

sincerè diuinis visionibus, sicut Deus ei voluerit communicare: Admodum quo visus exterior se accômodat radiis solis, prout sol radiat. Hoc denotat illud: *Ille radius*. Consonat ipse Dionysius alio loco, dicens: *Diuina sunt intelligenda, non more nostro, sed quatenus nos ipsi totos à nobis totis abdicamus, & toti transimus in Deum. Sic diuina nobis dari poterunt, si cum Deo fuerimus coniuncti.* Si adsit curiositas, non abdicamus nos totos, imo modo nostro intelligere volumus diuinas reuelationes, nec totus in Deum transimus, ac inæqualiter nos applicamus diuinæ contemplationi diuisi per curiositatis affectum. Iterum S. Dionysius cap. 1 de diuin. nom. docet nos vacuos debere esse à scrutatione arcani diuini, ac silentio modesto.

S. Dionys. cap. 7. de Diuin.

Præcipuè obseruandum est hoc in visionibus circa mysteria fidei reuelata concernentibus, & quæ ad fidei obiectum pertinent. Scriptũ est enim: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Aliter locus datur Diabolo, qui sub specie curiositatis mouet subtilitates, vt errores introducat, & calceos construit, quas humana curiositas induat. Quare refutandæ sunt curiositates, & subtilitates vanæ, & periculosæ, ac simplici fide mysteriorum visiones respicere, dum in hac vita videmus in ænigmate per speculum. Sic S. Petrus in visione Thabor oculos clausit, docens obtutus magis figendos ad lucernam fidei in Sacris Scripturis, & Euangelica prædicatione contentæ lucentem in caliginoso loco. In aliis visionibus imaginariis concernentibus res indifferentes, & diuersas solet inimicus se ingerere inclinationi hominis, qui à Deo factus rectus, ipse se immiscuit infinitis quæstionibus; atque adeò vult introducere suas visiones tanquam dogmata fidei, velut similia Dei. In omnibus his debet intellectus exerceri purè intellectualitèr, nihil requirat, nihil recipiat, nisi quod inflammationem spiritus & vnionem cum Deo redoleat ac, excitet: Ad hoc enim respiciunt, & tendunt diuinæ visiones particulares. Lege Harphium Nost.

Prou. 25.

Eccles. 7.

In visionibus etiam corporalibus purganda est mens omni affectu curiositatis, ac cum reuerentia humili eas recipere, sicut in imaginariis propter easdem rationes, & quia in illis plus periculi inueniri poterit, quoniam magis materialis, fierique possunt per quinque sensus maiori delectationi diabolica arte. Diuina sapientia noluit Moysem accedere ad illam magnam visionem rubi, vbi Deus erat. Affectu curiositatis ferebatur, cum dixit: *Vadam, & videbo; quare non comburatur rubus.* Repulsam meruit; precipitur denudari tali affectu, doceturque accedere reuerenter, ac humili animo ad visionem; ideo Deus dixit illi: *Locus in quo stas, terra Sancta est. Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isac, & Deus Iacob.* Vbi Caietanus: *Postquam Moysem docuit ea quæ erant reuerentiæ, tum causa apparentis miraculi, tum loci manifestat eidem, quis loquens est, dicendo, ego qui loquor.* Sic capax effectus est visionis, & intelligentiæ tantorum mysteriorum, quæ Patres Ecclesiæ narrant. Legimus tandem in aliquibus Sanctis Deum subtraxisse diuinas visiones propter curiositatem eorum. Diuina dat propter altos fines; vtilitatem scilicèt recipientis, vel aliorum.

Henr. Harph. li. 2. myst. Theol. cap. 28. p. 3.

Exod. 3.

Denique omnes diuinæ visiones tegendæ sunt, non manifestandæ, maximè in expertis in mystica Theologia, qui ignorantes, & rudi irrident, qui abundant in suo sensu Deum cognoscendi sine tali experientia supernaturali. Documentum est S. Dionysii suo discipulo Timothæo; postquam enim eum instruit, quomodo ascendat mystica Theologia supernaturali ad Deum, addit: *Hæc autem vide, ne quis audiat rudiorum: istos dico, qui rebus (naturalibus) adhærent, & nihil vltra naturalia supernaturaliter esse imaginantur.* Hac de causa cap. 1. & 2. de Eccles. Hierar. & cap. 1. de Diui. nom. docet diuina occultanda esse. Est etiam periculum in manifestatione superbiæ, & vanæ gloriæ. Timeo, ne mẽs vana de seipsa præsumens dicat: super omnes docentes me intellexi: precessi istos sapientia, secura erit anima; si in suis visionibus, & intelligentiis earum silentio obseruet, & cum Daniele dicat accepta intelligẽtia visionis Regis Nabuchodonosoris: sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsque in sæculum: quia sapientia, & fortitudo eius sunt: & ipse mutat tempora, & ætates, transfert

S. Dion. c. 1. myst. Theol.

fert regna, atque constituit. Benè inquit Ricardus: *Multi hanc alternandi consuetudinem* (scilicet, superbiendi, & humiliandi in diuinis visionibus) *pessimo fine concludunt, de quibus constat, quod spiritualium charismatum gratiam, non tam ad suam, quã ad aliorum vtilitatem acceperunt. Horum absque dubio Balaam typum ex suis operibus gessit, horum proprietatem in suis verbis expressit, cum dicit: Dicit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis Dei videt: qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius.* Alludit ad illud Baalam, quando ex diuinis visionibus plura mysteria prophetauit ad vtilitatem aliorum nõ ad suam, sed ad proprium damnum, qua Deo non obediuit.

Ricard. Vict. c. 10. crud. hom. inter. p. 1.

Num. 24.

Documenta hæc, videmus practicata in Seraphico P. N. Francisco in admirabili illa visione, Seraphim sex alis vestiti in monte Aluerne, vbi singulare illud priuilegium quinque stigmatum, quæ ab Ecclesia canonizata sunt, speciali officio diuino, non solum religioni Minorum concesso, sed etiam toti Catholicæ Ecclesiæ accepit: de quo, ait S. Bonauentura, quod supernæ cõtemplationis dulcedine abundantius solitò superfusus, ac cęlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cępit immissionum cumulatius dona sentire: *Ferebatur in altum, non vt curiosus maiestatis perscrutator opprimendus à gloria, sed tanquam seruus fidelis, & prudens inuestigator beneplacitum Dei. cui se conformare omnimodè summo præoptabat ardore. Descendit* (post impressionem sacrorum stigmatum) *Angelicus vir Franciscus de monte secum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratã artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei viui. Et quoniam sacramentũ Regis abscondere bonum est, ideo secreti regalis vir conscius signacula illa pro viribus occultabat.* Socijs etiã suis nõ reuelauit arcana sibi manifesta in diuina visione, nec alicui homini aperuit, licèt fateretur, quòd is qui apparuit, aliqua ei dixerit. Solũ ergo diuinæ visiones aperiendæ sunt Magistro experto spirituali, cui cõmisit se anima, vt gubernetur, & doceatur in his rebus supernaturalibus. Imo quãdo diuinę sunt, relinquũt in animo affectũ ad eas reuelãdũ magistro. Aliter dixit S. Gregorius: deprædari desiderat, qui thesaurũ publicè portat in via. Discat anima secretũ suũ sibi seruare. Discant magistri animarum cautè eis silentium imponere. Sic tempus tacendi, & tempus loquendi, sicut dictum est.

S. Bona. in leg. ca. 13.

Tob. 12.

Verũtamen est quod ibidẽ D. Bonauentura ait de S. N. Patriarcha: videns Christi seruus, quod stigmata carnitã luculenter impræssa socios familiares latere non possent: timẽs nihilominus publicare Domini Sacramẽtũ, in magno posit⁹ fuit dubitationis agone, vtrũ videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocauit aliquos ex fratribus, & generalibus verbis loquens dubiũ corã eis proposuit, & consiliũ requisiuit. Quidã ex fratribus gratia illuminatus, & nomine intelligens quòd aliqua mirãdo vidisset, pro eo quòd videbatur admodũ stupefactus, dixit ad virũ Sãctũ: Frater non solũ propter te, sed etiã propter alios, scias tibi ostẽdi Sacramẽta diuina. Timẽdũ præterea iure videtur, ne si quod plurib⁹ pro futurũ accepisti, celaueris, pro talento abscõdito reprehẽsibilis iudiceris: *Ad cuius verbũ motus vir Sanctus, licèt aliàs dicere solutus esse, Sacramentũ meum mihi: tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ, addens, quòd is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit* (& iam diximus) *quæ numquam dum viueret, alicui homini apperiret.* Nota quid necessum fuit, vt visionẽ pate faceret, Sãctus tot, tãtisq; diuinis charismatibus decoratus, & illustratus in schola mysticæ orationis. In primis videbatur impossibile posse cęlare socijs familiaribus stigmata visibiliter impræssa in manibus, ac pedibus: quòd frater illuminatus ex alto dedit cõsiliũ: quòd humiliter, & cũ timore intelligẽs profuturũ esse alijs manifestabit; ac deniq; nõ omnia, sed quæ necessaria videbãtur, dixisse in alijs secretũ sibi seruans vulnus verò lateris, quia occulta semper tegit, ita vt nullus illud nisi furtim possit cõtueri dum viueret. Postea Deus visionẽ, & effectus illius miraculis manifestauit in vita, & post mortem. Sunt ne diuinæ reuelationes particulares, vt quasi incensum in thuribulo positum exeant per vicos, & plateas, ac strata mulierũ, sint que populi parabola, & irrisio earũ? O astutia diaboli quãtos decepisti, qui benè ambulãtes in via Dei fa-

fascinati in præcipitiū, sunt præcipitati in flebili ruina! Et vt ruinam recuperentur similes; magna indigent gratia Dei; concedat eam vt pius, & misericors.

CAPVT V.

Diuersi effectus reperiuntur in visionibus diuinis.

DIuinæ visiones aliquando fiunt in somnis. In his sensus corporeus sopitur, transitque anima in mentis excessum per contemplationem, cognoscens, quòd Deus vult manifestare. Sic Ricardus explicans somnium, & visionem in ipso Nabucodonosor. Ait Rex: *Somnium vidi, & visiones capitis mei, &c. Prius* (inquit) *dormimus, quam somnium videamus. Quia per somnium corporis sensus corporeus sopitur, rectè per somnium mentis alienatio intelligitur, per quam exteriorum omnium memoria funditus intercipitur. Somnium autem videre est in diuinæ contemplationis arcanum mente transire. Dormit itaque, & somnium videt, quia per mentis excessum in sublimium contemplationem ascendit.* Tunc expeditior est mens ad contemplanda diuina, quia non est impedita obiectis sensuum, sicut est in visionibus, quæ in vigilia fiunt. In hoc cognoscitur diuina visio, si in ea constituatur mens in contemplatione æternorum.

Ricard. Vict. de erudit. ho. inte. c. 2. li 2. p. 1.

Diuinæ visiones, non æquales effectus causant in mente, imo diuersos iuxta beneplacitum Dei, & tales sex altissimæ prouidentiæ. Audiamus quod S. Bonauentura narrat de S. P. N. Francisco in visione Seraphim sex alis alatum facta stigmata in eius corpus imprimentis. Excreuerat in B. P. insuperabile amoris incendium in Christum crucifixum, lampades dilectionis, lampades erant ignis, atque flammarum, ita vt aquæ multæ mortificationis, & continuæ rigationis & martyrij pœnitentiæ charitatem validam extinguere non valebant, imo accendebant. Sic ignitus Seraphicus Pater visionem vidit: *Ac vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium* (apparuerat Seraph in formam Crucifixi) *cor eius incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat se conspici, sed crucis affixio compassiui doloris gladio ipsius animam pertransibat.* Visio cum gaudio, & dolore compassiuo venit. Effectus visionis bonæ. Præcipuus fuit, quod in parente visione, mirabilem in corde reliquit ardorem. In quibus distinguitur à visione diabolica, vel phantastica a propria phantasia efformata.

S. Bon. leg. S. Franc. c 13.

Admirabiles effectus, ac diuersos fatetur Iob in quadam visione diuina, aiens: *In horrore visionis, pauor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Et cum spiritus, me præsente, transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Ex visione pauor, & tremor, & horror. Sed quia diuina, boni fuerunt effectus, qui ex contemplatione orti fuerunt. Primus fuit humilis cognitio sui, quia altius sua opera imperfecta cognouit, & ex hoc formido, & tremor. Optimè S. Gregorius eundem locum explicans. Humana etenim mens, quo altius eleuata, quæ sunt æterna considerat, eo de factis temporalibus grauius tremefacta formidat; quia tantò se ream verius cernit, quantò se ab illo lumine discrepasse, quod super se intermicat, conspicit: sicque fit, vt illuminata plus metuat, quia magis aspicit à veritatis regula per quanta discordat: eamque graui formidine suus ipse profectus quatit, quæ prius quasi secura nihil videbat. Hæc ille. Et quia imparem se sentit contemplationis Dei, ad se relapsa cum arctiùs diligit, eiusque dulcedine gustat, licet in visione nocturna, quia per fidem, & in enigmate. Tollit etiam præsumptionis humanæ vitium diuina visio, vt ipse Sanctus notauit cap. 23. sequent. in illa verba: *Ossa mea perterrita sunt.* Per ossa enim fortia opera signantur, quę magni valoris videntur, sed in visione parua, & imperfecta conspiciuntur; cruciaturque, qui cognoscit multa amputanda naturæ superflua; hoc denotant illa: *Inhorruerunt pili carnis meæ.* Isti sunt effectus bonæ visionis.

Iob. cap. 4.

S. Greg. Mor. lib. 5. mo. c. 21

Notare tamen opportet ex eodem Gregorio cap. 23. citato, alium effectum diuinæ visionis, nimirum quandam spem cum tremore, & formidine, quem sic demonstrat: Manue in visione Angeli dixit: *Morte moriemur, quia*

quia vidimus Dominum. Protinus eius vxor illum consolatur, dicens: *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, & libamenta non suscepisset.* Quid est, quòd ad visionem Angeli, vir fit timidus, & mulier audax, nisi quòd nobis quandò cœlestia per visiones manifestantur, spiritus pauore se concutit, sed tamen spes erigitur? Non ita diabolicæ visiones, nã terrẽt, ac ad desperationẽ incitant, vt animas præcipitent in desperationis vitiũ, in quo à diuinis discernũtur. Dixerat S. Climacus Dęmones multoties decipere: *In Angelum lucis se transfigurantes, & in Martyrum speciem sæpius transfigurantur, accedentesque se ipsos nobis per somnium ostendunt: excitatione verò, elatione, & gaudio præcipitãt, &* subdit: *Solis eis crede* (scilicet, spiritibus) *qui sibi cruciatum, & iudicium denunciant: quod si desperatio conturbat, istud à Dæmonibus est.*

S. Climac. de peregri. & somn. grad 3.

Visio etiam diuina aliquando lętificat, & terret. Audi Ricardum citatum sic alloquentem: *Lætificat sanè contemplatio æternorum gaudiorum, terret speculatio diuinorum iudiciorum. Quis dignè exprimere possit, quam letum, & iucundum sua cum visio, cum Deus per spiritum suum reuelauit, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit?* Quomodo autẽ terret, explicat, quia cum quis cognoscit ex diuina visione, quomodo soleat alius deuotio in melius proficere: alius de malo ad deteriora vergere: vel quomodo cõtingat alios de summis bonis in infima mala corruere: vel de infimis malis ad virtutũ summa ascendere. Sic visio cogit formidare, ac terret. Nescit namque homo finem suum, sed sicut pisces carpuntur hamo, & aues laqueo compræhenduntur; sic capiuntur etiã boni à diabolo multoties. Quem non terreat diuinorũ iudiciorum abyssus? Timuit Dauid vir iustus; à iudicijs tuis timui, dicebat, nouerat, quòd iudicia Dei abyssus multa.

Hæc autem lętitia intima est in animo, & cum tremore incitat eam ad timorem sanctum, & diuinam charitatem; in quo distinguitur à fallaci lętitia diabolica, quæ solum est ad relaxationem bonorum operum, & affectuũ, mixtaq; cogitationibus fędis. Doctrina est S. Diadochi: *Vera consolatio à Deo causata hortat ad charitatem cũ lætitia animã, quæ totu credibili lætitia, & vehementi in Deum tendit. Diabolica verò lætitia dubitationem trahit, adiunctas, & commixtas fœdas imaginationes. Lætitia hæc est insulsa, & non intimæ, qua animam adulterare vult: cum enim viderit mentem experientia sui sensus, ac gustus, studere, gloriari, tunc quibusdam consolationibus, quæ bonæ videntur, animam consolatur, vt huiusmodi dulcedine relaxatam lateat concubitus fraudulentus diaboli. Hinc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.*

S. Diadoch de perfect. spiri. c. 31.

Visiones diuinæ in principio, timorem infundunt, & animus patitur propter nouitatem insolitam; sed postea quietant, & illuminant mentem ad cognitionem Dei. Post tot timores, & pauores assignatos Iob subdit: *Et vocem quasi auræ lenis audiui.* Vbi S. Gregorius c. 26. *Quid per vocem auræ lenis, nisi cognitio Spiritus Sancti designatur? qui de Patre procedens, & de eo quod est filii accipiens, nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur.* Confirmat ex aduentu Spiritus Sancti super Apostolos, quos docuit illuminãdo eorum mentes ad sui contẽplationem, antea verò: *Factus est repente de cœlo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis.* Item ex illo casu Eliæ in spelunca degentis: *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conuertens petras ante Dominum.* Post cõmotionẽ ignis: *Et post ignem sibilus auræ lenis, & ibi Dominus.* Spiritus ante dominũ in visione grandinis fortis euertit montes, & petras conterit, quia pauor, qui ex aduentu eius irruit, & altitudinem cordis nostri deiicit, & duritiã liquefacit. Ita disponit mentẽ, ac præparat, ac sibilum auræ tenuis, quòd nihil aliud est, quàm cum saporem incircunscriptæ veritatis contemplatione subdita subtiliter degustamus. Omnia sunt Magni Gregorij. Passim in sacris litteris visiones diuinæ leguntur. Ezechie. 1. Apocal. 1. & alibi, sed semper diuina docent, licèt audiantur in eis voces horribiles, & videantur stupenda, causentque timorem.

Actu. 2.

3. Reg. 19.

Econtrariò, diabolicæ visiones stupefaciunt animum, ac stupefactum relinquunt, vt sic obnubilatus intellectus, & animus turbatus facilius decipiatur à Dęmone, & illi credat. Ob du-

durescit cor ad bonum; & licet in principio hortetur cautè ad bona: *Sed postmodum* (ait Sanctus Thomas) *volens explere desiderium suum, & quod intendit, scilicet, decipere, instigat ad mala.* Aliquando mala, quæ in se sunt talia, facit apparere bona, peruertendo sensum hominis, & inflammando cõcupiscentiam. Exempla adducit ibi Angelicus Doctor ex veteribus Patribus. Visiones autem per bonos Angelos in principio hortantur ad bona, & in eis perseuerant; ac denique si perturbant, confortant. Statim, sicut Zachariam Lucæ 1. *Ne timeas Zacharias.* Ad B. Virginem: *Ne timeas Maria.* Rationem dat D. Hieronymus enucleans verba Christi Domini ad mulieres: *Nolite timere*, 28. Matth. ait: *Et in veteri, & nouo testamento hoc semper obseruandum est, quòd quando angustior aliqua apparuerit visio, primum timor pellitur, vt sic mente placata possint, quæ dicuntur, audiri.* Lege Theophil. in cap. 28 Matth. Chrisostom. hom. 24. in 1. ad Cor. & Diadoch. cap. 75. & 77. Benigna omnino est hominibus Angelorum bonorum visio; illuminãt etenim, ac perficiunt mentes nostras, vt fatetur Sanctus Dionysius in celest. Hierarchia; malorum verò venenosa, ac ferocitatis plena.

S. Thom in epist. 2. ad Cor. c. 11.

Visiones denique celestes solent perterrere, non tam eo tempore, quo per excessum mentis in somno videntur, quàm tunc temporis, cum post excessum ad memoriam reuocantur, ac subtili examinatione secum tacita mẽte retractantur. Post visionem in somnis dixit Nabucodonosor: *Cogitationes meæ in strato meo: & visiones capitis mei conturbauerunt me.* Ex duobus se asserit conturbari: ex cognitionibus suis, & visionibus capitis sui. Visio in somnis perterruerat Regẽ, transacta rediens ad se timebat, ne dignus esset alicuius dãni; atque ita conturbabatur ex visione, & cognitionibus in strato suo. Ricardus supra ad propositũ: *Quid intelligitur per stratum, nisi intimæ quietis ocium: visio verò capitis, illuminatio sensus intellectualis. Cogitationes suæ itaque in stratu suo, & visiones capitis sui vnumquemque tunc perterrent, terrendoque conturbant: cùm ex eo quod secum post diuinæ reuelationis archanum meditationis suæ negotioso ocio pertractat ad salubrem solicitudinem, vtilemque formidinem euigilat.* Fiunt igitur semper diuinæ visiones ad spiritualem recipientis profectum, quando sunt particulares. De visionibus animarum beatarum, & existentium in purgatorio, ac in inferno, plura inuenies in Theatro vitæ humanæ, verbo, Beatitudo, Purgatoriũ, & pœnarum infernalium; de animabus purgatorij, etiam in B. Greg. Magno lib. 3. Dialog. c. 55. Ceterum, quia diabolice possunt esse, obseruanda sunt, quæ dicta reliquimus suprà ad eas discernendas, secundũ effectus, quos causant in mente.

Daniel. 2.

CAPVT VI.

Quæ, & quotuplex sit reuelatio.

Reuelatio communiter sumpta, est quædam manifestatio alicus occultæ veritatis. In hoc conueniunt reuelationes canonicę, & particulares aliquibus viris communicatæ. Dicitur reuelatio, quasi velli remotio ab oculis intellectualibus. Remotionem hanc petebat Dauid Deum alloquens: *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Pro quo sciendum est, quòd duplex vellum, siue velamen in diuinis reuelationibus inuenitur. Primum est ex parte subiecti eas recipientis, quòd est anima nostra. Vnde D. Gregorius sic ait: *Humana quippè anima primorum hominum vitio, & à paradisi gaudiis expulsa lucem inuisibilem perdidit, & totam se in amorem visibilium fudit: tantoque ab interna speculatione cæcata est, quãtò foras diformiter sparsa: vnde fit, vt nulla nouerit, nisi ea quæ corporeis oculis; vt ita dixerim, palpando cognoscit.* Sic explicat illud Iob: *Stetit quidam, cuius non cognoscebam vultum.* Idem expressè fatetur D. Bernardus. Ex tunc morsus serpentis fecit sensus interiores languescere, & tabescere. Ita vt clamet Propheta: *Oculos habent, & non videbunt.*

Psalm. 118

S. Gregi Magn. lib. 5. in cap. 4 Iob ca. 25.

Iob. cap. 4.

S. Ber. ser. 85. in Cant.

De hoc velamine, siue impedimento inquit S. Bonauentura: *Necesse est, vt à Iesu qui est clauis Dauid, sensus nostri aperiantur, antequam æterna experiantur.* Sic fecit post resurrectionẽ suam, cùm dicat Euangelista: *Aperuit*

S. Bona. itin. sexto atern. dist. 4

Luc. 24.

rvit eis sensus, vt intelligerent scripturas. Vnctio diuina emollit mentem, purificat, & sanat eius palatum, vt diuinas reuelationes accipiat, ac gustet.

Secundum velamen sumitur ex parte obiecti, videlicet, rei reuelatæ, eo quod superat intelligentiam nostram. Propter hoc vocatur diuina essentia lux inaccessibilis, quæ respectu nostri ponit tenebras latibulum suum, vsque in patria facie ad faciem videatur, auferaturque velamen ab oculis nostris. Interim verò, quia diuinus radius variis figuris circumuelatus (vt docet S. Dionysius) nobis illucescit, adhuc Deus abscōditus est, & velatus, etiam ex parte rei visæ, quia proponitur in figuris, & sub velaminibus tectus. Hac de causa ait D. Paulus: *Vsque in hunc diem velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum.* Lege S. Thom. ibi lect. 1. c. 12. Tollit ergo Deus hoc velamē, & manifestat per reuelationē veritatē occultam intellectui, quādo vult, ideo addit Apostolus: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Cū veritate reuelata, redditur intellectus quasi videns. Quapropter sicut visus ad alios sensus comparatus primū certitudinis locum tenet, sic diuina reuelatio ob certitudinē visio nuncupatur. Hinc frequenter in sacris litteris prophetiæ visiones vocantur, & Prophetæ videntes. Isaiæ 6. *Videte visiones.* Ioel 2. *Iuuenes vestri visiones videbunt.* Si sit de re futura reuelatio, prophetia appellatur, si fiat in nobis tam sublimi contemplatione, & amore, vt sit alienatio à sensibus, dicitur extasis, vel raptus.

2. Cor. 3.

Triplex est reuelatio diuina. Prima dicitur sensibilis, secunda intellectualis, tertia superintellectualis. Sic Sanctus Bonauentura cum omnibus Doctoribus mysticæ Theologiæ. Reuelatio sensibilis fit dupliciter. Fit quandoque per signa sensibilia, vt quando videtur res corporalibus sensibus extra absque significatione mystica, vt Pharaoni, & huiusmodi, qui nullum sensum spiritualem, vel mysticum intellexerunt. Sed hæc propriè visio est, & non reuelatio, quia nō fuit sublatum velamen. Vnde Theophilatus super illud Pauli: *Veniam ad visiones, & reuelationes*, ait: *Noueris quod reuelatio maius quidpiam sit, quam visio: huic enim tantum videre datur, reuelatio verò, quod videtur, denudat.* Se habent sicut superius, & inferius. Valet, est reuelatio, ergo visio, non econtra.

S. Bon. itiner. 5. æter. dist. 2.

Vide Ricardum. Est alia reuelatio, sensibilis ad sensus externos, sed cum intelligentia mysteriorum ministerio Angelorum. Dat exemplum in veteri testamento D. Bonauentura, in Moysi, cui apparuit Dominus sensibiliter in rubo ardenti, dicens: *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, hoc nomen mihi in æternum.* In hac reuelatione sensibili, reuelatum est ei incarnationis mysterium, ignemque diuinitatis vniendum cum rubo humanitaris, in qua verbum paternum ostendit suam sensibilem denominationem, in qua coniungit æterna cum temporalibus, spiritualia corporalibus. In qua intelligeretur sacramentū humanæ salutis in filio, vt notauit Sanctus Hilarius 5 de Trinit. Propterea dixit: *Qui est, misit me ad vos.* Reuelatio imaginaria dicitur etiam sensibilis.

Ricar. Vict. cap. 1. in Apocal.

Exod. 3.

Alia exempla adducit in nouo testamento S. Dionysius. Archangelus Gabriel Zachariam Pontificem, docuit, quod puer ex ipso præter spem diuina gratia nasciturus, Propheta foret Messiæ venturi. B. Virginem Mariam erudiuit, quomodo in ipsa diuinum illud ineffabilis deiformationis mysterium cōsummaretur. Iuxta illud Ioan. *Verbum caro factum est.* Sic intelligunt eius expositores. Alius Angelus Iosephū docuit, verè adimpleta esse, quæ progenitori eius David diuinitus promissa fuerant. Alius, pastoribus Euangelizauit natiuitatis Christi mysteriū. In Epistola ad Titum, quæ est nona, insinuat conuenientiam reuelationum sensibilium, quia cognata sunt animæ, vt vnita est corpori sensibilia, ac per ea ad diuina eleuatur. Et quia reuelationes sensibiles dantur, vt anima, quæ indiuidua est, ex eodem Dionysio (hoc est secundum S. Maximum) ibi sublimissima natura eius (quæ mēs dicitur) lucem diuinam in illis contētam hauriat, ac recipiat; necessarium est, vt illis non insistat, imo denudetur illis, sicut diximus de visionibus corporeis, & imaginariis. Vt sic ca-

S. Dionys. Areop. c. 4. de cæl. Hier.

Luc. 3.

capiat veritates spirituali modo sibi conuenienti, & spirituali q.u.o. Vnde Sacra Scriptura mira prouidentia ad deformium deformes rerum qualitates descendit, & figuras simbolicas in reuelationibus: & ex immaterialium, & inuisibilium signatione sunt, quæ non signant mentem in se quiescere: sed ad immaterialia. Ab omni materialium similitudine longe remota, sua deformitate cogant per transire ad diuina, ac spiritualia omnino dissimilia in sua substantia.

Reuelatio intellectualis illa dicitur, quæ fit sine formis sensibilibus in mente per diuinam lucem purè spiritualem, qua anagogicè in Deum ascendit. Sic formatur reuelatio hæc ex Ricardo citato: cum spiritus humanus per internam aspirationem subtiliter ac suauiter tactus nullis meditationibus rerum visibilibus figuris sinè qualitatibus spiritualiter erigitur ad cœlestium contemplationem. Tunc reuelatio venit nuda, & pura absque tegumento, & velamine formæ sensibilis, quam vocat anagogicam distinctam à symbolica, quę figuris constat, ac tegumentis, & velaminibus. Ita intelligit Doctor iste S. Dionysium dicentem in libro Hierarchiæ ab eo citatum: *In sacratissimorum eloquiorum per traditas illuminationes, quantum possibile est respiciemus symbolicè nobis, & anagogicè manifestatas cœlestium animorum, id est spirituum Hierarchias; id est quantum ad sensum cœlestes Pontificatus quantum possumus considerauimus.* Illud symbolicè respicit reuelationes sensibiles, anagogicè intellectuales, de quibus dixit B. Ioannes: *Ego Ioannes frater vester fui in insula, quæ appellatur Patmos: fui in spiritu, & audiui, &c.* qui in spiritu vidit, & fuit, non vidit nisi intellectualiter, non sensibiliter. *Apoc. c. 1.*

Sanctus Bonauentura post dicta pro hac intellectuali reuelatione citat Haymō super Apocalypsim, & Hugonem super 7. Angelicæ Hierar. Ex quibus constat in simili reuelatione veritatem manifestari menti immediatè per se ipsam, & nō per signa sensibilia. Vnde Christus dixit Petro: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est*; per interiorem, scilicet, illustrationem; vt dixit Dauid: *Audiam quod loquatur in me Dominus Deus.* Videtur etiam innui huiusmodi reuelatio per hoc quod dictum est Moysi in deserto: *Dices filiis Israel; qui est, misit me.* Fuit hæc reuelatio intellectualis, vt sentit ipse Seraphicus Doctor. Ex Vercellense in prolog. super Cant. Populo Israelitico mandatum fuit ibi nomen intellectuale; scilicet, qui est, siuè ens per se. Totum enim in se ipso comprehendit, velud quoddam pelagus substantiæ infinitum, & interminatum, alienum ab omni sensibili forma. Videri possunt S. Damasce. de fide Orthodo. cap. 12. & D. August. lib. 5 de Trin. cap. 2. & S. Isidor. 7. Ethimolog. cap. 3. Pro hac gemina reuelatione sensibili imaginaria, & intellectuali. Hugon à S. Vict. in celest. Hier. lib. 2. cap. 1. ac N. Henr. Harph. lib. 2. mysti. Theologiæ, c. 45. p. 3. *S. Bona. supra dist. 4. itiner. 5* *Matth. 16* *Psalm. 84* *Exod. 3.*

CAPVT VII.

Quæ sit reuelatio superintellectualis.

DVplex est reuelatio superintellectualis. Prima est altissima notitia Dei orta, aliquando ex visione diuina. Tunc mens clarè cognoscit excellentiam diuinam excedentem omnes suppremas creaturas. Hac decoratus fuit Isaias de se, dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum. Seraphim stabant super illud.* Per hanc visionem, & reuelationem eleuatus fuit ad altissimam notitiam Dei: *In qua* (inquit S. Dionysius) *supremas illas essentias, quasi in symbolis, vidit infra Deum, & iuxtà Deum, & circa Deum collocatas: atque omnium insuper ipsarum super, ineffabiliter eminentem, super principalem verticem in medio super eminentium virtutum superpositum. Didicit ex his diuinitatem secundum se omnem supernaturalem excellentiam ne comparatione, omnibus quę insuper exemptam esse, nec primis istis essentiis vllo modo similis extstat.* *Isai. c. 6.* *S. Dionys. Areop. c. 13. de cœlest. Hire.*

Dionysius commentatur dixit Isaiã vidisse diuinam, & increatam Maiestatem occultissimè cunctis spiritibus supernis sublimiorem, & digniorem. Vidit quòd ens increatum, & æternum eminet infinitè omni potestati, & entitati materiali, & immateriali, iuxtà supereminentiam super essentialem perfectam, quæ est super omne genus prædicamentale, & super omnem ordinem rerum: nec præstantissimis creaturis assimilandum, quia ab omnibus remotum. Concordat Gregorius Pachym. ibidem, dicens: *Didicit diuinum numen secundũ omnem supernaturalem excellentiam, sine comparatione antecellere visibilem omnem, & inuisibilem creaturam.* Didicit ab omnibus insuper diuinum numen exemptum esse: tanquam Dominum à seruis, & creatorem à creaturis: & non solum alijs, sed nec primis quidem substantijs simile existere. Vide S. Maximum. Cognouit etiam Sanctæ Trinitatis mysterium, & vt nobis adumbraret. Ac denique in reuelatione ista quasi consecratur Propheta, vt notauit P. Cornelius fusè explicans illam visionem.

Dionys. Carth. ibi. art. 22.

Secunda reuelatio superintellectualis, secundum D. Bonauenturam, dicitur quædam notitia experimentalis Dei per actum vnionis, & amoris voluntatis, qui excedit actum intellectus, ac contemplationem: docet enim Hugo: *Dilectio super eminet scientiæ, & maior est intelligentia. Plus enim diligitur, quam intelligitur, intrat dilectio, vbi scientia foris est. Nec mirum: quia dilectio semper amplius præsumit, & confidit semper: ingerit se sine cunctatione amor.* Vocauit S. Dionysius (vt idem Hugo notat) amorem acutum, & liquidũ, qui penetrat obiectum: & ipso amplius adhuc sitiens intrare in illud, & esse cum ipso, & tam propè, vt fieri possit, hoc idem ipsum sit quod ipsum. Et cap. 4. de diuin. nomin. inquit, amorem habere vim quandam. Siue potestatem copulantem, & commiscentem. Chartusianus sic explicat ly acutum S. Dionysij: idest subtiliter, ac profundè penetratiuum vsque ad intima sui dilecti, & quasi omni suppressio pudore iniiciens, & velut præcipitans se in abyssalem infinitatem super dilectissimi creatoris, super pulcherrimi sponsi, super optimique obiecti, quod sua speciositate, & perfectione incomparabiliter trahit, vincit, possidet, & in se prorsus transformat, mentem benè dispositam.

S. Bona. 5. itiner. ætc. dist. 5.

Hug. de S. Vict. in c 7 cœlest. Hierar. li. 6, in med.

Dionys. Chartu. in cap. 7. de cælest. Hier. art. 15.

Ex quibus constat, quòd actus dilectionis excedit, & præcellit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum enim excellit, in tantum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectus extendi non potest; atque adeò superintellectualis est illa reuelatio affectualis, & experimentalis, nam amor notitia quædam est vt supra diximus. Concors est Vercellensis super Cantica, qui agens de actu intellectus, & affectus voluntatis, ait, quòd iste continet principalia in Deum suspiria, superintellectuales extensiones, & immissiones, feruidos fulgores, & fulgidos feruores, ad quorum omnium sublimes excessus, & excedentes sublimitates, intelligentia trahi non potest, sed solùm principalis affectus Deo vnibilis. Hanc reuelationem superintellectualem factam fuisse Moysi in deserto illis verbis: *Ego sum, qui sum*; tenet ipse sic commentans: *Ego sum, qui sum*; ac si diceret: sum esse in se reflexum, vel entitas, quale nomen non concipitur, nisi ab apice principalis affectionis, quæ Deo vnitur per experimentalem notitiam, & reuelationem superintellectualem, quæ propria est mentium perfectarum Seraphicarum; in qua reuelatè apparet Deus superintellectualiter. Lege N. Henr. Har. lib. 1. mysticæ Theologiæ, capit. 38.

Tract. 1. c. 11.

Scire tamen oportet, quòd multoties iam repetitione reuelationum, iam iamque vehementia debilitatur corpus, eiusque deficiunt vires paulatim: tunc consulendum est nimis debilibus, vt interdum stauiter se habeant in illis, & si necessum fuerit, occupentur in actionibus honestis vitæ actiuæ. Ratio est, quia destructæ naturales facultates, incipit homo sibimet compati, vt vires amissas reparet per indiscretionem, non solum delicatiùs, sed etiam dissolutius, quã expedit. Exhaustis itẽ viribus

bus maximè capitis, & cordis vix audet ad orationem accedere, quia cùm retrahit molestia debilitatis: & quò magis vult contra eam conari, eò minus potest. Ideò consultius est, vt temperatè se habeat, eique fruatur, ne perdat sine spe recuperandi propter vitium defectionem. Vase enim contrito, liquor effunditur. Hinc David ait: *Defecit caro mea, & cor meum:* Quia cùm corporis virtus omninò deficit, etiam deficit, & languescit cor. Ideo consulit sapiens: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte saciatus euomas illud.* Idest, quod satis est iuxta virium tuarum mensuram. Vtilius est ad horam temperantius frui fauore diuino, quam totaliter perdere. Licèt enim reuelationes diuinæ sint, vult Deus mensurari virtute discretionis. Si verò sine tali vehementia venerint, illas humili corde recipiat.

Psalm. 26.

Prou. 25.

CAPVT VIII.

Quæ certitudo sit in reuelationibus priuatis.

Reuelatio canonica certitudinem fidei obtinet, quia à prima veritate promanat, & noster assensus illi primæ veritati reuelanti, innititur tamquam obiecto formali fidei. Extenditur etiam ad traditiones Apostolicas, reuelatio hæc ad fidem pertinens, iuxta illud Pauli: *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* S. Dionysius docet substantiam Hierarchiæ Ecclesiasticæ nostræ esse oracula diuinitus nobis tradita: *Maximè verò, quæ à sacris nostris initiatoribus diuino spiritu afflatis in Scripturis Sacris, librisque Theologicis tradita nobis sunt; vti, & illa, quæ ab eisdem viris sanctis subtiliori, non omninò dissita ab ordine cœlesti insinuatione, de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, simul tamen immateriale, sine inscriptione, institutores nostri sacra quadam traductione sunt edocti.*

Ad Thessa. epist. 2. c. 2

S. Dionys. Arep. c. 1. de Eccles. Hier.

Hic (ait S. Maximus) sacros initiatores vocat Apostolos, quos etiam præceptores appellauit. Libros Theologicos vocat Biblia, tùm veteris, tum noui testamenti. Immaterialiorem institutionem vocat eam sensuum scripturarum notitiam, quam Apostoli à Spiritu Sancto acceperunt. In illo, de mente in mentem docet, iam mediante verbo, eoque non scripto, mysteria quædam esse tradita; vnde ibidem subaudiendum est verbum, tradita sunt. Lege Gregor. Pachymerā ibi, & Vercellensem, ac Dionys. Carthus. art. 1. Harum traditionum Apostolicarum regula prima est: si ex originalibus Apostolicis, hoc est, quæ ab Apostolis fundatæ sunt Ecclesijs, & præsertim Ecclesia Romana habeamus aliqua dogma, vel consuetudines, & traditione descendere deprædimus. Sic Tertullianus de Præscrip. c. 21. De sola Ecclesia Romana Augustinus lib. 1. contra Pelagium, & D. Irenęus lib. 4. cap. 43. De traditione aliarum Ecclesiarum lib. 3. cap. 3. secunda regula ex Augustino epist. 118. est, si vniuersa teneat Ecclesia tales traditiones. Si per vniuersam Ecclesiam prædicantur ex Tertulliano lib. de præscrip. ca. 29. Antiquitas, igitur, vniuersitas, & consensio inter se connectę traditionem ostendunt.

Deueniendo ad alias priuatas reuelationes viris spiritualibus factas, sciendum est diuersas esse, teste Sanctus Bonauentura. Aliquando fit docendo mentem aliquid agendum, vel dicendum, vel de proprijs, vel alienis, admodum quo docuit Prophetas quid facerent, vel dicerent: vel cùm futura, vel absentia, vel abscondita eis reuelata fuerunt. Aliquando cùm non de speciali facto illo, vel, illo, sed generaliter ad plura per mentis illuminationem ostendit, quid secundum iudicium sit melius, vel non melius: sicut docet omnes iustos declinare à malo, & facere bonum, & per spiritum scientiæ, vel consilij, vel intellectus, vel sapientiæ, Dei placitum agnoscere, vel eligere potiora. Est alius modus reuelationum per Spiritum Sanctum, cum homo ex Dei inspiratione orat Deum pro aliqua speciali causa, vel aliena, & per affectum deuotionis, & fiduciam exauditionis, intelligit se exauditum in petitione. Econtrariò cum non sentit sibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit se non habiturum effectum suæ petitionis, licèt non

S. Bona. de profect. relig. c. 76. l. 2. proces. 7.

nō sit in hoc omnino certus: quia nescit an hoc sit deffectus deuotionis, vel indicium negatæ petitionis. Hoc genus reuelationis est specialiter deuotis mentibus familiare.

At verò reuelatio diuina, quæ non tollit ambiguitatem intellectus, non est completa reuelatio, quia reuelatio est manifestatio rei occultæ intellectui illam recipienti, tollit namque velamē, quod cęlat mysteriū. Completa autem reuelatio tollit omnem ambiguitatem. Vndè Ricardus: *Quod in Dei lumine cernimus: quod ex eius reuelatione cognoscimus, tanta certitudinis fiducia tenemus, vt nullo super hoc ambiguitatis ancipiti pulsari possumus. Hoc est quod Psalmista figuraliter expræssit, cùm dicit: Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt.* Cum Deus sit lux vera, more solis, illuminat humanam mentem: ad cuius diuinum conspectum sui diuini luminis splendore repletur, & per reuelationem ambiguitatis, vel hæsitationis obnubilatio de medio tollitur, sicque transeunt, quia dubitationes recedunt, & intelligentia reuelationis sine dubitatione tenetur. Vide eumdem capit. 41. sequenti.

Ricar. Vict de erudit. hom. inter. ca. 35. p. 1.

Psalm. 17.

Verum est, quod aliquando diuina reuelatio aliquid reuelat, aliquid non, quia pars ignorata relinquitur ad Magistrum spiritualem doctum, & expertum in diuinis rebus, qui per orationem recipit lumen intelligentiæ partis ignoratæ. Nabuchodonosor diuinam sententiam de arboris abscisione ex Dei reuelatione cognouit, ignorauit autem talem sententiam esse contra ipsum. Vocauit Rex sapientes Chaldeos, nequierunt manifestare occultam partem reuelationis. Non erat de eorum facultate, cùm tantum in philosophia versati fuerint. Post hos intrauit Daniel ad Regem, rogauit, vt tempus daret sibi ad solutionem reuelationis: ingressus domum suam indicauit Ananiæ: Misaeli, & Azariæ sociis eius negotium, vt quærerent misericordiam à facie Dei super illo Sacramento. Ex hac diligentia: *Daniel mysterium per visionem noctε reuelatum est.* Ex oratione discit Daniel secretum, quod Regi latuit, eique manifestat Propheta, vt sciamus quomodo mens diuina reuelatione irradiata aliquid cognoscit, aliquid ignorat à ministris Ecclesiæ didicendum, qui ductores sunt animarum, & si verè spirituales omnia iudicant, & discernunt, mediaque oratione à diuino spiritu illuminantur.

Daniel. 2.

Denique sciendum est secundùm Ricardum non omnes spirituales viros eodem modo, & æqualiter reuelationes priuatas habere; nam alij in suis meditationibus diuinis reuelationibus copiosè affluunt. Suis meditationibus ignem reuelationum accedunt, iuxta illud: In meditatione mea exardescet ignis: Ignis in meditatione exardescit, quando animus ex proprijs inuestigationibus ad diuinæ reuelationis lucem, & archanorum manifestationem proficit. Quidam autem diuinæ reuelationis lucem tam familiarem habent, vt multa eis etiam inter loquendum reuelentur, quæ anteà ignorabant: facilesque redduntur ad loquendum, ac discutiendum de illis. Alij nequeunt explanare, nec loqui, quæ in reuelatione acceperunt: Aliud namque est diuinorum arcana videre, aliud est de eis rationem perpendere.

Ricar. sup. cap. 16.

Si in reuelatione priuata constet sufficienter recipienti Deum reuelantem, talis reuelatio habet certitudinem fidei diuinæ. Sic multi Doctores, quos refert, & sequitur Suar. de fide. disp. 3. sect. 10. dicunt enim reuelationem diuinam obscuram, & sufficienter propositam, esse sufficientem rationem formalem obiecti fidei; siue sit publica, siue de communi doctrina, siue de re aliqua particulari. Fundamentum est, primam veritatem reuelantem, & auctoritatem eius esse vnicum motiuum credendi per fidem: Hæc autem prima veritas reuelans eiusdem rationis est, & æqualis, siue de vna, siue de alia re loquatur, & siue per Ecclesiam, siue per quemcumque alium, & siue priuatim, siue publicè. Atque adeò hæ circunstantiæ sunt accidentales, & non variant obiectum formale fidei; ergo in priuatis reuelationibus sic explicatis, continetur sufficienter obiectum formale fidei. Siue reuelatio sit immediatè à Deo, siue per prædicationem Apostolorum, aut Prophetarum, aut per alium ministriū, vel traditionem Apostolicā. Om-

Omnia hæc spectant, non ad obiectum formale, sed ad approximationem, seu applicationem illius obiecti: Vnde Augustinus 19. contra Faust. cap. 15. dicit, eandem fuisse fidem antiquorum, & nostram: *Quam vel reuelationibus accipiebant, vel in Prophetis intelligebat*, nihil inter hos modos distinguēs; quia accidentarij sunt ad fidem. Sic fides, quam Adam habuit, & quā ab illo didicit Abel, eiusdem rationis fuit, licet ille immediatè à Deo illam recepit: hic verò à patre suo, & sic de alijs.

Sequitur ex hoc, quòd reuelatio ista priuata, comparata ad recipientem teneri ad fidem adhibendam. Alij autem fideles non tenentur talibus reuelationibus priuatis fidem adhibere, nisi ab Ecclesia proponantur de fide: aliter deficit in eis propositio sufficiens, vel nisi miraculo verò confirmentur. In hoc sensu Innocentius III. in cap. *Cum ex iniuncto*, de Hæreticis, dicit, reuelationi speciali non esse adhibendam fidem, nisi miraculo cōfirmetur; loquitur respectu aliorum, qui illā audiunt, non qui recipiunt, vt latè exponit Abulen. in cap. 4. Matt. q. 120. & 121. Si autem priuata reuelatio nō fit cum sufficienti notitia Dei reuelantis, habet solùm quandam certitudinem spectantem ad regulas prudentiæ communis, cum conditionibus infrà ponēdis de veris reuelationibus.

Aliæ sunt reuelationes priuatæ ab Ecclesia approbatæ; Sanctæ Hildegardis liber visionum, & reuelationum perlatus fuit ad Archiepiscopum Moguntinum, iste detulit ad Eugenium Tertium, qui diligenter examinari statuit per duas delegatas personas, vt ad S. sedē, quæ audirēt, & reperirent, deferrēt, & præsentatis scriptis B. Hildegardis, Papa, præsentibus Cardinalibus & alijs de Clero, & S. Bernardo (qui eidem sollicitabat, ne silentio illa charismata perirent) suā authoritate licētiam dedit Hildegardi proferēdi, quęcumque per Spiritum S. cognouisset, atque eam adscribendum animauit. De his oraculis meminit Satebiensis epist. 1. S. Thom epist. 171. lege Varon anno 1148. Reuelationes quoq; S. Brigittæ sūt ab Ecclesia approbatę, vt refert Cardinalis Turrecremat post prolog. cap. 1. dicens: *Reuelationes S. Brigittæ esse diuinō spiritu inspiratas, quòd magnorum virorum, & etiam Summi Pontificis iudicio approbatæ sunt.*

De his reuelationibus dicendum est, quòd si in ipsis sanctis fuerunt cum sufficienti propositione de prima veritate reuelante, habebant certitudinē fidei, sicut de alijs priuatis dictum est; tamen respectu fidelium non cadunt sub obiecto fidei diuinæ, quia ab Ecclesia non proponuntur, nec approbātur de fide, sed vt probabiles recipiantur. Confirmari potest ex S. Thoma, dicente: *Singulis temporibus non defuerunt aliqui Prophetæ spiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinā fidei depromendam, sed ad humanorū actuum directionem.* Adducit exemplum de prophetia Ioannis Eremitæ, de prædictione victoriæ facta Theodosio Augusto, vt refert S. August. 5. de Ciuit. Dei, cap. 26. tom. 5. talis prędictio non erat de fide, etiam si contestata fuisset maiori approbatione, quæ non esset Ecclesiæ. S. Thom. 2. 2. q. 174. ar. 6. ad 3.

Tamen huiusmodi reuelationes ab Ecclesia approbatæ, magnam certitudinem habent, & dicere continere falsa, & huiusmodi, insignis temeritas, & præsumptio est. Ratio sumitur ex S. Dionysio, quòd omnis sacra Hierarchia perficitur à Summo Hierarchico Deo. Vndè in his approbationibus Summus Pontifex participat diuinam cognitionem à Deo, particepsque fit tanquam primus Hierarcha totius Ecclesiæ rerum sacratissimarum. Sic ait: *Sacer ordo noster* (idest nostra Hierarchia Ecclesiastica) *est functio vniuersa, sacra in se complectens, qua diuinus Pontifex initiatus, omnium per se rerum sacratissimarū particeps existet, in quantum Sacerdos Summus appellatur. Qui summum Sacerdotem appellat, Deo intimè vnitum, ac diuinum planè virum significat, omni sacra cognitione perpolitū.* Ex hac intima vnione cum Deo, Pontifex magis illustratur, eiusque influxu perficitur dono discretionis spiritus, vt alios perficiat, & illuminet in approbatione. Admodū cælestis Hierarchiæ, in qua immediatè illuminatur à Deo supprema Angelorum Hierarchia, & hęc inferiores illuminat; prout addit dicens: *Vt ipsemet Antistes pro sui status, dignitatis sue ordinis ratione diuinis initietur, ac Deo vniatur subditosque suos, pro cuiuscumque*

S. Dionys. Areop. cd. 1. de cælest. Hierarch.

que

quæ dignitate afflatæ sibi diuinitus sacræ deificationis participes reddat, & ita vt subditi superiores sequantur. Hæc est Harmonia admirabilis Ecclesiastica, vt caput à Deo illuminetur, ac sic membra illuminet, & fideles illuminati obediant capiti illuminanti.

Spectat ad diuinam prouidentiam communicare Pontifici donum discretionis spirituum, quòd significat secundum Chrysostomum: *Quisnam spiritualis sit, quis non, quis Propheta, & quis deceptor.* Vt gubernet Ecclesiam, sicut caput eius, quia constitutus est in statu perfecto, qui alios instruere possit; quòd nequit, sine tali discretione reuelationum. Hanc prouidentiam in primo parenti, concedit S. Thomas, non solum ad gubernationem vitæ propriæ, sed etiam aliorum in spiritualibus: eo quod, *institutus est in statu perfecto, quantum ad animam, & statim posset alios instruere, & gubernare. Non potest aliquis instruere, nisi habeat scientiam. Et ideò primus parens sic institutus est à Deo, vt haberet omnem scientiam, in quibus natus est homo instrui.* Et quia homo ordinatur ad quendam finem supernaturalē, *In his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, secundum statū illum.* Deus in necessarijs non deficit. Et si membris Ecclesiæ concessa est gratia discretionis spirituū (*alii discretio spirituum,* vt dixit Paulus) propter vniuersale Ecclesiæ bonum, cur denegabitur capiti Ecclesię, qui magis propinquat Deo in directione Ecclesię, quā quæuis alia creatura sancta? imò rationabile est, vt in illo eminentius reperiatur.

S. Chrysost. homil. 20. in 1. ad Cor. ca. 12 circ. med. tom. 4.

S. Thom. 1. p. q. 94. ar. 3. corpore.

S. Paul. 1. Cor. 12.

Ex his constat, quod reuelationibus priuatis ab Ecclesia approbatis, non assentiri erit temeritas, & præsumptio. Assensus circa illas pertinet ad prudentiam infusam; nam prudentiæ actus est recipere, quæ approbatæ sunt à Summo Pontifice, tanta diligētia, cui cōceditur discretio spirituum. Et ex eius approbatione habetur, quòd in illis nil continetur obsonum fidei, vel bonis moribus, & quod ad particularia facta proponuntur ad pietatem fidelium promouentia, & secūdùm hoc pertinent aliquo modo ad bonos mores. Tùm denique, quia ex Macrobio D. Thom. 2. 2. q. 48. tenet docilitatem pertinere ad partem prudentiæ, & q. 49 artic. 3. corpo. homo enim indiget ab alio erudiri, maximè à suo Pastore Suppræmo in his rebus; vtque sit huius bonę disciplinæ susceptiuus, pertinet ad docilitatem; sine illa non suscipiet, nec prudens erit, nisi judicet esse apud semetipsum, contra illud Prou. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

CAPVT IX.

Non est danda fides reuelationi tantùm probabili.

SEnsus capituli est, an siquis habeat probabilitatem genitam ex indiciis, & alijs argumentis, quòd Deus sibi aliquid reuelauit, possit dare fidem huic reuelationi, ita quòd possit dirigere actus proprios, vel alienos, iuxta id quod ei reuelatum iudicat, & hoc ex reuelatione ad gubernationē propriā, vel alienam, in aliquibus actibus concernentibus statum proprium, v.g. si est prælatus gubernare subditos, & seipsum; vel pater, aut mater filios, & ancillas, ac se ipsos. Deinde si iudicat, Deum sibi reuelasse dispensatum esse in aliquo præcepto, vel absolutum esse ab aliquo voto emisso solemni castitatis, vt possit duxere vxorem, &c.

Si loquamur in primo sensu, non est credendum reuelationi tantùm probabili, vt possit dirigere quis actus proprios, vel alienos. Ratio est, quia diuina reuelatio tollit ambiguitatem intellectus circa rem reuelatam, aliter non erit reuelatio, cuius natura est rem occultā manifestare, vel in recipiente eā, vel per alium magistrū, vt dictum est, cap. præcedenti, quo pacto perfecta reuelatio est. Ante hoc non est credendū reuelationi, quia ignoratur, an sit diuina, & exponitur periculo errandi, & illusionibus diabolicis. Vndè homo spiritualis debet se habere ad minus negatiuè circa talem reuelationem, vsque dum sciat diuinam esse. Huiusmodi directio actuum per reuelationem excedit modum naturalem hominis, indigetque diuina luce certa, non tantū probabili, quia probabilitas compatitur cum opposito reuelationi diuinæ. Ecce manifestum periculum errandi, & in præcipitium cadendi, ac subuertendi

directam gubernationem religionis, Regni, vel domus. Dixit Ricardus: *Ea quæ super rationem esse videntur, per reuelationem discuntur.* Excedunt nã quę humanam intelligentiam, & humana ratione inuestigari non possunt.

Ric. Victor. Benia. mai. ca. 12. lib. 4. p. 1.

In secundo sensu, quando iudicat homo habuisse reuelationem dispensatoriã alicuius præcepti, voti solemnis, &c. grauissima materia est, in qua malè intellecta plures in præcipitia corruerunt; de quibus fuerunt pessimi illuminati, qui attestante Rusbrochio aiebant, se sublimatos esse supra omnes choros Angelorum, & Sanctorũ, supra omnem legem, & prę cepta diuina, & humana; & sic affirmabant licere quidquid corpori libet, quia ad statũ innocentiæ erant reducti, & ideo nullam sibi habebant præscriptam legẽ, a qua se exceptos putabant ex reuelatione sibi facta. Eodem modo prolapsi sunt hæretici huius temporis, asserentes in Ecclesia Christi multa esse noua introducenda, in multis legibus dispensandum, abrogandum, &c. ex reuelatione sibi tradita. Ita Caluin. lib. 2. instit. cap. 7. Luther. & alij.

Rusb. li. 2. de orn. spirit. nuptia. cap. 7.

Nunquam licitum est vti reuelatione tantum probabili contra pręceptum Ecclesiæ, vel voti, nec ei adhibenda est fides. Videtur diffinitum esse ab Innocent. III. in cap. *Cum ex iniuncto de Hæreticis.* Vbi contra quosdam laicos, qui contra legem Ecclesiasticam prohibentem laicos prædicare Euangelium, se prædicationi ingerebant, dicentes se ad hoc missos esse à Deo secreta reuelatione; contra quos diffinit Pontifex huiusmodi reuelationibus fidem publicam, hoc est, exteriorem dandam nõ esse, nisi aliquo miraculo, & sacræ Scripturæ confirmetur, sicut fecit Moyses cũ Pharaone, & Ioannes Baptista cum populo Iudaico, allegãs testimonium Scripturæ: *Ego vox clamantis in deserto.* Ergo reuelatio priuata probabilis tantum, quæ præcepto Ecclesiæ opponitur, est demoniaca, & illusoria. Lege Caiet. 2. 2. q. 174. art. 6. qui magna, & vtilia profert.

Deinde reuelatio illa priuilegiata debet esse cũ magna certitudine, quia insuitata est, vt non temerè agamus, noua res est, vt Religiosus Deo consecratus, ducat vxorem ex dispensatione probabilitèr putata. Ergo quo vsque constet de priuilegio, & dispensatione, & quòd habuerit certissimum lumẽ, non potest ei credere. Ratio est clara, irrationabile quidem est, vt certũ pręcepti præferamus incertæ, & dubię reuelationi. Vnde Bernardus, inquit, diuina præcepta à nullo mutari nequeũt nisi à Deo; si verò aliquando mutauit, fuit ex præcepto suo, quando voluit, & quòd voluit, aliter peccatum esset infringeribus talia pręcepta. Assignat exempla: *Siue cùm ab Hæbreis Aegyptios spoliari, Exod. 11. siue quando prophetam cùm muliere fornicaria misceri præcepit. Quorum vtique alterum quid nisi graui furti facinus, alterum, quid nisi flagitii turpitudo, reputaretur, si non excusasset, vtrumque factum authoritas imperantis? Sanè vbi simile aliquid aliquãdo à sanctis hominibus fuisse legitur vsurpatũ, scriptura nõ indicante, quòd Deus ita præceperit, aut eos peccasse fatendum est, sicut homines, aut certè sicut Prophetas familiare Dei cõsilium accepisse.*

S. Bern. de precep. & dispens. ca. 5. Ose. 1.

Circa illud Exodi; *postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea*, docet Augustinus, fuisse preceptum à Deo, quòd nullus sequi debet sibi, vt exemplũ, aliàs furtum erit: *Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad expoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus iussit, qui nonerat, quid quemque pati oporteret, nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo iubente ministeriũ præbuerunt.* Necessum fuit, vt Moyses certam reuelationẽ haberet, vt verus Propheta, ne furtum esset, qui de non furando præceptum habebant. Idem sentit S. Basil. & D. Thomas. 2. 2 q. 100. art. 8. ad 3. ibi de Osea dicit: Quòd *accedens ad vxorem fornicariam; vel mulierem adulteram, non est mæchatus, nec fornicatus: quia accessit ad eã, quæ sua erat secundum mandatum diuinum.*

S. Aug. in Exo. q. 39.

Eodem modo loquitur ibi de Abrahã in occisione Isaac, habuisse à Deo præceptum. S. Zenon de hoc Patriarcha, inquit: *Propter excellentem charitatem erga Deum, non contristat frõtẽ, nec dolor patri lachrymas persuasit, sed exultat, & gaudet, nec timuit, ne parricidium ei imputaretur, sed magis, vt deuotioni pareret, lætabatur hoc iussisse Deum.* Vide Augustin. serm. 73. de tempor. Requiritur ergo, reuelatio diuina certa, non dubia, vt habuerunt

S. Zen. Veron. ser. 5. de Abrah.

isti Prophetæ. Vnde S. Iræneus, ait: *Non solum autem per visiones, quæ videbantur, & per sermones, qui præconiabantur, sed & in operationibus visus est Prophetis, vt per eos præfiguraret, & præmonstraret futura, propter quod & Oseas Propheta accepit vxorē fornicationis per operationem profetans, quoniam fornicando fornicabitur terra à Domino.* Rationem dedit Thomas Anglicus in cap. 22. Genes. quia, Patriarchæ etiam erant, veluti fundatores fidei, habebant visiones fundamentales totius diuini cultus, & Ecclesie Dei, & nullo modo dubiæ erāt illæ visiones, sicut sunt, quæ fiunt singularibus personis.

S. Iræn li. 4. aduers. Hæres. ca. 37.

Admirabilis est ad nostrum intentum, ac valdè timendus casus, quem legimus lib. 3. Reg. c. 13. Missit Deus Prophetam ad Ierobeam (aliqui volunt fuisse Prophetam, qui dicitur Abdo, alij semeiam Prophetam) per reuelationem diuinam accepit præceptum de non comedendo, nec bibendo in Bethel, vt ipse Propheta dixit Regi: *Mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Nō comedes panem, neque bibes aquam.* Habitabat in Bethel Propheta quidam senex, occurrit ei in via, petiuit, vt secum veniret ad manducandum, excusauit se Abdo propter præceptum à Deo datum, ad quod respondit, quòd ille etiam Propheta erat similis illi: *Et Angelus locutus est mihi in sermone, dicēs: Reduc eū tecū, vt comedat panē, & bibat aquam.* Credidit, & comedit, ac bibit, & leo in via occidit eum. Mortē fuisse ob transgressionem præcepti, affirmat D. Cyprianus: *Cùm non custodisset, & contra præceptum Domini prandisset, statim diuinæ censuræ maiestate percusus est, vt inde regrediens impetu, ac morsu leonis in itinere necaretur.* Prędixerat mortem Propheta, qui eum fefellit. Peccasse Prophetam comedentem, & bibentem, cōmuniter tenent SS. Patres, vt in Glossa ordinaria, & alibi passim.

S. Cypria. Epistol. Magna filio.

In quo consistit peccatum, quòd tam acerbam mortem meruit? Respōdet Tostatus, quòd peccauit relinquēdo reuelationem certam de præcepto, credendo dubiæ reuelationi de dispensatione. Tenebatur non præponere dubium certæ, vsque certus esset de dispensatione, sicut de præcepto. Refero eius verba: *Deus locutus fuerat ipsi Viro Dei, quòd non comederet in Bethel, ideo non debebat credere contrarium, quousque tam clarè cōstaret sibi, quòd Deus dixisset istud, sicut constabat sibi, quòd Deus dixerat, quòd non comederet in Bethel, sed illud constabat sibi per reuelationē manifestam, ergo quousque constaret istud per similem reuelationem non tenebatur credere. Non debebatur credere nisi ostenderet manifestum signum Propheta Senex, sed nullum signum ostendit, nec ille petiuit, sed immediatè credidit omnino peccauit credendo, & propter hoc occidit eū leo.* Hæc ille. Vide Caietan. ibi, & Raphael. de la Torre q. 95. art. 3. disp. 2. conc. 56.

Tost. ibi, q. 15.

Cùm ergo constet de obligatione alicuius præcepti, euidenter, vt quis ab ipso eximatur, euidenter moraliter debet constare de dispensatione diuina, & non sufficit reuelatio probabilis de dispensatione, propterea dixit Scriptura: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint, quoniā multi pseudoprophetæ exierunt in mūdum.* Vnde Caiet. 2. 2. q. 174. art. 6. quacumque persona pro, hetante de nouo non sunt publici actus dirigendi secundum illius propheti,m, quoniā Ecclesia fidem eis publicam negaret, nisi aliquorum dictorum testimoniorum efficaciter adesset. Semper timēdum est, ne sit sicut ille Propheta Senex malus, qui ad decipiendum alterū exiuit fingens se missum à Deo, habeisseque reuelationem ab Angelo de dispensatione præcepti, licet sentiat Tostatus q. 16. Prophetam occisum aliqualiter potuisse credere Prophetæ decipienti, quia Deus aliquando mutat ea quæ dicit, secundum merita nostra, vel demerita, vt Ierem. 18. & Ezechiel. 33. sed hoc non sufficit, nisi constet clarè, vt dictum est. Contrarium asserere, cum interuenit præceptum, temerarium est, & errori proximum. In similibus reuelationibus priuatis recurrendum est ad Ecclesiam, scilicet, Summum Pontificem tanquam ad regulam sensibilem, qui ad hoc relictus est in Ecclesia, sicut & ad definiēdum res fidei ex cathedra, vt docet veritas Catholica, habetque potestatem dispensandi in præceptis Ecclesiasticis, si oportuerit, optimè, ait S. Augustinus contra Faustum: *Videtis, & vos*

S. Aug. 32 cap. 39.

tho-

agere: vt de medio tollatur diuina authoritas, vt suus vnicuique animus author sit, qui in vtraque reprobet, aut improbet. In nostro casu non tenet illa doctrina cõmunis, quæ ait, posse sequi opinionẽ probabilem, relicta probabili, vel probabiliori, nam vtraque opinio probabilis est, & in nulla parte contradictionis est certitudo, sed in vtraque est formido; at in præsenti adest omninò certitudo de obligatione præcepti, quam vincere nequit formidolosa dispensatio.

CAPVT X.

Quando reuelatio priuata confirmata miraculo aliquando sit vera, aliquando falsa.

REuelatio in præsenti, vel est de re concernente fidem, & sacrã Scripturam, traditiones Apostolicas, & Cõcilia, vel illa quæ solùm concernit res occultas supernaturales, vel communes reipublicæ, & Regno, vt bellum, & similia, vel attinentes ad aliquas personas in suprema dignitate constitutas: (de quibus multas habuit circa Romanos Põtifices S. Birgitta) vel alias personas inferiores.

Si reuelatio sit de re concernente fidem, etiam si confirmetur miraculo, vel veniat Angelus de cœlo, qui de ea testimoniũ tribuat, talis Angelus anathema est, & miraculum falsum, & reuelatio illussoria. Constat ex D. Paulo aiens: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euãgelizauimus, anathema sit.* Hic loquitur de fide Euangelii. Vbi Sanctus Chrysostomus: *Nequis diceret illum sua ipsius ostentare dogmata, etiam se ipsum denouit. Etiam si quis Angelorũ è cælis descenderit corrũpens Euangelii prædicationẽ, anathema sit. Per hoc quod Euangelizans, & Angelos pronuntiauit anathema, omnem dignitatem comprehendit.* Notat non dixisse Apostolum, si contraria annuntiauerint, aut totum Euangelium subuerterint: *Verùm si vel Paululũ euangelizauerint præter Euangelium, quòd accepistis, etiam si quoduis labefactauerint, anathema sit*, de Euangelica veritate intelligunt Patres Græci illa ad Timotheũ 2. ca. 1. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Bonum dicit, idest, integrũ, quia malum esset ex quocumque defectu, Lege Lerinensi cap. 12. De omni re ad fidem attinente, est certum secundum fidem, glossa ad cap. *Cum de iniunctio de hæreticis.* Vide S. Thom. lect. 2. in epist. ad Rom. cap. 10. fides enim diuina est infalibilis, cui non potest subesse falsum. Est prima regula aliarum reuelationum, alias regulat, à nulla regulatur. De hac prima regula, inquit Paulus: *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, &c.*

Ad Gal. 1. S. Chrysost. hom. 1.

Reuelatio opposita sacræ Scripturæ, licet confirmetur miraculo, est illussoria, & falsum miraculum. Ratio est, quia sacra Scriptura est Spiritus Sancti instinctu scripta dictantis eam, vt docent plura ipsius scripturæ testimonia: *Nõ voluntate humana, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* 2. Can. Petr. cap. 1. *Deus loquens olim Patribus in Prophetis.* Ad Heb. 1. & alia quàm plura. Ex quo constat Spiritum Sanctum esse authorem sacræ Scripturæ, & ipsam scripturam Canonicam esse infalibilem regulam fidei. Sic definitur in Conc. Trident. sess. 6. Omnis ergo reuelatio opposita sacræ Scripturæ, est demoniaca, & falsum miraculum, quia opponitur veritati, cuius Author est Spiritus Sãctus.

Optimè Ricardus: *suspecta est omnis veritas mihi, quam non confirmat scripturarum authoritas, nec Christũ in sua clarificatione recipio sine teste;* nec creata potest esse qualibet veritimilis reuelatio, sine attestatione Moysi, & Eliæ: sine scripturarum authoritate. Adhibeat ergo Christus duo testimonia in transfiguratione sua, si vult, vt non sit mihi suspecta claritatis suę lux illa tam insolita, & magna. In ore duorum, vel trium testium confirmet testimonium, ad comprobandam reuelationis suæ veritatem: non solum figuratiuè, sed etiam apertè scripturæ exhibeat authoritatem. Alioquin ab altitudine dici timebo: verens ne fortè seducar à dęmonio meredìano. Vndè enim tot hæreses, vndè tot errores, nisi quia spiritus erroris transfigurat se in Angelum lucis? vides certè, quia vterque se trãsfigurat; Christus, & diabolus, sed Christus lucis suæ veritatẽ confirmat in duobus testibus. Apparent Moyses, & Elias cum Domino in monte; Apparent in maiestate, nõ in

Ric. Victor Beniam min. c. 81. p. 1.

in obscuritate litteræ, sed in claritate spiritualis intelligentiæ. Hæc ille.

Regulanda est ergo omnis reuelatio priuata per testimonium sacræ Scripturæ, vt non sit illusoria, & diabolica, tanquam per regulam infalibilem, nihil in ea addendo, minuendo, vel peruertendo. Imò secundum D. Dionysium: *Scripturis insistendo pro viribi ad diuinos esse splendores aspirandū, quoniam inde diuinas explanationes, seu quondam veritatis regulam pulcherrimam, accipimus, dum quæ ibi sunt recondita, nihil addendo, nihil minuēdo, nihil peruertendo, in nobis ipsis conseruare nitimur, atque ipsi interim eloquiorū custodia conseruamus.* Est enim sacra Scriptura, tanquam canō, & prima regula per quam aliæ reuelationes priuatę mętiendæ sunt, hoc est de ratione primæ regulæ: & si alia reuelatio ab ea discedit, iā eo ipso falsa est, licet, miraculo confirmetur; etenim miraculum non est regula reuelationis, nec ei tribuit veritatē, sed supponit in ea veritatem. Sic miracula vera confirmant fidem, sed non faciunt fidem, sed supponunt. Vndè dixit Euāgelista, quòd prædicauerunt Apostoli Domino mādante: *Sed eodem cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. 16. Apostolus ait de fide ad Hębreos 2. *Quòd cùm initium accepisset enarrari per Dominum, in nos confirmata est, contestante Deo, signis, & virtutibus.* Accedit etiā, quia multa prodigia fiūt virtute Dęmonis; patet ex his, quę operabātur Magi in Ægypto Exod 7. & de Antichristo talia: *Vt (si fieri potest) per ea inducantur in errorem etiā electi.* Matth. 24.

S. Dionys. Areop. c. 2, de Diui. nomin.

Hæc autem regulatio reuelationis cum sacra Scriptura facienda est, iuxta intelligentiam Patrum Ecclesiæ, de quibus dicit Hieronymus: *Doctores Ecclesiæ non tàm ipsi docent, quàm in eis Deus, qui ad Sanctos loquitur,* S. Prosper. 2. de vit. contemp. hos vocat: *Fundatores Ecclesiæ, fideles populi Duces, veritatis assertores, & prauæ doctrinæ hostes.* Posuit eos Deus in Ecclesia sua vt lucerent, atque adeò eis assentiendum est, ac secundum intelligentiā eorum regulandæ priuatæ reuelationes. Vndè D. 15. ca *Sancta Romana Ecclesia* Sic loquitur Gelasius Papa, item opuscula atque tractatus omniū P P. Orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ cōsortio deuiarūt, nec ab eius fidei prædicatione seiuncti sunt, sed communionis ipsius gratiæ Dei vsque ad vltimum diem vitę suæ participes fuerūt, legēda decernimus. Plures ibi enumerat. Hoc certissimū documentum percutit Hæreticos, qui dixerunt vnicam rationem, & regulā fidei esse internam reuelationem, vel instinctū specialē, quē Deus vnicuiq; tribuit. Hæc Hæresis excludit Ecclesiam visibilem, quæ infalibilis regula est fidei affirmatque sufficere sacram Scripturam cū vniuscuiusque legentis, & intelligentis spiritu, & sensum P P. circa sacram Scripturam.

S. Hier. in c. 1. ad Galat.

Deniq; reuelatio priuata concernēs traditiones vniuersales Ecclesiæ Catholicę, vel Cōcilia generalia legitimè congregata, est illusoria, etiā si miraculo confirmetur, si cum illis non cōformetur. De traditionibus perpetuis (quæ sunt quarum initium ignoratur post Apostolos, & sine interruptione seruatæ inueniuntur, vt eas, describit S August. lib. 4. de Baptis. cap. 24.) tā doctrinalibus, quā moralibus, quæ includunt aliquid credendū, & in Ecclesia Catholica sunt perpetuò obseruatę, constat, quia sunt etiā infalibilis regula fidei, siue sint scriptæ, siue nō. Sic D. Paulus aiebat: *Non retinetis, quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebā vobis?* 2. ad Thes. 2. *Tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonē, siue per epistolā nostrā.* Vbi agit de traditionib⁹ scriptis, & nō scriptis. S. Iræn. *Oportet quæ sunt Ecclesiæ, cū summa diligētia diligere, & appræhēdere veritatis traditionē.* Definita est hæc veritas in Cōcilio Trident. sess. 4. & alijs. Quòd sint scriptæ, vel non, sunt conditiones extrinsecæ, quę non variant, nec minuūt earum authoritatem diuinam.

S. Iræn. lib 3. cap. 4.

De Concilio generali legitimè congregato, & à Pōtifice approbato, eadē ratio est, ac de traditionibus, quia errare non potest in his, quæ in doctrina Fidei definit, vel quæ approbat in materia morū, & ideò infalibilis regula fidei est. Ideo dicitur in Actibus Apostolorum 15. in forma definiendi: *Visum est Spiritui Sācto, & nobis.* Regitur Cōciliū à Spiritu Sancto, cui facta est promissio: *Cùm venerit paraclytus, ille spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem.* Et illa: *Vbi sunt duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quam adducunt aliqua Concilia, & S. Greg. lib. 2. Epist. c. 101. Ideò

Ioann. 16. Matt. 18.

ex

ex perpetua traditione Ecclesiæ, & cõsensu cognoscitur assistentia Spiritus Sancti, & Concilijs generalibus legitimis. Omnis ergo priuata reuelatio mensurari, & regulari debet, hac fidei regula, & si discordat, illusoria est, & miraculum diabolicum, & falsum.

Accedit, quòd Deus etiã diuinitus, nequit facere miraculum in confirmationẽ falsæ reuelationis, quia iam cooperaretur mendatio, & esset eius testis, vt sentit S. Aug. lib. de vtil. credẽdi c. 6. Latius D. Tho. 3. p. q. 43. & 44. miraculum enim ex natura sua est protestatiuũ diuinæ virtutis, & veritatis, vt dicunt PP. & docet argumentũ Marci: *Illi verò profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermone cõfirmante sequentibus signis.* Quare, est contra rationem veri miraculi specificam, quòd est protestatiuũ diuinæ veritatis, quòd sit protestatiuũ falsitatis. Vnde concludit D. Thom. quòd si aliquis Propheta pronunciãs aliquam reuelationem futuri, confirmet, vero miraculo suscitando mortuũ, ex hoc signo conuinceretur intellectus videntis, vt cognosceret manifestè hoc dici à Deo, qui nõ mentitur. Atq; adeò certũ est apud Orthodoxos miracula fieri in fidei contestationem, ex loco illo Marci, & ex D. Paulo ad Hebræos.

S. Thom. 2. 2. q. 5. cor.

Tãdẽ, si reuelatio priuata sit de re cõcernẽte leges vniuersalis Ecclesiæ aut alicuius regni, aut Reipublicæ secularis, vel religiosæ circa modũ gubernãdi politicũ, distribuendo officia Ecclesiastica, eligẽdo aliquã personã, vel dispensandi in aliqua lege alicuius Concilij, aut Summi Pontificis, & hoc cõfirmetur vero miraculo examinato à viris cordatis, expertis, & eruditis, & approbetur à Pontifice Sũmo Consilio, talis reuelatio credenda est, vt diuina. Ita decisum est in cap. illo, ex iniũcto de Hæreticis, quòd *dicẽti se ex speciali reuelatione mitti à Deo, non est credendum, nisi miraculo, vel speciali scripturæ testimonio id confirmet.* Sicut fecit Moyses coram Pharaone, patrando vera miracula in cõfirmationem suæ reuelationis, & missionis Dei. Et S. Vincẽtius Iustinianus in eius vita. t. p c. 19

Pro coronide capitis, adnotare libet admirabilem doctrinam Caietani pro reuelationibus priuatis. Dicit enim, quòd si appareãt Prophetæ quidã cẽt dirigere actus difformiter ad Ecclesiasticos mores, siuè cõmunes totius Ecclesiæ, siue peculiares alicuius Religionis, & huiusmodi, & hoc siue in veritate sit illa difformitas, siue habeant speciem difformitatis, in istis non sunt audiẽdi, nisi eis publica fides ab Ecclesia adhibeatur: ratio namq; recta est, vt in directione actuũ nostrorum certũ proponantur dubio, quoad bonitatem, vel malitiam, cõstat, quòd regulare actus nostros conformiter ad diuinas, Ecclesiasticasq; leges, & mores, bonum proculdubio est. Declinare ab illis malum proculdubio etiam est. Quo circa non excusantur, qui ex iussu, vel licẽtia huiusmodi Prophetarũ, credẽtes eos spiritu afflatos diuino, aliquid cõmittũt, ex suo genere malum, vel habens speciẽ mali, vt faciũt hi, qui amplexibus, seu impudicitijs operã dãt, delitiasq; assumunt, nouitates singulares, quas nescierunt Patres eorum sub specie sanctitatis introducũt. Quòd si tales actus sint peccati mortalis, peccant mortaliter facientes. Opera sunt carnis aliena à fructibus spiritus, vt patet ad Gala. 5

Caiet. 2. 2. q. 174 artic. 6.

Consentiẽtes, & paciẽtes tales actus eodem modo peccãt. Sic dicit de muliere fornicante Oseę, quòd si aliud nõ interfuit, nos latent, excusata non fuit à peccato mortali; sicut nec hodie excusatur, quæcumq; mulier permittẽs, se cognosci à quocũq; sanctissimo homine, & propheta reputato, qui nõ esset suus maritus. Quòd si licitè Isaac cooperabatur morti suę cum Abrahã patre suo, fuit, quia pater receptus Propheta erat in Ecclesia, ex quo iam circumcisionem acceperat à Deo, ipso mediante. Vnde Isaac tenebatur credere reuelationi factę patri suo de eius immolatione.

CAPVT XI.

Reuelatio priuata de certitudine gratiæ, vel prædestinationis, non semper est suspecta de veritate, quia vera esse potest.

REuelationẽ priuatam de statu gratiæ, & predestinationis alicuius personę posse esse verã, colligitur clarè ex Concil. Trident. Nã sess. 6. c. 9. definit cõtra inanẽ hæreticorum fiduciã, quòd nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se Dei gratiam consecutum, nisi habeat speciale reuelationẽ. c. 12. decernit, nullum posse statuere se esse de numero prædestinatorum, quasi ve

rũ esse, quòd iustificatus, aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat, sine enim speciali reuelatione scire non potest, quòd Deus sibi elegerit, Can 16. *Si quis magnum illud, vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absoluta, & infalibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Ergo ex speciali reuelatione certa, ac vera potest quis certus esse de statu gratiæ, & prædestinationis suæ Certitudinem de futuro regno habuerunt Apostoli, quibus dictum est: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim Tribus Israel.* De Clemẽte, & alijs coadiutoribus habuit Paulus cũ dixit: *Quorũ nomina scripta sunt in lib. vitæ* Luc. 22. Ad Philip 4.

Aliquæ leguntur reuelationes de varijs priuilegiis concessis particularibus personis in Sanctorum virorũ legendis, quæ condemnatæ nõ sunt, sed piè obseruatæ. Inter alia priuilegia, quæ Christus concessit S. P. N. Francisco, post impræssionem sacrorũ stigmatum, vnum est, quòd quicumque ex corde diligit ordinem suum, quantumque sit peccator, à Domino consequetur penitendo, idest, per penitentiam misericordiã, cuius donum misericorditer indulgebit Deus. Huius priuilegij authenticum testimonium extat in Ecclesia montis Albernę, vbi mensa quædam lapidea ferrea crate contecta ostẽditur, supra qua Christus apparuit, dum S. Francisco, hoc priuilegium concessit, quàm ideò S. Pater per Fr. Leonẽ curauit primò aqua, deinde vino, postmodum lacte lauari, rursus oleo, ac tandem balsamo vngi in honorem Christi super illa apparentis, & ibi secreta diuina reuelantis: cui ad perpetuam rei memoriam incisa est hæc inscriptio: *Mensa B Francisci, super quã habuit mirabiles apparitiones, sanctificansque ipsam, effudit oleum desuper, dicens: Hic est Ara Dei.* Prefertur in duodecim fundamẽtis ordin tit. 4 fund 4. 3. 5. in hac reuelatione promittitur gratia remissionis peccatorum ex priuilegio.

Alterum priuilegiũ refert firmamẽtum trium ordin. p. 1. fol. 18 dicens: *Refert Dominus Papa Nonus, se audisse à B Francisco dum viueret ipse Franciscus à Domino tria priuilegia secundum, quod nullus in habitu posset male mori.* Hic promittitur gratia ad benè moriendum, ad quod sequitur gratia beatitudinis. Speciali reuelatione didicit esse de numero prædestinatorũ B. Iacobus de Menania facta à Christo Domino sigillante reuelatione purpureo eius sanguine, quem à latere detraxit: vultum eius, & labia eiusdem sancti aspergente. Alia huiusmodi priuilegia concessa sunt alijs Sanctis, & plura confirmata vero miraculo, quibus adhibetur fides, ex illo cap. *Cum ex iniũcto, de Hæreticis.* Lege caput præcedens de hoc.

Ratio est, quia hæc priuilegia sunt, quædam promissiones diuinæ per modum prophetiæ, quæ vocatur promissionis, iuxta illud: *Subito loquar de gente, & regno, vt ædificem, & plantem illud.* Sic notat S. Thom. & passim PP. at similis prophetia verissima est, quia est participatio diuinæ presciẽtiæ, cui nequit subesse falsum, & effectus dicitur futurus ex vi illius. Sic explicatur: Huiusmodi priuilegia habent infalibilem veritatem, eo modo quo cõcessa sunt; quia vel concessa sunt secundum ordinem causarum (nempè meriti illius sancti, cuius intuitu Deus illa concessit) ad effectum, quẽ respicit directè, & sic non possunt esse falsa, aut dubia, sicut nec est meritũ falsum, nec diuina promissio. Sic enim Deus propter merita Christi, vult omnes homines saluos fieri; vel concessa sunt, non solum secundum ordinem, & inclinationem causarum; sed etiam de ipso effectu futuro, qui ita erit in se secundũ prophetiam, præscientiæ, quæ respicit futuros euẽtus dependẽtes à libero arbitrio, cuius actus Deus prescinit ab æterno, secundum suam præsencialitatem realem terminati, à qua realiter mensurantur. Ierem. 18. S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 1. ad 1

Hoc etiam modo huiuscemodi priuilegia habent infalibilitatem, quoad sufficientiam, idest, ex vi illorũ dabit Deus auxilia sufficientia, vt sequatur animæ salus æterna, & quidem non cõmunia, & ordinaria, sed abundantiora, & vberiora, quibus si non apponant impedimentum peccati, consequetur per auxilium efficax. Sicut profitetur communis opinio, quòd Deus ex vi Sacramentorum, non solũ dat gratiã san-

sanctificantem, sed etiam auxilia in ordine ad sacramentum, quòd recipitur, v.g. Sacramento confirmationis debita sunt infallibiliter, vt quis corā Tyranno confiteatur fidem exterius, & tamē auxilium non semper efficax est, cum multi deficiant coram tyrano, vnde infallibilitas huius promissionis solū verificatur, quòd dātur auxilia sufficiētia specialia ex vi Sacramenti ad profitendam fidem exterius, licet nō detur auxiliū efficax propter impedimētū oppositū ex parte hominis. Idē de huiusmodi priuilegijs; quare illis nixus sperare possum salutē animæ infallibiliter, quoad sufficientiam, & quoad efficatiam si non ponam impedimentum.

Sequitur ex hoc, quod quisque in similibus priuilegijs nixus debet curare se ipsum, attente respicere in suis actionibus, & operari suā salutem, nūquam securus, semper pauidus. Videat quid, de se loquatur Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed nō in hoc iustificatus, qui autē iudicat me, Dominus est. Quasi dicat* (inquit S. Gregorius) *quærere me ipsum, & inuenire non desino: quia si mihi lateo, cui nuda sunt omnia, non lateo*. Et alio loco: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Ecce qui ad tertium cęlum ascēderat, & arcana verba audierat, quę homini non liceret loqui, adhuc timet, ne reprobus efficiar, castigādo corpus suum. Deinde electus vas electionis, & Doctor, ac Magister gētium, & timet. Quis non timebit, etiam cum illis priuilegijs dum terra viuit? Maximè cùm conditionata sint, hoc est, si non ponatur impedimentum, vt dictum est.

1. Cor. 4.

S. Gregor. Magn. 1. Reg. c. 14. vers. 20.

1. Cor. 9.

Hæc autem priuilegia, & autentica debent esse, vel ab immemoriali consuetudine fidelium, vel quia relata ab aliquo Sancto, vel approbata à Sede Apostolica, vel quia reuelata alicui personæ insignis sanctitatis. Deinde debent excludi ab ipsis clausulæ; quæ videntur superstitionem. Quòd quidē intelligentiam debet, (& quæ dicta sunt) de crucibus, coronis, & globulis, quæ important priuilegium aliquod, vt sunt illæ famulæ Dei Ioannæ à Cruce, Ordinis S. Claræ, de cuius beatificatione iam agitur, quæ in cœlo benè dictæ fuerunt à Christo Domino, vt legitur in eius vita lib. 1. cap. 1 ac confirmatæ sunt multis miraculis authenticis cap. 2 & 3. ibi relatis.

Prędicta tamen priuilegia non debent prædicari rudibus, vt relata sunt. Etenim stat antecedens verū, & quod consequens sit falsum, nempè, quòd quis portent habitum S. Francisci, & tamen, quod iusto Dei iudicio, aut subito moriatur, aut quòd cōdemnetur, quia noluit Deus conferre auxilium ad habendam cōtritionem; error enim magnus est affirmare, quòd portanti talem habitum sit infallibiliter connexum auxilium efficax ad finalem pœnitentiam. Deinde, quia rudis populus auidius attendet in hoc portando, vel alio simili, vt S. Benedicti. habent per promissionem reuelatam simile priuilegium saluationis, sicut refert Zepes, eiusdem Ordinis Chronista, quam susceptioni Sacramentorum propter suam ignorantiam, ac facillimè sibi persuadebit, infallibiliter saluandum in portatione habitus; sicque prolabatur in errorem, negligēs alia bona opera ad salutem animę necessaria in adultis. Atque adeò ista publicatio magnū scandalum erit simplicibus. Hac de causa, aliqui condemnati sunt non obseruātes, hoc in publicandis similibus reuelationibus, non quia reuelationes sint suspectæ de veritate, sed quia publicatæ sunt, vt fuerunt reuelatæ absolutè, sine modificatione prędicta, vt debuerant.

CAPVT XII.

Non omnis reuelatio priuata de nouo nomine Angeli boni, est suspecta de veritate.

NOmina Angelorum, non esse naturæ, sed officij, ac ministerij docent S. Ber. lib. 5. de consid. cap. 14. S. Greg. Mag. homil. 24. in Euangel. & communiter PP. Ecclesiæ. In sacra Scriptura tria nomina inuenimus approbata ab eadem Ecclesia, & sub illis tres Angeli canonizati, videlicet, Raphael, qui interpretatur medicina Dei, Tob. 12. Gabriel qui ad Mariam Virginem Missus est, & interprętatur Fortitudo Dei, Lucæ 1. Michael interpretatus, quis vt Deus Apoc. 12. Præter hęc nomina, alia nomina Angelorū publicare, vt credenda infallibili authoritate, in publicaq oratione veneranda, suspectam est in fide. Definitum est in

secundo Cōcilio Romano sub Zacharia Pontifice Supremo cōtra sceleratum Adelbertum plura nomina Angelorum imponentē: *Nos* (aiunt Concilij Patres) *non plus, quam trium Angelorum nomina agnoscimus, idest, Michael, Raphael, Gabriel.*

In vita Sanct. Bonifacij lib. secundo recitatur huius impij heretici quedam oratio, in qua commēdando se Angelis dicebat: *Precor vos, & coniuro vos, Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Thubuel, Angelus Michael, Angelus Alimis, Angelus Sabaoth, Angelus Simiel, &c.* Determinauit idem Concilium, quòd oratio igni traderetur, & eius author anathematizaretur, quia: *Octo nomina Angelorum, quæ in sua oratione Adelbertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed dæmonum magis nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxiliū inuocauit.* Lege Baron. ad ann. 745. aun. 4 Zachar. Pap. Reprimēda etiam est audacia aliorum imponentium nomina monstruosa Angelis, de quibus agit S. Epiphanius Ac aliorū, qui alia nomina imponunt Angelis Præsidentibus septem Planetis, & alia assistentibus duodecim signis Zodiaci: nominādo Arietel, quia assistit Arieti. Thauriel assistēti Tauro, &c. Sicut, & alia innumera ficta à Tritemio lib. de secund. & à Cornel. Agrip lib 3. de occul. Philosop. c. 24 25. 28. & 30. Hæc, & alia similia inuenta sunt ab hæreticis Cabalistis, & hominibus magicis, vt suis nouitatibus alios seducant; atque ideò odio habere debemus, ac euitare omnino, iuxta illud Apostoli: *O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocū nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.*

S. Epipha. de Heres. 24. 25. 26 30. & 31.

Noua reuelatio facta alicui personę eximię sanctitatis de nouo nomine boni Angeli aliquando est vera. Legitur in vita famulæ Dei Ioannæ à Cruce, quòd anxiè, velut alter Iacob, desiderabat edoceri de nomine sui Angeli Custodis mota beneficijs ab eo acceptis, & petitione suarum sororum; recurrit ad B. Virginem Mariā, rogando humiliter, vt piè dignaretur, sibi reuelari nomen sui cœlestis Angeli Custodis: Exaudita est deuota petitio; rapta enim fuit famula Dei, ac in visione imaginaria vidit, & audiuit, sanctissimam Virginem Mariam dicentem Archangelo Gabrieli: *Ve, y dile à Laruel Aureo, que venga luego aqui ami presēcia.* Factū est ita. Misit Virgo Maria Laruelē Angelum custodem ad famulā suam Ioannam; sicque reuelatum est hoc nomē. Vide P. Nauar. doctè defendentē hāc visionem, & reuelationem, §. 4. liber iste approbatus est à Sancto Officio.

1. Thim. 6

Genes. 32. Lib. 2. c 4.

Quamuis liber quartus Esdræ nō sit canonizatus, nec canonicus, tamē Ecclesia iudicat inspiratum esse à Spiritu Sancto, quia aliquid reuelationū illius sumit ad diuina officia publicè decantanda, vt in introitu Missæ feriæ tertiæ spiritus Sancti, & alibi, quòd non faceret, si à malo spiritu esset reuelatus, nihilominus illo lib. 4. fit mētio Angeli Vrielis: *Ego ieiunaui diebus septē vllulans, & plorans, sicut mihi mandauit Vriel Angelus.* S. Ambros. in duplici, cap. citat septies Esdræ authoritates de isto libro in probationem aliquarū veritatum fidei, de immortalitate animæ, de meritis iustorum, & eorum lętitia in gloria, & ait: *Quis itaque prior Esdras, an Plato? Nam Paulus Esdræ, non Platonis secutus est dicta. Esdras reuelauit secundum collata in se reuelationem, iustos cum Christo futuros, futuros, & cum Sanctis.* Eodem lib. 4. c. 7. reuelatum est Esdræ nomē Iesus, mortem illius, & conuersio seculi. De isto nouo nomine, Vriel, inquit S. Bonauētura: *Vriel interpretatur lucens Deo, siue apparens Deo, vel ignis Dei, aut incendiū Dei: quæ duplex interpretatio innuit, quòd per eius ministerium illustramur in veritate, & inflāmamur in charitate.* Idem nomen multi PP. recipiunt, ac venerantur.

Esd. 4. c. 5

S. Amb. de bon. mort. ca. 10. 11.

Platon. in Apol. Socr.

S. Bona. 3. p. Centil. sect. 18.

Quando Concilium Romanum citatum condemnat nomē; Vriel, quòd ponebat Adelbertus, dicens: Concil ū esse nomen Dęmonis, non intelligitur de Vriele Esdræ, quomodo accipiunt PP. quia sicut plures Angeli boni possunt habere idem nomen propter similitudinem sui ministerij, & officij, vt de Gabriele dicit Abulens. q. 34. in c. 7 Iudic. ita Angelus bonus, & malus eodem nomine nominari queunt, nam opera faciunt sanctum, non nomen.

Sibilla Erythræa (quam magnis laudibus extollit Augustinus) refert quatuor nomina Angelorum, qui omnes cogent ante tronum in finali iudicio: *Tunc Eromiel, Vriel, Samiel, Azaelque mala quisque hominū patrauerit, &c.*

S. Aug. lib 18. de Ciu. Dei ca. 23 Lib. 2. Sybil. Carm.

&c. Sybillæ aliquæ locuti sunt inspiratæ à Diuino spiritu, vt multi PP. tenētur. Eandē venerabilis Beda in quadā oratione nominat, alia nomina Angelorum, deprecans, vt eum adiuuēt in die iudicii, sic dicens: *Rumiel esto mihi defensor Paniel esto mihi sanitas, & omnes sancti, ac martyres: precor, vt iubent me apud iustum iudicē.* Memorat etiā nomen, *Vriel*, vt sit illi protector. Finiuntur nomina bonorum Angelorum dictione, el, quæ in Hebreo significat Deū, vt denotetur illos cœlestes spiritus deificatos esse, & tanquā filios Dei, summere ethimologiam ab ipso.

Bed. in Col. orat. ven. f. mihi 499. tom. 3.

Constat ex dictis, dari aliquas reuelationes priuatas de nouo nomine Angeli boni, nō suspectas de veritate. Vndè, si persona sit spectatæ vitæ, & reuelatio habeat conditiones reuelationis veræ, non illicò tenēda est, vt suspecta de veritate, nec nomen nouum est diabolicum. Tamen non ita accipiendum est, vt adoretur publicè ab Ecclesia, nisi ipsa illum canonicet, sed solum, vt talem Angelū veneretur à persona, cui reuelatum est nomē, vt fecit Thobias quando ei reuelatum fuit nomen Raphaelis.

CAPVT XIII.

Persona cui fiunt reuelationes, examinanda est de suis qualitatibus.

Actum est de obiecto reuelationū, agendum restat de subiecto eas recipiente, ac de aliquibus circunstantiis ad discernendū illas prudentia, & scientia; licet enim nō distinguantur reuelationes penes subiectum, nisi materialiter, tamen multoties fallitur sequēdo suam qualitatem, & proprietatem naturalem, iudicando esse reuelationem diuinā, quæ non est nisi humana. Vndè dicit Ricardus: *O quam frequenter imperfecti, & ignari gratiæ mouitur naturali alacritate, & moueri se arbitratur spirituali consolatione! Sæpe ab inimico, vel à proprio corde aliquid sentit homo, & ab Spiritu Sancto, hoc esse credit. Et quid mirū si indeuotione se misceat inimicus, & falsa loquatur, qui in ipsis etiam Prophetis loquebatur. Qui etiam à suo spiritu aliquando dixerūt, quòd à Spiritu Sancto se dicere crediderunt.* Est ergo necessaria notitia subiecti patientis reuelationes, quòd per capita ostendetur. Potētes sunt in homina qualitates, & proprietates naturales, ad suos cōnaturales effectus, ac sic difficulter intelliguntur motus animi.

Ric. Victo. cap. 33. in Cant. p. 2.

In primis examināda est persona, an sit fortis, & vehementis imaginationis: quia multoties imaginatio hæc format naturaliter imagines, habet vim cōmouendi partes plures corporis, & alterandi, & cum imaginatio sit cognitio, licet infima, quæ est rerum sensibilium subiectarum sensibilis, & interna repræsentatio, falli potest imaginatio fortis iudicando esse reuelationem diuinam, similem cognitionē. De efficaria imaginationis plura, & magna inueniūtur in Theatro vitæ humanæ, authoritatibus comprobata, ex quo aliqua adducam. Recitat Aristoteles fuisse hominem, qui semper suam imaginē ante se, velut in speculo videret, quod ob solum visus maturitatem accidere non potuit, sed accedente ad hanc etiā summa anterioris partis cerebri caliditate, spiritusq; visiui tenuitate, effluxi quoque vaporis crassitia, vt sic tanquam è speculo reflecteretur. Cardan. de Rer. variet. lib. 8. cap. 43.

Imaginationem

Theat. vit. hum. verb. imaginatio.

Imaginationem facere casum experientia docet; multi vi illius infirmantur eadem infirmitate imaginata, vsq; ad efflandū animam. Etiam imaginatione, quam plures morbi curati sunt. Deinde in fœtibus genitis videntur variæ mutationes ex imaginatione. Hinc Hippocrates dicit desyderiū mulieris prægnantis posse fœtū signare; sic quæ terram, aut carbones edere cōcupiscat, ac edat, in capite pueri eius signa apparebunt. Videatur D. Hieronymus in traditionibus Hebra. sup. Gen. Ex Sorano medico refert D. Aug. cōtra Iul. c. 9. quod cū Dionysius Tyranus esset deformis, & nolens prolē sibi similem generare, iussit pulchrā picturam suspendi ante oculos vxoris, vt ipsa eius intuitu (& imaginatione) prolē formosam similē imagini conciperet, & non patri. Galenus etiā, lib. de Theriaca ad Piton. c. 14. sentit imaginationē pulchræ picturę posse fœtū mutare, eūq; rei imaginatæ similem facere. Sic accidit Patriarchę Iacob Genes. 30. quando vt acquireret oues diuersi coloris, accepit virgas virides, & populeas & amigdalinas, & decordicatas posuit in canalibus aquarum, ad quos manè oues venturæ erant ad potandum, vt ipsæ postmodū in congressu, imagine di-

Hippoc. li. de superfœtat.

diuersitatis illorum colorũ, fœtus produceret variegatos. Et ita factum est. Huius facti meminit Augustinus lib. 3. de Trinit. c. 12. & libr. 12. de Ciuit. Dei cap. 25.

Legitur in vita S. Ignatij martyris, quòd inter omnia sibi illata tempore passionis tormenta, nunquam ab inuocatione nominis Iesu cessabat, & requisitus à Tortoribus cur hoc nomen toties replicaret, respondit, se nomẽ hoc cordi scriptũ habere: Deinceps à Leonibus suffocato, & lacerato, tortores volẽtes experiri, quòd S. dixerat, eiusserunt eius cor, & per medium scindẽtes inuenerunt cor eius totum scriptũ litteris aureis: *Iesus Christus*. Refert Gregorius Tolosanus lib. 16. ca. 3. de Republic. de Priore Ordinis Prędicatorum in Argentina Ciuitate Theutoniæ, qui semper gradiens, & sedens signum Crucis in pectore delinabat; & quod post mortem eius multo tempore consumptis carnibus in osse pectoris, cui ex vtraque parte cohærent costæ, superius inuentum sit signum Crucis substantia ossea spissitudine euidentissima eleuata. Legitur etiam in lib. Apum de quodã Christiano dicente, se semper stigmata passionis Christi in corde portare. Post mortem inuenta est in vna parte cordis imago Christi crucifixi grauata.

Sanctus Hieronymus sentit, quòd illud Nabucodonosoris: *Fœnum vt bos comedit*, non taliter, vt mutatus fuerit in belluam intelligitur, sed fuisse mente alienatum, vt se belluam existimaret: *Quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem*. Idem tenet Diu. Thomas, opuscul. 20. cap. 13. Molin. 1. p. quæst. 111. & alij, cum Medina 2. de rect. in Deum fide, cap. 7. Nec mirum est tales effectus efficere imaginationem, nam secundùm S. Thomam. Imaginationi, si fuerit fortis, obedit corpus quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis, vt dicitur 3. de anima. Similiter quantum ad alterationem, quę est secundum calorem, & frigus, & alia consequentia, eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi passiones, secundũ quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum corpus alteratur, aliæ verò dispositiones corporales, quę

S. Hier. in Daniel. c. 4.

S. Thom. 3 p. q. 13. ar. 3. ad 3.

non habent naturalem ordinẽ ad imaginationẽ, non transmutantur ab imaginatione, quantumvis sit fortis, puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile. Hæc Angelicus Doctor, pro alijs effectibus satis mirabilibus. S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 24. Si ergo hæc operatur fortis imaginatio, examinanda est persona imaginatiua in reuelationibus, vt cognoscantur, an sint naturales, an supernaturales. Discerni poterunt, vel quia veniunt, cũ notitia, quę excedit ordinem naturalem rerũ, quia tunc diuinæ sunt, vel quia voluntatem inflammant ad diligendũ Deũ, & operandum virtutes. Quæ enim naturales sunt, non habent tales effectus admirabiles.

Item examinanda est persona secundum Gersonem de probat. spirituũ, an sit melancholica; hæc enim infirmitas notabiles effectus operatur. Cũ ex frigida, & sicca intẽperie cerebri oriatur, & corpus affligit, & animum torquet. Melãcholici sunt excordes, mæsti, ad lachrymas proni. Vigilãt assiduæ, somnumq; inquietum capiunt, & tenebras amant, ac silentia. Quin in plerisque sunt imaginationes adeo distortæ, ac monstruosæ, vt plura, quæ non imaginentur, prædicant. Gallenus lib. 3. de loci. affectis quatuor narrat memorabilia. Quidam melancholicus se figulinũ vas factum putabat, atque idcirco sui præbens collisionem obuiantibus, cedebat, alter gallos cantantes audiens; vt hiante alarum cantum, sic ille brachiorũ plausa latera quatiens, animantium sonum immirabantur. Timebat alius sui, aliorumq; pernitiem ex mundi ruina, quò Atlãs iuxta Poetarũ figmenta, ipsum sustinens, sed tanto onere languescens, ipsum à se excuteret, suamq; ceruicem deponeret. Alius asseuerabat se capite carere. Mulier quędã putabat se serpentẽ deuorasse. Hos curauerunt medici prudentes, iam plũbeo pileo capiti repentè imposito, iam misso serpente in vomitu. Alij iudicabant se mortuos esse. Alij imaginati sunt vitreos pedes habere. Nec illi mãducare volebant, nec isti deambulare. Alia innumera exempla inueniuntur, in historijs de melancholicis, magis autem, vel minus, secundum maiorem, vel minorem humorem melancholiæ. Lege Theatr. vit. hum. verb Melẽcholia. Quare accuratè examinãda est per-

persona hac infirmitate laborans, quia phantasiam deprauat, cognitionem, & memoriam turbat, varias, corruptasque formas imprimit, secundum rerum diuersarum species, atque phantasmata ab isto humore excitata. In tali casu consulendi sunt medici, præsertim Gallenus citatus, & Auicena 3 de febr. tract. cap. 18. & 19.

Circa mulieres non iustum est omittere quæ scribit Grauina, ex alijs Auctoribus satis grauia, & vtilia, dicens: sunt, & aliæ fœminæ timidæ mirabilium istarum formarum susceptiuæ, & ab incubo Demone vexatis conqueruntur. Id expresse ex doctrina Guillielmi Parisiensis scribit N. Ioannes Nider in formicario lib. 5. cap. 10. *Scio* (dicit idem Guillielmus) *me vidisse mulierem, quæ credebat se cognosci ab intus, & à Diabolo, & alia incredibilia se sentire dicebat.* Nonnumquam etiam impregnatę sibi videntur mulieres aliqui, & intumescunt vehementer ventres earum, & cum partus tẽpus aduenisse credunt, sola immissione multæ ventositatis detumescunt. Idem scribit in libro maleficiorum: *Scriptum reperitur* (ait) *experimentum ludificatorum, nempè quod mulieres ex eadem imaginatione si vis fuissent cognitæ, sibi visum autumabant 40. vel sexagenarium numerum excessisse, & hæ sunt similes ludificatorum incuborum. Aliæ ex eodem tanto fluxu spermatis pollutæ repertæ sunt, vt nec mille viri tantam copiam potuissent emittere, & id totum phantasiæ concubitu expletum fuisse, mulier deuota eidem Guillielmo testificata est.* Hæc M. Grauina. Multa ex dictis fiunt etiam industria Demonis miscentis se peregrinis phantasmatibus in imaginatione, & alterantis humores prædominantes. Inueni aliquãdo Virginem monialem Deo sacratam sibi persuasam prægnatam esse, quia venter intumescebat, aliqua accidentia prægnatæ mulieris patiebatur. Postea euanuerunt omnia.

Grau. lib. 1. de persi. tu fit. reuel. c. 2. lapid. 13di.

Mulieres, quæ tristitia afficiuntur, magis periculosæ sunt in illusionibus veneris, & carnis delectationibus; nam, vt ait D. Thomas: *Delectationes corporales appetuntur, vt medicinæ quædam contra corporales molestias, ex quibus tristitiæ quædam consecuntur, vnde delectationes corporales tristitiis huiusmodi superuenientes, magis sentiuntur, & per consequens magis acceptantur, quam delectationes spirituales, quæ non habent tristitias contrarias.* In his periculosæ sunt reuelationes; quia magis appetunt reuelationem ex sensibilibus delectationibus, quam ex spiritualibus, & Diabolus occasionem habet decipiendi reuelationibus seductorijs, præcipuè in illis, qui melancholia laborant propter dispositionem eorum; quia teste Bonauentura: *Melancholici multas habent phantasias, sed hoc non est ex illustratione, sed ex passione naturæ, & confusione spirituum ascendentium ad cerebrum, & caput turbantium. Tales enim spiritus diuersarum imaginationum inuolutiones faciunt, generant horribiles visiones, & conceptiones.* Idem sentiendum est de persona, quæ læsi sit capitis, vel mania infecta, quia turbato cerebro, turbatur rationis iudicium, vt mot modis ludificetur, quot modis falsa visa repræsentantur, vel imaginantur. Benè dixit Gerson citatus: *Habet qualibet passio profundata suam læsionem, suam ebrietatem, suum (vt Origines loquitur) Dæmonium.*

S. Thom. 1. 2. q. 31. art. 5. corp

S. Bon. de operib. Christ. cap. 39. lib. 2.

CAPVT XIIII.

Persona patiens reuelationes, examinanda est, an sit energumena, & possessa à Dæmone.

SVpponimus hominem esse energumenum, siue abreptitium, importare, quòd homo arripiatur, & agatur ab Angelo malo. Fit dupliciter, aut obsidendo hominem, idest, assistendo supra, aut iuxtà superficiem corporis humani, in quod aliquid operatur ipsum virtualiter tangẽdo, & sic est illo tamquam in loco, vocaturque Demõ assistens. Alio modo possidendo ipsum corpus humanum intus superficiem illius; ratione cuius dicitur in Sacra Scriptura, hominem intrare, & ab illo exire. Tunc vocatur Angelus possidens. Lege Abulens. in cap. 7 Exodi q. 16. Raphel de la Torr. 2. 2. q. 90. art. 2. disp. 18 & Martin del Rio lib. 2. disquisit. n. 1. q. 4 sect. 7. Ad hoc non requirur, quòd Demon possideat totum corpus, sed sufficit possidere vnã partem, ad quam applicando suam virtu-

tutem potest mouere totum corpus, sine eo quod sit in toto corpore: sicut ex D. Thoma, Angelus mouet omnes cęlos applicando suam virtutem primo cęlo, quod primò ab ipso mouetur: in quo distinguitur ab anima, quia cùm sit omnium partium forma, omnes debet informare.

S.Tho. 1. p q. 52. art. 2. corpo.

Apud Catholicos certum est, homines possideri, & inuadi à Dęmone. Christus Dominus plura Dęmonia à corporibus eiecit. Matth. 17. Lucæ 8. Marc. 9. Matth. 5. Christus imperabat illis, dicens: *Exi spiritus immunde ab homine isto.* Et, *exeuntes spiritus immundi intrauerunt in porcos.* Ipse Dominus præscribit modum eiiciendi Dęmones magis insignes; *Hoc genus* (inquiens) *Dæmoniorum non eiicitur, nisi in oratione, & ieiunio.* Apostolis dedit potestatem super immundos spiritus: *In nomine meo Dæmonia eiicient.* Mar. 16. & cap. vltimo. Ratio est manifesta, nam dæmoniaci multa loquuntur, in quibus ipsi non habent dominium, & libertatem loquendi, sed coacti à Dęmone, atque adeò necesse est, quòd Dęmon intra corpus sit, quia vox præcipuè formatur in pulmone, & sic, vt illud moueat, debet intrare intra ipsum hominem. Aliter si Diabolus suppleret efficientiam pulmonis, esset vox illius, non hominis. Sic fuit quando locutus est in paradyso per serpentem. Genes. 3. Alia videri possunt circa hoc in theatro vitæ humanæ. Præsens caput solum procedit de personis insignis sanctitatis, non energumenis peccatoribus à Dęmone possessis propter grauia peccata, vel quæ non sunt verè spirituales, quia reuelationes factæ illis peccatoribus, ordinariè falsæ sunt, nec vlli credendum in dubium est.

Theat. vit. hum. verb. Vox. oper. Angel. vel Dæmon. product.

Quamuis persona spiritualis energumena sit, non illicò eius reuelationes falsæ sunt, si in eis concurrant conditiones veræ reuelationis, de quibus egimus supra, & infra agetur, quia diuinæ possunt esse. Ratio est, nam reuelationes in tali persona fieri possunt per lumen intellectuale, per speciem impræssam, vel per alia principia (vt supra diximus) absque dependentia à sensibus, & phantasia, ergo diuinæ esse possunt, quia in similibus reuelationibus nequit Dęmon operari, nec in illis se miscere, vt certum est apud omnes. Tum, quia sunt ordinis supernaturalis: tum, quia solum permittitur ei, vt in animam operetur secundum modum naturalem illius, qui est per recursum ad sensus externos, & phantasiam. In his plura operatur per visiones corporeas, & imaginarias seductorias, vt alliceat voluntatem hominum, & non amplius. Sic venit intelligendus B. Gregorius, qui super illud Iob: *Ingredietur bestia latibulum suum, in antro suo morabitur;* in quit agens de Dęmone: *Aliquando etiam bonorũ, ingreditur.* Id est mẽtes per suggestiones sensibiles corporeas, vel imaginarias naturales; non per quid purè supernaturale, & intellectuale. Lege D. Thomam.

Tract. 1. c. 8. 9. 10. 11.

S.Greg. Magn. in c. 37. Iob c. 17.

S.Thom. in disput. q. 16. de Dæmon. ar. 12.

Possidentur multoties viri Sancti, & spirituales ad maiorem purgationem, & meritum, velut accidit martyribus cum tyranis. Aliquando etiam peccata aliena hoc modo puniuntur, vt docet exemplum Eleutherij Dei serui apud Greg. Magn. lib. 3. Dialog. ca. 33. qui de salute cuiusdam pueri à diabolo liberati immoderatius per lętitiam tactus est; hinc postea Dęmon ingressus est in puerum. Aliquando etiam possidetur homo propter peccata venialia. Docet Cassianus, & probat exemplo cuiusdam virginis sumpto ex D. Hieronymo ex vita Hilarionis. Alterius similis meminit Prosper Aquitanicus. Vide eundem Cassia. cap. 28. Abbas Moyses possessus fuit à diabolo propter impatientiam, & durius prolatum verbum. Idem Cassia. lib. 7. cap. 27. Sic purgatus est, nam dolens in oratione positus, exijt spiritus nequam.

Cassi. collat. 7. c. 25.

Audiamus aliud exemplum S. Gregorij: Quadam die vna Dei famula hortum ingressa, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamque signo crucis benedicere oblita, auidè momordit, sed correpta à diabolo, protinus cecidit. Cumque vexaretur, nunciatũ est Patri Equitio, vt veniret, & orãdo succurreret. Ingressus hortũ, diabolus, qui hãc arripuerat, cępit clamare: Ego quid feci? Sedebam super lactucam, venit illa, & momordit me. Vir Dei præcepit, vt discederet. Discessit, nec vltra eam, attingere præualuit. Denique scimus, quòd immeritos, & innocentes, vti paruulos, & lactentes inuadit infernalis

S.Greg. lib. 1. Dialog. c. 4.

nalis hostis. Meminit Marcus, cap. 9. de puero obsesso ab infantia, quem liberauit Christus. De alio puero, memorabilis est historia in vita S. Bernardi apud Surium lib. 2. cap. 3. tom. 4. de altera puella, quã liberauit S. Remigius apud eundem Suriũ tom. 1. fol. 283. Testes etiam sunt de hoc S. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 13. & S. Hieron. epi st. ad Paul. de dormit. Blesilę. Lege Turunens. in vita Nicet. Baron. Anno 530. tom. 7. Annal.

Ex quibus constat, quòd si in istis energumenis concurrant, sanctitas vitæ, & in eorum reuelationibus regulæ verarum, non ideò sunt falsæ, & diabolicæ ex hoc præcisè, nec redduntur indignæ, vt non sint diuinæ; cũ etiam dicat S. Diadochus: *Permittuntur iusto Dei iudicio versari in corporibus, etiam in his, qui robustè aduersus peccatum dimicant: quia semper sit experienda liber tas humanæ conditionis.* Cæterum, quo ad Doctores spirituales animarum, & Theologos tales reuelationes speculatiuè, & practicè debent iudicari diabolicas, & illusiones, nisi constet contrarium ex manifesto miraculo, ex argumento, ex cap. *Cùm iniuncto de hæreticis*; vel ex certa alia reuelatione facta viro sancto, non energumeno. Ratio est, nam eo ipso quod quis energumenus sit, habet præsumptionem vehementem, ac fortissimam, quod quidquid facit, aut loquitur, est Dęmone instigante; imo quod per ipsum loquatur; nam energumenus est instrumentum diaboli, sicut Propheta instrumentum Dei. Atque adeò quo ad nos similes reuelationes iudicandæ sunt diabolicæ; inimicus namque se ingerit potentiis sensitiuis oris, & linguæ, vt alios decipiat. Videri potest Raphael de la Torre, q. 93. art. 3. disput. 3. in 3. class. signorum.

Nec obstat, quòd reuelatio diuina sit, & quòd energumenus de illa certus dirigere posit, secundùm illam suos actus morales, dum reuelatio non sit dispensatoria alicuius præcepti; Est enim diuersa ratio in recipiente, ac in nobis. In illo nãq; fit ex D. Tho. *Per certitudinem prouenientem ex reuelatione diuina: quæ fit quodam interiori, & intelligibili lumine mentem eleuante ad percipiendum ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non potest.* Hoc lumine supernaturali redditur certus de reuelatione; sicut intellectus redditur certus de primis principi s cognitis per lumẽ naturale. Experimentalis cognitio est maxima, ac certa; tunc, quia est perceptio obiecti cum lumine supernaturali. Lege ipsum sanctum 2. 2. q. 171. art. 5. corpor. vbi agit de lumine Prophetarum. Hæc omnia deficiunt in nobis, & nitimur præsumptioni. Vide Martinũ del Rio li. 4. disq. q. 3. sect. 1. Vnde nõ sufficit, quod reuelatio sit vera in se, nisi proponatur nobis vt talis, ab eo qui authoritatem habet approbandi. Patet, quia licèt aliqua propositio in se sit vera, & de fide, quo ad nos, non est de fide, quo ad vsque proponatur ab Ecclesia, quæ est regula visibilis credendorum.

S. Tho 3. cont. Gent c. 154.

CAPVT XV.

Persona patiens reuelationes, examinanda est de inclinatione, & moribus.

DE cognitione naturalis inclinationis ait S. Bernardus: *Cognoscere debet homo ad quæ bona sit naturaliter promptior, vel ad quæ mala procliuior.* Ratio desumitur ex D. Thoma, nam inclinatio naturalis ex hoc oritur, quòd res naturalis habet conuenientiam, & affinitatem cum sua forma, quæ est inclinationis principium, ita vt in appetitu animali, vel intellectuali, inclinatio est secundum formam apprehensam, vel animalem, vel intelligibilem, secundum quam aliquid apprehenditur, vt conueniens, vel afficiens. *Hoc affici*, inquit: *Est amare ipsum.* Colligitque: *Omnis igitur inclinatio voluntatis, & etiam appetitus sensibilis ex amore originem habet. Ex eo enim quòd aliquid amamus: desideramus illud, si absit: gaudemus cùm adest: contristamur cùm ab eo impedimur: odimus quæ nos ab amato impediunt, & irascimur contra ea.*

S. Ber. de interior. dom. c. 65. S. Thom. 4 cont. gent. c. 19.

Ex hoc infalibili principio constat, quantum interst noscere inclinationem personæ reuelationes patientis; nam multa habere potest, quæ oriantur à naturali inclinatione, & amore naturali, quæ iudicet esse diuinas reuelationes. De vi indolis naturalis, ac efficacia, plura inuenies, in

Thea-

Theat. vit. humanæ mirabilia in effectibus. Maximè, quia citra Annum 40. multum inclinabilis est, inconstans, & affectuosa natura, quærens sępius in suis exercitijs etiam bonis cõmodum spiritualis saporis, & oblectationis, ipsa ignorante natura. Sicque talium conuersatio non est pura, sed affectionibus naturalibus, & diuersis imperfectionibus ad mixta, & infecta. Et vbi vitam cœlicam, & spiritualem fouere se putant, ibi propriam, & immortificatam voluntatem, & nudam naturam pascunt, & confortant. Ideò miserè falluntur, quia amor naturalis inclinationis aufert verum iudicium, & fallit. Et vnusquisque in sua indole abundat.

Theat vit. hum. verb. Indolis.

Nunc quidem inaniter gaudet, quãdoque tabescit ignauia, non nunquam vana hillarescit spe. Quam frequenter accendit ira, superbia inflat, detorquet ambitio, ignorantia præcipitat, cupiditas trahit, necat voluptas, emulatio dehonestat, desperatio deprimit, supplantat tentatio, & decipit inimicus, & vt ait D. Ambrosius: *In Ecclesiastico officio nihil rarius inuenias, quàm eum qui sequatur institutum patris, vel quia graues deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abstinentia: vel quia alacri adolescientiæ videtur vita obscurior, & ideò ad ea conuertuntur studia, quæ plausibiliora arbitrantur.* Sic sequentes naturalẽ inclinationem non affectant virtutes, sed vanam gloriam, & exteriores honores, iudicantes esse diuina, quæ vana, & humana sunt, ac mendaces facti sunt in stateris.

S. Ambro. lib. 1. de offic. ca. 64.

Diabolus etiam se ingerit inclinationi naturali hominis, vt decipiat, nã teste D. Bernardino: *Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui componat nocumenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ, quem fallat gaudio, quem spe seducat, omnium discutit, consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, vbi videt studiosius aliquem occupari.* Hęc ille. Ex ambitione ipse per ministros suos hæreticos decæpit (ait Diu. Hieronymus) *mulierculas oneratas peccatis, semper discentes: & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, de quibus verè dicitur: Qui deuorant populum meum velut escam panis, & quos Christus notat, deuorantes domus viduarũ.* Secundum aliquos mulieres istæ deceptæ fuerunt ab hæreticis, persuadentes ex illis nasciturum Messiam, sicque affectantes matres esse Christi fingebant grauidas esse.

S. Bernar. Senens. in Apoc. c. 6. vers. 19. t. 4.

S. Hier. in Hier. c. 3. 2. Thimot. 3. Ps. 13. Marc. 12.

Notabilis est casus, quem refert D. Cyprianus tempore quo Ecclesia laborabat graui persecutione à Seueriano crudeli persecutore, dicens: Emersit istic subito quædam mulier, quæ in extasi constituta Prophetem se præferret, & quasi Sancto Spiritu plena sic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, vt per longum tempus sollicitaret, & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quędã, & portentosa perficiens, & facere se terram moueri pollicerétur. Nonnunquam spiritus nequam præsciens terræ motum futurum, id se facturum esse simularet. Quibus mendacijs, & iactationibus subegerat mentes singulorũ, vt sibi obedirent, & quodcumque præciperet, & diceret sequerentur; faceret quoque mulierem illã cruda hyeme nudis pedibus per asperas niues ire, nec vexari in aliquo, aut lædi illa discusione: diceret etiam se in Iudeã, & Hierosolymam festinare, fingens tanquam inde venisset. Hic, & vnum de Presbyteris Rusticum, item & aliũ Diaconum fefellit, vt eidem mulieri commiscerentur. Hęc Cyprianus. Docetque hæc fieri arte diabolica, vt obsessa, vt per exorcistam posteà detectũ est. Ausa etiam fuit simulare sanctificatè se, & Eucharistiam facere, ac multos baptizare. Hanc miseram mulierẽ fefellit diabolus, ingerendo se naturali inclinationi hominum, ad excellentiã, & honores, sicut fecit cum Eua, ei dicens: *Eritis sicut dii*, vt notauit S. Thomas 3. opuscul. cap. 189. & Hug. de S. Victore. Quomodo intersit attendere inclinationem naturalem, notat Ricardus in Cant. cap. 17. & 18. Gerson. 3. p. myst. Theolog. practi. indust. 1. & N. Harp. lib. 2. mystic. Theolog. cap. 14. p. 2.

S. Cyprian. Epist. 75.

Examinatio de moribus fieri debet; si conueniant virtutibus Theologicis, & moralibus. Si enim persona patiens reuelationes polleat virtutibus, tales reuelationes inducunt probabilitatem ex hoc capite; præsumitur prudenter procedere à Diuino Spiritu, nam teste Apostolo Galat. 2. *Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, &c.* De charitate, sic ait Ricardus: *Attende quia ex* mag-

Ric. Victo. lib. 4. de cõtemp. c. 16

magnitudine diuinæ dilectionis pēdet modus diuinæ reuelationis. Comedite amici, & inebriamini charissimi. Bibunt quodam modo, qui ex diuinis reuelationibus, summa cum facilitate, & iucunditate hauriunt, quòd de intima veritatis suauitate ardenter concupiscunt. Charissimi bibunt, quia secundū mensuram dilectionis dispensatur, & modus manifestationis. De hoc (ait S. Bonauentura) potest assignari ratio: cum secundum Augustinum: charitas siue amor sit pondus inclinans amantem ad amatum: & appropinquare facit amato, quantum potest, vt etiam transformet amantem in amatum, secundum Dionysium: quantò ergo propinquius est amans amato, tantò verius, subtilius, & perfectius sibi reuelatur amatum. Vnde Hugo dicit: Constat, vt qui ardentius diligunt, profundius conspiciant, & subtilius discernunt; & quia magis profundè conspiciunt, proculdubio euidentius cognoscunt. Hæc Seraphicus Pater. Hæc est congruentia ex parte charitatis respectu reuelationis; ex parte verò Dei est etiam magna congruitas, quòd amicis suis sua secreta reuelet; ideò dixit Christus discipulis suis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia nota feci vobis, quæ audiui à Patre meo.* Humana ratio dictat, vt solùm amicis secreta cordis manifestentur, non inimicis. Cumque charitas sit radix omnium virtutum, & amicitia hominis ad Deum sit ex complemento omnium virtutum, (bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu) hinc oritur, quòd si persona patiens reuelationes non polleat virtutibus omnibus, & sanctis moribus, sint eius reuelationes suspectæ de veritate. Iam propter defectum charitatis, iam quia diuinæ reuelationes purgant animum, & tenebras ignorantiæ depellunt.

S. Bon. 3. i. in. æter. dist. 1.
S. Aug. li. 13. confess. c. 9. tom. 1.
Hug. de S. Vict. super. 7 Angel. Hierar.

Hac de causa Deus lux nuncupatur, quia: *Omnem mentem* (inquit S. Dionysius) *supra cœlestem implet lumine intellectili; omnem autem ignorantiam, & errorem ex omnibus animis, in quibus est, eiicit, & ipsis omnibus lumen sanctum impertit, eorumque oculos mentales à caligine ex ignorantia circunfusa repurgat* (*dictum est enim ait S. Maximus: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*) *& liberat & excitat: atque aperit multa grauitate tenebrarum compressos, & clausos; quia dilexerunt multum.* Affirmat deindè, quod ipse Deus dat primum mediocrem splendorem, tamquam degustato lumine, & oculis iam magis post degustationem lumen appetentibus magis se impertit, & copiosius fulget, ac semper eas vlterius procedit proportione studij earum ad aspiciendum sursum. Addit B. Maximus: Multum enim diligenti, multum etiā dabitur, alteri autem minus, iuxta mensuram dilectionis: quoniam superius dixit, Deum esse, ordinem, ac mensuram nostram. Lege ibi Pachimerum, & Dionys. Chartus. art. 5. charitas ergo ad diuinas reuelationes disponit cum virtutibus, easque meretur de congruo: à quo longè distant personæ, quæ non habent. Magis patebit veritas hæc infra agendo de vita actiua virtutum. Debet etiam charitas respicere proximum. Nam diabolus sub specie correptionis solet reuelare peccata occulta hominibus ad confundendum, & infamandum proximum, & non ad emendationem.

D. Dionys. Areop. c. 4. de diui. nomin.
Psalm. 33.
Luc. 15.

Talis est reuelationum, & visionum character, maximè, si virtus probata sit tribulationibus, & persona persecutionibus, & ignominijs. Ad nostram doctrinam de se profitetur Apostolus: *Sed ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Docet notam, & characterem diuinæ reuelationis esse persecutiones, & tentationes graues. Ambrosius super eumdem locum: *Ad magnam vtilitatem fidelium materia est reseruata certaminum, vt non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas.* Sic sanctitas probatur, & augetur. Sic conseruatur humilitas perfecta, & probatur spiritus verus, si humilietur in tribulationibus, sicut ipse Paulus, non coactè, sed libenter: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Optimè Bernardus: *Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed, & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quòd humiliatur: nec sufficere omninò vt possideat animam suam tamquam patienter humiliatus, nisi, & gratiam accipiat tanquam spon-*

2. Cor. 12.
S. Ambr. lib. 1. de vocati. Genti. cap. 3.
S. Ber. ser. 35. in Cant.

spontè humiliatus. Sic holocaustum nostrum pingue fit, quia voluntarium, non coactum.

Timendum quippè est de aliquibus patientibus reuelationes absque exercitio virtutum, ne sint de illis, de quibus legimus in die iudicij: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiicimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Audientque: *Quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Suis reuelationibus ego credā, si alijs Prophetis sint cōformes, quorū alij odio habiti, & vexati, alij iniurijs affecti, alij etiā immani Regū populorū suorū rabie trucidati; vt Isaias, Hieremias, Ezechiel, Helias, & multi alij, qui preter alia in se diuinitus dona collata, diuinas etiam reuelationes hauserunt: si cum D. Paulo post labores, persecutiones, & carceres veniant ad reuelationes, & visiones Dei. Non autem facilè assensum tribuam reuelationibus illorum, qui cōmodè viuunt, si cibus insulsus sit, irascuntur, si negocia, & opera sua veniant, contra suas voluntates obmurmurant, qui honores appetunt, non humilitatem præesse aliis, non obedire, contenti aliqua leui mortificatione, & opere virtutis. Non sic Iob meruit diuinas visiones, & reuelationes, qui inter tot flagella positus, tribulationibus cinctus, innumeris afflictionibus angustiatus, dicebat: *Cùm expleuerit* (Deus) *in me voluntatem suā, & alia multa similia, præsto sum.*

Matth. 7.

Iob 23.

CAPVT XVI.

Examinanda est persona, attendendo sexui, & an affectet reuelationes.

NOtat D. Ambrosius sexū fœmineū vsitatū instrumētū esse diaboli ad decipiendū, aiens: *Vsitatus ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit: fideles viros non nisi per mulierem oppugnare cōsueuit. Adā per Euā superat, Petrū vincit per ostiariam.* In Eua magis patet ex facilitate qua diabolicæ reuelationi credidit contra diuinū mandatū. *Dixerat Deus Adā: in quocūque die comederis, morte morieris:* dixit serpēs ad mulierē: *Nequaquā morte moriemini.* Ratio qua mulieres faciles sunt ad illusiones diabolicas, est, quia ex sua natura sunt molles, habentque flexibilitatē complexionis, atque ita earū imaginationes possunt facilè phantasijs sigillari. Itē cū earū cōplexio frigida sit, ac inde melācholica, fortè multoties facit imaginatione, & arbitrantur se realiter videre Christum, Angelum, &c. Ac proinde dæmon facillimè seducere potest per falsas visiones, & reuelationes imaginarias. Vnde S. Thomas ait, quòd cùm dæmones nequeant operari, nisi medijs virtutibus naturalibus, cōsiderant corporum qualitates ad suos fines intentos, ac subdit: Manifestum est, quòd cerebrum humidissimum est omnium partium corporis, ex Aristotele, & ideo maximè subditur operationi lunæ, quæ ex sui proprietate habet mouere humorem. In cerebro autem perficiūtur vires animales: & ideo Dæmones, secundum certa argumenta lunæ, perturbant hominis phantasiam, quando considerat cerebrum ad hoc esse dispositum.

S. Ambr. ser. 14. fer 3. Hebdo. Sanct.

Genes. 2.

S. Tho. 1. p. q. 115. art. 5.

Lib. de somn. & vigil. c. 5.

Deinde procliues sunt mulieres ad maleficia. Ratio est; quia sunt inualidæ, & quibus desunt vires, res suas astu, & mala arte moliuntur. Philonelis, lib. 2. cap. 36. lege Arist. lib. 9. de hist. animal. 1. Reg. dicitur de Pythonissa, quæ suscitare visa est animam Samuelis. In nouo testamento Priscæ, Maximillæ, quæ aduersus Prophetissas vaticinatione mendacij, vt loquitur Hieronym. in cap. 13 Ezechiel. Fidem veritatis subuertebant. Deceptos fuisse magnos homines per mulieres ex Sacra Scriptura probat Bonauentura. Occasione mulierum hæreses natas, & propagatas fuisse, seriò obseruat Hieronymus scribens ad Cresiphontem, dicens: Simon Magus heresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immundiarum receptor choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos animos sibi præpararet. Apelles Philemonem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus predicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maxillam nobiles, & opulentas fœminas primum auro, deinde heresi polluit. Arius, vt orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Affricam, vt infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est.

S. Bon. Bibli. pauper. c. 128.

Alia

Alia exempla videri possunt in Theatr.vit.hum. verbo Mulier. Valle de Moura sect. 2. cap. 3. num. 9. refert casus stupendos de magnis hominibus seductis per reuelationes fœminarum. Nullus maior Tertulliano, qui deceptus fuit à Priscilla socia Montani, quæ dixit ei animam esse corpus, cui miserè credidit Tertullianus eius Magister spiritualis, affirmans quod Priscilla de hoc habuisse reuelationem.

Hæc dicta sunt, vt videant Magistri, & rectores animarum, quanto examine, & cautela agendum est cum filiabus spiritualibus petentibus reuelationes. Lege Pamelium in annotatio. Ad lib. de præscrip. Tertulli. num. 36. Quantò magis religiosè videantur, vel habeantur, eò cautius examinandi spiritus sunt. Diabolus excitauit persecutionem contra Paulum, & Barnabam per similes, dicitur enim Actor. cap. 13: *Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis*. Potens fuit persecutio diabolica contra Sanctos Apostolos per mulieres religiosas, & honestas, quæ suggestioni crediderunt, & facilè à Iudæis deceptæ fuerunt. Assignat rationē Chrisostomus super illa verba Matthæi: *Væ vobis scribæ, & pharisæi, qui deuoratis domus viduarum: sexus mulieris* (inquit) *incautus, & mollis est. Incautus, quia non omnia quæ videt, aut audit, cum sapientia, & ratione considerat: mollis, quia facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum*. Subdit, quod impostores sanctitatis circa mulieres facilè se constringunt, quia neque intelligere impostoras, eorum facilè possunt mulieres; *Cùm sint incautæ: & ad dilectionem eorum religionis gratia facile inclinantur, cùm sint molles corde.*

Matth. 23

S. Chris. Hom. 44. in Matth.

Non me latet in Ecclesia Dei, fuisse plures Prophetissas, vt Mariam Moysis Sororem, Annam Matrem Samuelis, Deborā, Oldā, & alias, de quibus dicitur Ioelis 2. *Effundam spiritum meum, super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ*. Sybillas etiam aliquas illustratas fuisse reuelationibus diuinis, vt sentiunt plures Patres, sed hoc fuit ex gratia. Loquimur autem de naturali sexu mulierum, vt stateram prudentiæ, & discretionis magis accuratè, examinentur earum reuelationes, ac virorūque ex eodem Chrisostomo: *Virilis sexus cautior est, & durior. Cautior quidem, quia omnia benè videt, discutit ratione: durior autem, quia nec de malo facilè inclinatur ad bonum, nec de bono facilè reuocatur ad malum: nam sequitur rationem. Ideo autem durior, quia rationabilior*. S. Greg. in 4. Iob lib. 11. in illud Eccles. 42. *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier*, ait: vir etenim fortis quilibet, & discretus vocatur: mulier verò mens infirma, vel indiscreta. Non sint tot prophetissæ, & sybillæ, quot mulieres spirituales.

Discant rectores mulierum eas regere secundum dicta, & illud Pauli: *Docere autem mulieri non permitto*: Sciant subiectas sibi esse, non præpositas: Discipulas, non Magistras. Audiamus D. Gregorium ad nostrā doctrinā quomodo nos docet ex eodē loco Pauli agens de B. Iobo, Sentit Pater diabolum occupasse animā mulieris quando ei dixit: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere*. Repræhensionē accepit: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es*. Nihil per mulierē inimicus potuit: *Quia sanctus vir subiectam sibi mulierem, non præpositam attendit: & recta loquens, docuit, quam serpens vt peruersa loqueretur instigauit. Dignum quippe erat, vt fluxam mentem virilis censura restringeret, cum profectò, & de ipso primo lapsu generis humani docet (vel vocet) quod docere mulier restaret sciret: vnde per Paulum dicitur: docere autem mulieri non permitto. Quia nimirum aliquando cum docuit, a sapientiæ æternitate separauit*. Hac de causa, interdictum est mulieribus officium prædicationis, quia secundum Ambrosium: constantia ad prædicandum earum sexus infirmus, ad exequendum infirmior. Item nec valent Sacerdotis officium exercere. De quo fusè S. Clemens 6. Constit. Apostolic. cap. 6. Ad omnia hæc posuit Deus in Ecclesia Apostolos, Prophetas, & Doctores. 1. ad Cor. 12.

1. Thim. 2.

S. Greg. Mag. li. 3. c. 6.

S. Amb in Euang. ca. 24. lib. 6.

Examinanda est persona affectans reuelationes, nam quæ affectat periculo se exponit illusionum, & timendum, ne pereat, quia amā-

Affectatio, est studiosa inuestigatio nouitatum, & indagatio curiosa. In visionibus, & reuelationibus nil periculosius. Ex dictis alibi constat, & constabit infrà, præcipuè agendo de via purgatiua. Ricardus: sæpè quidam adhuc inter ipsa diuinarum reuelationum spectacula constituti, apud semetipsos tacitamente superbiunt iam magna de se æstimantes: magna, & ab alijs æstimari, dignum ducunt: iam quomodo, & alijs innotescere valeant sagaci solicitudine perquirunt: iam inanis fauoris auram captant: in illam quam apud Deum habere consueuerant gloriam veram, in vanam commutant. De qualibus Psalmista: Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Hæc ille, & alia. Est quidem signum superbiæ, & temeritatis affectare periculosa. Lege S. Augustinum 10. confess. c. 35. & lib. de vera, & falsa religi. c. 50. Permittit Deus, vt incidat in visiones, & reuelationes illusorias, ac decipiatur. Deinde ex affectu erga illas solet decipi à propria phantasia. Vide dicta hoc tractatu ca. 3. & 4. & quomodo celandæ sunt, & non propalandæ (quod spectat etiam ad aliam examinationem personæ) eodem cap. 4.

Ricar. Vict. de crudit. hom. inter. ca. 40. p. 1.

Sanctus Ambrosius, vocat D. Paulum humilitatis Magistrum in suis reuelationibus, quas in silentio retinuit per quatuordecim annos, postea ad vtilitatem Ecclesiæ, vt Doctor gentium propalans, personam tacet: *Scio (inquit) hominem ante annos quatuordecim raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, & audiuit arcana Dei.* Non dixit: *Audiui*, se ipsum tegens, sed quod alter audierit, vt verè humilis, non negauit. Referebat beneficia reuelationum Deo, non sibi: *Verecundè itaque testem se maluit significare quam vatem, & refugit videri cælestium arbiter secretorum.* Plus docet nos Apostolus, dicens, arcana Dei quæ audiuit: *Non licèt homini loqui.* Nec videtur defuisse gratiam loquendi homini, qui fuisset in Christo, cui non defuit: *Sed eis, qui audirent, locum, tempus, meritum defuisse. Ille enim in cœlo audiuit; & ideo non competere iudicatum est, vt id loqueretur in terris, quod audisset in cœlo, cùm in ipsa terra sit ista discretio, vt quod in altera regione canitur, in altera non canatur, secundùm quod scriptum est: Quomodo cantabimus canticum nouum in terra aliena?* Sic Ambrosius. Discant homines & mulieres, qui suas reuelationes, & visiones narrant in omni loco, tempore, & sine distinctione personarum.

D. Ambr. in Psal. 14. ver. inimici vero Domini.

2. Cor. 12.

Psalm. 13.

Inter perfectos enim secreta sapientiæ sunt loquenda. Timeant, ne se ipsos perdant, & alios. Benè ad intentum D. Chrisostomus; dicit namque, quòd propter hoc Eua se perdidit, & Adam, quia mandatum Dei Diabolo reuelauit, mittens diuinas margaritas ante porcos: *Tantum malum est* (ait Sanctus) *absque delectu cuiuis diuina mysteria detegere. Audiant qui sine discretione simpliciter cum omnibus colloquuntur. Ipse Christus docet nos, vt personarum diuersitatem, & vitæ rationes inquiramus, quando aliquid diuinorum eloquiorum exponere opus fuerit, ne illos, & nos metipsos lædamus. Si voluisset mulier non proponere margaritas porco, nec ea in præcipitium ruisset: neque virum secum traxisset.* Fugere ergo debent Euam, & sequi Paulum, vt inhabitet in eis virtus Christi, ac cum ipso gloriari in infirmitatibus suis, quæ illi subueniunt, ne gratia in periculum verteretur. Vtilior est infirmitas, quàm gratia reuelationum, quia infirmitas officina virtutis est, sicut eidem Apostolo testificatus est Deus: quia virtus in infirmitate perficitur. Sic cursum cōsummauit, & coronã inuenit. Quod si aliquando manifestandæ sint reuelationes, & visiones alicui personæ, propter vtilitatem, hoc fiat, & nō aliter, ex licentia, & obedientia Magistri spiritualis, docti, & experti. Sic opus erit obedientiæ, & charitatis ad ædificationem, non scientiæ ad inflationem; nam si scientia inflat, charitas edificat cum obedientia.

1. Cor. 2.

S. Chris. apud caten Lippom. in c. 3. Genes. ver. 1.

2. Tim. 4.

(5)



CA.

CAPVT XVII.

Examinanda est persona, si sit veritatis amatrix, & in referendis reuelationibus verax.

PErsona diligens mendacium subiecta, est reuelationibus fraudulentis, quia mendacium secundùm linguam Hebraicam, fraudem significat. Vnde S. Ambrosius ait: *Cauete fratres mendacium, quia omnes qui amant mendacium, filij sunt Diaboli; qui non solum mendax est, sed etiam pater, & inuentor ipsius mendacij.* Legimus spiritum malignum dixisse domino: Ego decipiam Achab cui Dominus: In quo? Ille autem: Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. De facto deceptus fuit ab illis, nam de belli futuri prosperitate vaticinauerunt, in quo Rex perijt. Hinc, qui mendacijs delectatur, subiectus est deceptionibus diabolicis. Scriptum est: *Perdes omnes qui locuntur mendacium.* Isti sępè ęstimatione falluntur, ęxistimantes videre, quæ non vident, & audire quæ non audiunt. Eorum genio se immiscet Dęmon, & vera falsis permiscet.

D. Ambr. Ser. in Dominic. in passio. to. 5

3. Reg. 22.

Psal. 115.

Propter eandem rationem cauendum est, ne isti habentes reuelationes sint faciles credendo somnijs; licèt enim aliqua vera sint, vt in Sacra Scriptura patet, tamen non facilè assentiendum est eis; tum quia ex diuersis imaginibus fiunt, & nescimus vnde veniant perfectè, tum quia, vt testatur Sanctus Bernardus: *Aliquando dæmones quosdam curiosos, & somnia obseruantes ita deceptoria arte decipiunt, vt quædam somnia non aliter eueniant, quam ipsi dicunt. & ideò aliquando vera pronunciant, vt in multis fallant.* Ideò timendum est, ne sint illusiones talia somnia, & obseruare in illis doctrinam Christi: si dixerit vobis, & ita euenerint, non credatis. Plura exempla legimus de hoc in Theatro vitæ humanæ verb. somnium.

S. Bern. de mod. bene viuend. c. 68.

Persona patiens reuelationes, si non sit veridica in referendo eas, & aliquando comprąhendatur mentiens, eius reuelationes suspectæ sunt de veritate, & timendum non sint diabolicę. Ratio est, nam diuina reuelatio est quædam participatio scientiæ diuinæ, cui nequit subesse falsum. Vndè reuelatio Dei procedit a prima veritate, & veritas non seducit quemquam, sed apertè denunciat reuelata, & ex natura sua opponitur mendacio: est enim adæquatio rei ad intellectum, ex 2. Metaph. verum est id quod est, & non aliud. Consentit formula Christi apud Matth. capit. 5. sit sermo vester. Est est, non non, atque etiam Sanctæ Pauli 2. Cor. 1. Aut quę cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me: Est non? Opposita veritati fuit reuelatio diaboli, qua fefellit Euam, quia cùm dixisset Deus Adæ: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*; dicit serpens: *Cur præcepit Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi:* Ambrosius: *Simulat se verba Dei dicere, & proprios intexit dolos. Mendacium inseruit, vt non comedatis de omni ligno paradisi, cùm de vno tantum ligno scientiæ boni, & mali præcepisset Deus non esse gustandum.*

Genes. 2.

Apud Lipp cat. ibi.

Diligentia maxima examinanda est persona, quæ non loquitur aliquando vera de reuelationibus suis. Sint Magistri spirituales, prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ, sicut præcepit Christus Apostolis Ecclesiæ magistris. Vbi Diuus Gregorius: *Quia in electorum cordibus debet, & simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere, & serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare: quatenus nec seducti per prudentiam calleant, ne ab intellectus studio ex simplicitate torpescant.* Quisque in mendacio cōprąhensus est, contra se habet præsumptionē. Dicebat Hyeronimus ad Iul. *Vt mendacibus, & c. vera dicentibus non credatur.* Aristoteles interrogatus: *Quid proficerent mendaces?* Respondit: *Vt vera loquentibus fides non adhibeatur.* Qui in veritate ambulant, operantur in azimis sinceritatis & veritatis, non in fermento malitiæ mendacij.

Matth. 10

S. Greg. Magn. p. 3 cur pastor. Admonit. 12.

Nec iuuat dicere, esse ad vtilitatem fidelium mulieres, & ad manifestandam diuinam bonitatem, proferre aliquas reuelationes falsas; dicitur enim in Iob: *Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Vbi ipse Gregorius: *Deus mendatio non eget: quia veritas* ful

Iob ca. 13.

S. Greg. ibi c. 13. li. 10

fulciri non quærit auxilio falsitatis. Improportionatum, & pessimum medium ad manifestandum radium luminis, vmbram, & noctem falsitatis requirere contra ipsum lumen. Optimè D. Thomas, dicit ex illo Pauli ad Cor. 1. cap. 15. *Inuenimur autem, & falsi testes Dei: quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quod suscitauerit Christum, quem non resuscitauit, si mortui non resurgunt.* Dicere ergo, quòd Deus mortuum suscitauit, si verum non sit, contra Deum est, quamuis videatur diuinæ virtutis ostensiuum, quia est contra Dei virtutem. Si igitur ad Deum defendendum mendacium assumunt, non solum præmium non acquirunt quasi ei placentes, sed etiam pœnam merentur, quasi contra Deum agentes. Hæc ille. Lyra, & alii sentiunt amicos ad quos locutus est Iob, verba prællegata voluisse defendere diuinam iustitiam.

S. Tho. in Iob. lect. 1. cap. 13.

Nec licitum est proferre mendaces reuelationes ad vtilitatem aliorum. Ratio est manifesta, quia mendacium ex iure diuino prohibitum est. Ecclesiast. capit. 7. Prouer. 30. Paul. ad Coll. 3. & alibi. Deinde ex intrinseca ratione est malum morale, ac proinde per nullam extrinsecam circunstantiam, nec per vllum finem potest esse bonum. Vnde ait Apostolus, non esse facienda mala, vt veniant bona. Diuus Augustinus: *Nec ideo vllum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo.* Plura ad rem adducit. Ex eodem fundamento lib. contr. mendacium infert, non licere mentiri, vt hereticos conuertamur. Quid est enim (inquit) aliud, mentiamur, vt hæreticos mendaces ad veritatem adducamus, nisi faciamus mala, vnde veniant bona? Concludit cap. 7. *Nam si propterea iusta sunt mendacia, quia hoc animo fiunt, vt occulti hæretici detegantur, poterunt isto modo, si eodem animo fiant, casta esse adulteria.* Quando vero in sacra pagina repetiuntur mendacia aliquorum, vt quando Abraham dixit Saram esse sororem suam, Genes. 20. quando Michol posuit statuam in lecto David, & alia huiusmodi, fuit magis quędam veritatis occultatio, quàm mendacium.

Ad Rom. 3

D. Aug. in inchirid. c. 22.

Magna autem difficultas est, si aliquæ particulares personæ circa eandem rem oppositas reuelationes habeant, cui reuelationi standum est, cùm vna sit alteri contradictoria. Prima regula sit: assentiendum est reuelationi approbatæ à Summo Pontifice. Nam, vt suprà diximus, maximam certitudinem habent, quàm non habent non approbatæ: Atque adeo in illa stat possessio pro veritate. Ex quo fundamento solido standum est reuelationi Sanctæ Birgittæ de Immaculata Virginis Conceptione absque peccato originali; non verò alteri oppositæ non approbatæ ab Ecclesia. Maximè his temporibus, quando illa reuelatio conuenit cum declaratione Alexandri Septimi in sua Bulla. Ad perpetuam rei memoriam. Vbi dicit, officium Conceptionis in Ecclesia semper fuisse pro primo instanti Conceptionis Virginis, & infussionis ipsius animæ in corpus ab originali culpę præseruatæ.

Hoc tract. c. 8.

Lib. 6. cap. 49. & alibi.

Solicitudo omnium Ecclesiarũ Rom. Ann. 1661. Pontifi. ann. 7.

Secunda regula, secundum Doctores sit, vt sanctiores præferantur, si sanctitas sit satis explorata. Deinde, cęteris paribus grauiores, & doctiores rudibus præferendi sunt, & viri mulieribus. Rursus, si cętera sint paria, maior numerus minori præferendus est: & qui in suis reuelationibus magis conueniunt doctrinæ Ecclesiæ, SS. PP. & rationi.

Denique, si persona referendo reuelationes vtitur verbis ambiguis, & amphilogicis, tales reuelationes suspectę sunt de veritate. Ratio est, quia diuina reuelatio vnit intellectum cum reuelata sine ignorantia, vndè D. Dionysius sic ait: *Cognitio res cognitas cum cognoscentibus vnit, ignoratio verò ignoranti causa est, vt semper mutet, atque à se ipso discrepet.* S. Maximus ibi: Quemadmodum enim cognitio cognoscens id quod nosse voluit, rei cognitę vnitur, non amplius de se ipsa dubitans, neque propter dubium in varias distrahitur cogitationes, neque vacillat, neque degenerat in ignorantiam: eò quod non persuasum habeat id quod nouit, &c.

S. Dionys. Areop. c. 7 de diuin. nomi.

Lo-

Loquitur Dionysius de certitudine fidei, quæ fideles in veritate fundat; cum verò diuina reuelatio à prima veritate dimanet, fundat intellectum in veritate, non in ambiguitate, & ideo secundum Diuum Gregorium. Sanctus Gregorius p. 3. Cur. Past. suprà *Nihil ad dicendum veritate facilius.* Hac de causa suspecta est reuelatio ambiguis verbis prolata. Ambiguitas namque vnumquodque contradictorium æqualibus ambit rationibus. Albertus Magn. Metaph. 2. tract. 2. capit. 1. quod diuinæ reuelationi opponitur, quæ determinatæ est veritatis: *Atque vbi hæsitatio est, intelligentia non est.* Bernardus Serm. 4. in Cant.

S. Greg. p. 3. cur. past. suprà.

CAPVT XVIII.

Examinanda est persona de loco, & tempore, in quibus reuelationes fiunt.

ATTINET ad examen prudens personæ patientis reuelationes notare locum in quo fiunt, an in publico, an in secreto. Doctrina est Diui Bonauenturæ, sic dicentis: Sanctus Bonauentura itinerar. 5. æternitatis distinctione 2. tom. 2. opusc. Siue reuelatio, prout est occultorum manifestatio per exteriores figuras fiat, siue per Sacras Scripturas, siue per illuminationes inspiratas, siue per collocutiones exterius expressas, semper fit in occulto, vt ostendit Hugo, dicens: Hugo de Sancto Victore lib. 4. de arc. Noe capit. 4. in reuelationibus necessaria est secreta habitatio, & mentis collectio, & vnio, vnde dicit sic: scrutemur scripturas, & inueniemus vix, aut numquam Deum fuisse locutum in multitudine, sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus, & populis, sed singulis, vel admodum paucis, & communi hominum frequentia seggregatis, vel in campis, & solitudinibus, & montibus se manifestauit. Sic locutus est cum Noe, Abraham, Isaac, Iacob, & Moyse. Quid est, quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secreta vocat? Hec Sanctus Doctor. Idem notauit Ricardus de Ioanne Euangelista in insula Pathmos relegato, vbi tot visiones, & reuelationes habuit; Ricardus Victor. in Apocalyp. cap. 4. part. 2. *Sed quoniam* (inquit) *audistis qualitatem personæ, quæ tanta potuit mysteria diuinitus cognoscere, & cui debetis fidem de his quæ dicit: audite et loci aptitudinem, in quo talia potuit conuenienter videre. Fui in insula, quæ appellatur Pathmos. Locus remotus, & quietus, secretus, & priuatus.*

S. Bon. itiner. 5. ætern. dist. 2. tom. 2. opusc.

Hug. de S. Vict. lib. 4. de arc. Noe. c. 4.

Ricar. Vict. in Apocalyp. c. 4. p. 2.

Constat ex his cauendum esse à persona patiente reuelationes in plateis, & publicis locis, nam periculosæ sunt de veritate, & discretione attenta examinandæ, ne illusiones sint, & turpi quæstu fabricatæ ad propriam vtilitatem: *Cupiditas* (ait Paulus ad Timoth. 1.) *radix est omnium malorum.* Micheas capit. 3. loquens de falsis Prophetis: *Prophetæ eius in pecuniam diuinant.* Vbi Hieronymus: *Videbantur sibi esse prophetæ, sed quia pecuniam accipiebant, prophetia ipsorum facta est diuinatio.* Hoc consilium dedit Hieronymus Nepotiano: *Nolo te orare in angulis platearum.* Verum est etiam, quod Dæmon abdita loca, lucifuga multoties requirit, vnde sua eructet oracula, & pseudoprophetias: nam hæc loca libenter habitat quodam genus Dæmonum, vt patet in plurimis historijs. Sed ex regulis assignatis facilè discerni possunt tales reuelationes falsæ.

Præter locum deseruit considerare temporis circunstantiam in reuelationibus. Iterum Ricardus citatus: Solet rerum qualitas (ait) sicut testatur Gregorius, tempore denotari: vt Abraham vidit Angelum in meridie, quia fide feruebat. Adam vidit Deum in persona Dei post meridiem, quia à calore dilectionis intimæ deciderat. Lot perditionem Sodomæ vesperè, quia cito futura erat. De Ioanne, qui fuit in spiritu, in dominica die denotatur, quòd quantò dies sanctior, tantò diuinæ reuelationi conueniētior: & quātò trāquillior per exteriorum laborem cessationē, tantò

per requiem altior ad internam contemplationem. Si sit tempus persecutionis, innuitur, quod qui propter Deũ persecutionem didicerunt sustinere, ipsi cœlestia meruerunt agnoscere. Hæc ille.

S.Tho.in c. 4.Iob. De qualitate temporis dicit S. Thomas: Tempus nocturnum magis est congruum reuelationibus percipiendis, in die enim à tumultibus hominum, & occupationibus sensuum mens quendam strepitum patitur, ita vt susurrium verbi absconditi percipere nequeat. Prosequitur: Considerandum est, quòd ea visa, quæ ex aliqua superiori causa oriuntur, quandoque apparent dormientibus, quandoque vigilantibus, & veriora solent esse, & certiora cùm vigilantibus apparent, quàm cùm dormientibus, eò quòd vigilando est ratio magis libera, & quia in somno speciales reuelationes minus discerni possunt à friuolis, & consuetis. Vt Iob ostenderet hanc reuelationem, (Iob.c.4.) (nempè: *Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius*) non dormienti, sed vigilanti factam esse, subiungit: *Imago coram oculis meis.* Huc vsque dicta sunt hæc, secundum ordinem, & modum regularem habendi reuelationes, vt secundum illum considerentur in persona recipiente; nam Deus non tenetur loco, nec tempore quando vult, & quomodo vult eas communicare, maximè viris perfectis.

Sequitur ex hoc, quòd multiplicitas reuelationum in persona, non semper facit eas suspectas de veritate, siquidem Diuus Paulus multipliciter habuit: *Ne multitudo reuelationum, &c.* Ioannes Euangelista, D. Dionysius. Idem legimus de alijs viris, & fœminis sanctis, quas approbat vt pias Ecclesia. Sic in Seraphico P. N. Francisco à principio suæ vocationis, in S. Birgitta, S. Hildegarde, famula Dei Ioanna de Cruce, & aliis. Vbi impletur (Isa.66.) illud Isaiæ: *Ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* (Rica. Vict. li.4. de contem. c.22. p.1.) Vnde Ricardus ait aliquos esse qui in suis contemplationibus supra se ipsos ducuntur, & vsque ad mentis excessum rapiuntur ex diuina gratia, & hoc iam quasi ex virtute possident. Cum illis Deus familiaris ostenditur, ac loquitur, & occulta mysteriorum eis reuelat.

Ceterum licèt hoc verum sit, non facilè approbandę sunt, nisi prius examinetur persona de viræ sanctitate. Sic se habuit Summus Pontifex in approbatione reuelationum S. Hildegardis, vt refertur lib. 1. pag. 277. quo cognito approuauit similes reuelationes, licèt continuas, & singularissimas. Sic etiam fit stricta inquisitio de vita illorum, qui in Ecclesia canonizantur, & eorum reuelationes, & miracula approbantur. Non ergo leui animo, & indiscreto repellendæ sunt continuæ reuelationes, nec approbandæ his temporibus, cùm in illis etiam reperiantur, vt sentit Gregorius. Quærebat Petrus ab eo: *Quid est*, quòd in his temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ anteà latuerunt: ita vt apertis reuelationibus venturum sæculum inferre se nobis, atque aperire videatur? (S. Gregor. Mag. li 4. dialog. ca. 41.) Respondet Sanctus: *Ita est, nam quantum præsens sæculum propinquat ad finem, tantùm futurum sæculum ipsa iam quasi propinquitate tangitur, & signis manifestioribus aperitur, &c.*

Adnotare etiam opportet, quòd licèt patiens reuelationem postea non recordetur, non ex eo erit falsa: nam licèt regulariter maneat in memoria reuelatio obiecti reuelati per species intelligibiles, vt in Diui Pauli raptu, tamen aliquoties non manet. Ratio est, quia reuelatio etiam Prophetica non est habitus permanens, sed est qualitas infusa per modum actus transeuntis (vt dicemus agẽdo de Prophetia infrà) inde est, quod sicut aer semper indiget nouo lumine, ita mens indiget noua illustratione, quã Deus non semper vult dare. Testis est D. Bernardus, dicens: Verumtamen, cum ab illo sublimitatis statu ad nos (S. Bern. de inter. domo. c. 77.) metipsos reddimus, illa quæ priùs supra nos metipsos videmus, in ea veritate, vel claritate, qua priùs perspeximus ad nostram memoriam reuocare non possumus. Et quamuis inde aliquid in memoria teneamus, & quasi

per medium velum, & velut in medio nebulæ videamus, nec modum quidē videndi, nec qualitatem visionis compræhendere, vel recordari sufficimus, donec iterum in meditatione assurgamus in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mētis alienationem. Hęc ille. Duo dicit, primum non recordari visione transacta ea claritate, & veritate, qua prius conspicitur. Secundum, indigere noua illustratione. Hinc etiam oritur difficultas dicendi reuelationes, vel quia non inueniuntur voces complerè significatiuæ. Imò quasi oppositæ, & disparatæ. Sic notauit D. Thomas explicans verba S. Dionysij: *Hanc irrationabilem, & amentem, & stultam sapientiam* Laudatur excellenter diuina sapientia sicut irrationalis, in quantum excedit rationem, & sicut amens in quantum excedit mentem, & sicut stulta in quantum excedit habitū mentis, scilicet, sapientia. *S Thom. 7 de diu nomin. lect. 2*

Legimus in vita famulæ Dei Ioannæ à Cruce, que despues que Dios la dixo vn dia: *Guarda mi secreto, y no hables, que yo hablarè por ti*, per spatium tredecim annorum rapiebatur à diuino spiritu, loquebaturque extatica admirabilia de sacra pagina, explicans loca difficilia, & prophetias spatio trium, vel quatuor horarum, variis linguis, cum maxima vtilitate hominum spirituali, qui ad eam concurrebant quàm plurimi, quia eis prædicabat iuxta necessitatem vniuscuiusque. Addit Author: *Que hablando todo este tiempo el Hijo de Dios en persona suya, al fin del qual despedia la gente que auia estado presente, echando à todos su bendicion, y diziendo: La bendicion del Padre, y de mi su Hijo Iesu Christo, y del Espiritu Santo Consolador, sea con vosotros. A poco rato boluia la sierua de Dios en sus sentidos, y se hallaua sin saber, ni poder dar testimonio de lo que por ella auia passado.* Ecce quomodo obliuio reuelationum, non ex hoc suspectas reddit semper. Hic liber approbatus est, & currit inoffenso pede, & S. Officij permissione. *Lib. 2. c. 12* *P. Fr. Petr. Nauar r.*



CAPVT XIX.

De alijs, in quibus examinanda est persona patiens reuelationes.

IN primis examinanda est persona, si aliàs sequendo vitam contemplatiuam illussa fuerit: *Quia multi sunt* (ait Ricardus) *qui ex multitudine reuelationum suarum se extollunt, & pessimo fine concludunt.* Priuantur illis, ac diuina permissione solent illusionibus falsis illudi. Vel quia nimio affectu appetunt, & quærunt visiones, & reuelationes contra veram humilitatem, & D. Paulum, qui inquit: *Non plus sapere, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique, sicut Deus diuisit mensuram fidei.* Istorum reuelationes, & visiones potiori cura, & inuestigatione discreta examinandæ veniunt à Magistro spirituali. Tales enim illusi difficilè reddunt ad veram lucem diuinorum, quia illusio obcęcat intellectum, & allicit voluntatem. Vnde cauendum est, non sint, de quibus dicit Apostolus: *Impossibille est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donū cœleste, & participes sunt facti Spiritus Sancti, rursus renouari ad pœnitentiam.* Hi sunt secundùm S. Laurentium, qui *gustauerunt bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt.* Prosequitur: *Audisti spiritualis illussionis mysterium, quā per homines malos, & à sancto proposito decidentes quotidie patitur sapientia?* Plurima exempla extant in vitis P P. & historijs Ecclesiasticis. Idem dicendum est, si persona aliàs sit gubernata à magistro illuso. *Ric. Victo. de erudit. hom. inter. ca. 10. p. 1.* *Ad Rom. 12.* *Ad Habr. 6.* *S. Lauren. Iustin. c. 13 de Agon.*

Item, examinanda est persona, si acquiescit consilijs prudentum, & iudicio superiorum, & magistri spiritualis; si non acquiescit, illusa est, & mali spiritus. Ratio est, quia est obstinata in proprio iudicio, & superba absq; consilio. Dicitur Prouer. 3. *Non sis sapiens apud temetipsum.* Vide de necessitate spiritualis magistri suprà. *Tract. 1. c. 4.*

Deinde, si persona non recipit correctionem humiliter, & se excusat in suis deffectibus, & tenaciter defendit suas reuelationes, suspecta est illusionis, est enim de illis, de quibus loquitur D. Greg. sic: *Plerumque in culpa*

pa deprehensi, dum quales sunt cognosci refugiunt, se se sub fallaciæ velamine abscondunt, & hoc quod peccant, quodque iam apertè cernitur, excusare moliuntur, ita vt sæpè is qui earum culpas, & corripere studet, aspersæ falsitatis nebulis seductus, penè amisisse se videat, quod de eis iam certum tenebat. Comparat hos hericio, qui mox, vt appræhenditur semetipsum insphærā colligitur celās caput, & pedes. In quo designatur duplicitas impuræ mentis se seq; calidè defendētis. Omnia hęc manifestè suspecta sunt, nam: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Prou. 10. Nihil est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius, non indigent fallacijs abscondi. De bono spiritu, & in veritate ambulante, laudat D. Paulus Corinthios, ac gaudet dicens: *Quemadmodum omnia in veritate locuti sumus, ita, & gloriatio nostra apud Titum veritas facta est.* Vbi S. Ambrosius: *Exultans in spiritu, hæc scribit Apostolus, sic gaudens in his, vt efficatiam eorum, tā veram probet, quàm est, & prædicatio eius ad eos in correctione dumtaxat; veritas enim arguentis in ipso, tunc videtur esse manifesta, si ii, qui arguantur, incipiant emendare se. Dum enim correpti immutantur, testimonium perhibent arguenti.* Qui ergo correctionem accipiunt Doctorum, & Magistri spiritualis, testimonium perhibent veri spiritus; si non, mali.

S. Gregor. Mag. 3. p. Past. ad moni. 12. Isai. 14.

2. ad Cor. cap. 8.

Hinc oritur alia examinatio, nimirum, si talis persona vtitur cum magistro spirituali nimijs cautelis, & simulationibus ad ostendendam fictam sanctitatem, virtutem, & similia, inusitato, & affectato modo loquendi, suspecta est. Nam, *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum; & cum simplicibus sermocinatio eius.* Iterum Gregorius citatus: *Deo enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mētibus arcana reuelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur: quia de supernis mysterijs illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obscurat.* Hi sincerè, & clarè pandunt secreta sui pectoris, & omnes visiones, & reuelationes suo magistro, & rectori spirituali. Humili, & animo vero, in quo sublimes in spiritu inueniuntur; nā, vt dixit Ambrosius: *Simplicitas concurrens veritati, in ipsa humilitate sublimis.* Lege S. Climac. cap. 4. de obedientia.

Sapient. 1. Prou. 3.

S. Ambro. in Luc. ca. 18.

Denique, si persona subditur in omnibus, & per omnia magistro spirituali perfecta obedientia, tunc reuelatio non est suspecta. Ratio est, nā hæc obedientia habet pro præmio, quòd non patiatur illusionem, qui habet. S. Bonauētura dicit: *Quòd obedientia est scala paradysi, & auis ad cælum trāsiens.* D. Climac. *Obediētia est securū periculū, immediata ad Deū excusatio, tuta nauigatio, consertū dormiendo iter.* Narrat ipse, quòd quidam mortuus verè obediēs in vita interrogatus à quodā sene post mortem iam sepultus: *Frater Achati, putas ne mortuus es? Obedientiam ostendes de sepulchro, respondit: Quomodo fieri potest, vt moriatur homo deditus obedientiæ?* Obseruare tamē debemus fratres minores, quod S. P. N. nobis præcipit in 1. Reg. cap. 12. scilicet: *Nulla pœnitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiā; sed dando illi Consilium spirituale, vbi voluerit, agat pœnitentiam.* Vetat obedientiam ex voto.

D. Bonau. Dietæ salut. tit. 4. cap. 2. Biblio. PP. tom. 5.

Hęc obedientia intelligenda est, si quòd pręcipit magister spiritualis, non est contra præcepta Ecclesiæ, & superiorum, & aliàs, sit peccatum; si enim est, nullo modo est obediendum. Aliter obedire debet. Nec obstat, quòd illud, quòd præcipitur multoties sit graue, & asperum, nam, vt dicit Sāct. Pat. nost. Franciscus loquens suis fratribus: *Nihil impossibilitatis iudicetis esse, quia & si supra vires, ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non carebit.* Lege Sanct. Leonem ser. 5. Epiphan. Sanct. Basil. in regul. fusè disputa, q. 28. & Cassian. lib. 4. inst. cap. 10.

S. Francis. Collat. 4.

Ex dictis de reuelationibus, visionibus, & conditionibus personarum, eas patientium constat, quanto studio magister spiritualis, & censores earum debent examinare omnia in se, & secundùm circunstantias. Solum restat scire, quomodo se habere debeāt in examinatione personę. In primis, titulo pietatis non aplaudant, & commendent sanctitatem personæ, & hæc supernaturalia, nec ostendant admirationem, nec laudent. Aliter dabunt occasionem superbiendi, & illusio-

sionibus diabolicis. Doceant, in his nō consistere sanctitatem, sed in negatione sui ipsius, & in sequella Christi per veras, ac solidas virtutes; præcipue in humilitate, fundamento omnium.

Audiant à persona suas reuelationes, & visiones attentè, interrogent, vt sapientes, substantiam, & circunstantias earum, increpēt cum discretione, vt humilient, nō vt exasperent, & odio iam faciant spiritualem vitam, velut inimici reuelationum verarum. Exemplum habemus in sacra Scriptura. Ioseph reuelauit patri suo somnium illud, in quo vidit Solem, Lunā, & vndecim stellas adorare eum, quòd cum retulisset: *Increpauit eum pater suus*: Ecce increpationem, audi attentam discretionem: *Pater vero rem tacitus considerabat*. Non spreuit visionem, sed in silentio considerabat, licet corā filiis videbatur anihilare. Meditabatur quod vera poterat esse, & mysteriosa propter conuenientiam verborū. Vide N. Lyra: *Licet enim loquēdo coram filiis videretur anihilare somnium, tamen intra se cogitabat, quòd verè esset præsagium dominationis ipsius Ioseph futuræ: quia per solem bene pater figuratur, cum sit principium caloris, & vitæ; per lunam, quæ habet dominium super humida, intelligitur mater, quæ est principium passiuum in generatione; eadem ratione intelliguntur filij, quia recipiunt lumen à sole.*

Genes. 37.

Lypom. in Caten.

Sic procedendum est, & obseruandum in examinatione personæ imitādo hunc sapientem patrem, & eo modo, quo ad intentum, notauit ibi Lypomanus, dicens: Non puero irascebatur, non odiebat, non inquietus erat, nec aliquo modo filii regnum à Deo reuelatum promouere incipiebat, sed Deo totum commisit. Nihil tamen interim omittens, quæ vt pater agere debebat, puerum reprehendit, quasi præsumptuosum, ambientem imperiū, non solum in fratres, sed etiam in se, & totam familiam, non obstante matris morte. Hæc ille, & optimè. Lege Oleastrum in eundem locum. Hoc facto, magister spiritualis det consilium, quomodo persona se habere debet in visionibus, & reuelationibus, quæ veræ sunt. Nimirum, quòd ad eas non attendat, nec eas affectet, sed quòd solum exerceat effectus bonos illarum, vt sunt notitiæ diuinorum, vel cognitio, sui ipsius in intellectu, & recipiat, ac conseruet bonos affectus in voluntate. Vide quæ supra diximus. Pro multis ex dictis lege Gersonem.

Tract. 3. c. 2. & 3. Gers. p. 1. tr. de examin. doctr. & tract. de dist. reuel. verà à falsis.

CAPVT XX.

Quæ sit locutio Dei, & quotuplex.

LOcutio diuina ad animam contemplatiuam est, qua Deus per se ipsum, vel per Angelos verba quædam potentia format in ipsam, vt specialiter erudiat de aliquo ad salutem suam, & profectum, vel aliorum, ad magnā reuerentiam Dei, vel alios affectus bonos, & ad eos impellat. De hac locutione diuina fit mentio in sacra Scriptura: *Ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Ose. 2. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*. 1. Reg. 3. & alibi. Talis locutio triplex est. Vna vocibus exterioribus formata, quam aures corporis audiūt, & per eam intellectus audientis illustratur, & affectus accenditur. Talis est illa in Baptismo Christi: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Et illa similis in transfiguratione. Et illa Angeli ad Virginem: *Aue gratia plena, Dominus tecum*; multæque aliæ. Hacce itaque loquella externa erudit Deus animā de his quæ vult, & ex parte intellectus est notitia simplex veritatis ostēsæ: etiam per Angelos, quia secundum D. Dionysium: *Eis concessum est, vt latentem in se bonitatem valeant enunciare, sintque Angeli velut interpretes diuini silentii, & tanquam clara lumina, quæ in adytis latentem indicant*. Varijs modis fieri docet, S. Gregorius, super illud Iob: *Respondens autem Dominus, de turbine, dixit*.

Matth. 3. Matt. 17.

S. Dionys. Areop. ca. 4. de diui. nom.

D Gregor. Magn. lib. 28. mor. c. 2.

Diuus Bonauentura duplicem modum, quo Angelus homini loquitur assignat, dicens: Loquitur Angelus homini dupliciter. Primo modo vocali verbo in corpore assumpto, sed tunc sicut nō profert sonum in organis materialibus secundum naturam, ita nec circulariter immutat medium, quemadmodum in voce naturali: vnde non auditur, nisi ab illo, ad quem ordinatur, & est simile in apparitionibus Angelorum, quos quidam vident, & alij æquè propinqui non vident, vt apparet in Eliseo, & puero eius. Dicunt aliqui, quod

S. Bona. de operib. con dit. libr. 2. c. 19.

quòd Angelus nunquam apparet, aut loquitur homini in subiecta materia, aut creata, sed intentionem, siue similitudinem ponit in oculo eius, vel intẽtionem vocis ponit in aure eius: & ibi recipit sensus communis species illas, ac deinde perueniunt ad imaginationem, post hoc ad intellectum, & hoc est, quòd Angelus dicitur apparere, aut loqui homini. Hæc S. P.

Altera locutio non auditur in auribus corporeis, sed in imaginatione cõcipitur: Deus tũc per se ipsum, vel per Angelum format in imaginatione hominis ea verba, & sententias, quas vult ab ipso intelligi, & per eas doceri de rebus vtilibus, fit hoc multis modis: aliquando verba distinctè, & clarè interius audiũtur, nõ minus, quã si corporibus auribus perciperentur, quæ autẽ persona loquatur, non panditur homini audienti. Aliquando manifestatur persona, loquens Gregorius citatus: *Non nunquam vero etiam per Angelum humanis cordibus loquitur Deus, vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur.* Idem, de B. Maria, Christo, & alijs sanctis. Huiuscemodi manifestatio personæ loquentis semper fit formis imaginarijs, sicut diximus de visionibus imaginarijs spectãtibus ad imaginationem, & secundùm animę cęlum. De ista locutione interna Angeli, loquitur Zacharias: *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me.* Cùm ad se quidem, sed in se tamẽ loqui Angelum dicit, liquidò ostendit, quod is qui ad ipsum verba fecerat, per corpoream speciem, extra non esset. Vnde paulò post subdidit: *Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur.* Qui egreditur de aliquo, in ipso intus est. Multoties videtur vocem descendere de cęlo, aliquando iuxtà audientem, vel longè distantem.

Zachar. 1.

Altera locutio Dei non sonat in aure corporis, nec percipitur in imaginatione, sed est purè mentalis, qua Deus per semetipsum loquitur animæ contemplatiuæ, imprimendo in intellectu veritatem absque dependentia phantasmatum, ad modum, quo loquitur Angelis. Hac locutione intellectuali vsus est ipse Deus in omni ætate Ecclesiæ. Hic anima ab ipso edocetur, sine verbis, ac syllabis; ad quam mens plena suspenditur, quia virtus Domini intima quadam subleuatione cognosci-tur. Lege S. Bernardin. Senens. serm. 1. de inspirat. varie t. c. 1. tom. 3. vbi doctè de hoc agit. Mirabilique modo aliquoties videtur, quòd anima sit quasi domus ampla (licet sit purè spiritualis, & indiuisa) eo quod loquela diuina audiatur, nunc quasi à longe, nunc quasi proximè prolata. B. P. Fr. Ioannes à Cruce eruditè tractat de hac locutione notãs pericula, quę eueniri possunt, & quo modo euitanda sunt, capite 28. ad tria genera reducit, Prima dicitur locutio successiua, cum spiritus in oratione format eam intra se: formalis, quam spiritus recipit ab alio: substantialis, quæ formaliter fit in intima substantia spiritus, causatque substãtiam, & virtutes, quas significat.

Lib. 2. asc. mont. Carmel. ca. 29 30. & 31.

Sæpè tamen euenit in animabus ad contemplationem deditis, vt proprius earum spiritus loquatur in illis propter virtutes in eis existẽtes, præcipuè charitatem, quę mentem inclinant ad sancta, & intellectum illuminant, afficiuntque voluntatem, ita vt verum sit tunc: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et: *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit.* Cùm autem hæ locutiones bonæ sint, iudicant esse diuinas, & à Deo immediatè factas, sicque magnificant eas vt tales.

Rom. 8. Matt. 13.

Ceterum ex effectibus cognoscuntur, si sint à Deo, vel à proprio spiritu. Quæ à Deo sunt, potentes euadunt, & animam implent diuinis charismatibus. Ricardus Victorinus, super illud *Vox Domini præparantis ceruos, & reuelauit condensa, Dominus diluuium inhabitare facit,* ait: *Excellentius, & quasi per loquelam se ipsum Dominus insinuat illis, quibus voluntatem suam inspirat, quia aliud est rectè discernere, & aliud ad beneplacitum Domini perfectè intelligere, & ei ex amore inhærere.* Hoc facit locutio Dei; ita vt omnium carnalium, cogitationum incursus, omnes terrenos affectus penitus absorueat, imò etiam quidquid hominibus est altum, cacumina ipsa virtutum: & quod his omnibus maius, ipse sibi contemplantis animus in obliuionem veniat. Istud vocat diluuium. Vide N. Harphium lib. 1 mystic. Theolog. cap. 4 c. p. 1.

Ric. Victor. in Psa. 28. p. 2.

Diuina locutio tantæ potestatis est, vt omnia facillimè, quæ Deus intendit, in anima efficiat, etiam ardua; ad contemnenda etiam charissima, & ag-

gre-

grediendi difficilia. Hoc insinuat celebris inter mysticos illa authoritas Pauli: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens, vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagumque, & medullarum.* Admirabilis diuisio, quæ obliuiscere facit populum proprium omnium naturalium, & domum etiã patris. Beati qui audiunt hoc verbum Dei, & custodiunt illud. Optimè Bernardus *Vultis nosse* (inquit numerans eius effectus) *quam beati? Primum quidem sonans in auribus animæ vox diuina conturbat, terret, diiudicatque: sed continuo viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique cibus noster est, gladius, confirmatio, & requies.* Tandem cognoscitur locutio Dei, quia repentè fit, & non est in potestate animę eam non audire, ac breuissima morula multa docet, & ad magna fortificat: ita quod licet vellit animus per longum tempus; talia acquirere, nequit.

Hebr. 4.

S. Bernar. serm. de multip. vtilit. verb. Dei.

Tenet D. Thomas, quòd intellectus humanus solum potest recipere locutionem purè intellectualẽ à Deo, non verò ab Angelo bono. Probat ratione, quia connaturale est ei, vt intelligat per conuersionem ad phantasmata: *Et ideò intelligibilem veritatem proponunt Angeli hominibus sub similitudinibus sensibilium, secundum illud, quod dicit Dionysius 1 cap. cælest. Hierar. quòd impossibile est aliter nobis lucere diuinum radium, nisi veritate sacrorum velaminum circumvelatum.*

S. Thom. 1. p. q. 111. art. 1. corp.

TRACTATVS QVARTVS

DE PROPHETIA, EXTASI, ET raptu.

PROPHETIA nobilis est reuelatio Dei; sed quia plures difficultates habet, reliquimus ad pręsentem tractatum, ne præteritus longior abisset. Ad quem reducimus in præsentiarum, extases, & raptus, cùm sequantur multoties ex dono prophetiæ, visionibus, & reuelationibus diuinis, iam explicatis tractatu 3.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Prophetia, & quotuplex.

PRophetia propriè sumpta, est diuina reuelatio rerum à nobis procul distantium prenoscens euentus immobili veritate, & maxima certitudine. Dicitur, diuina reuelatio, quia est donum Spiritus Sancti, dicente Scriptura: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et ad Romanos cap. 12. Dicitur etiam: rerum à nobis procul distantium prænoscens euentus, quia est de rebus futuris, quæ excedũt captum nostrum; siue loquamur de ipsis futuris, siue de tempore, in quo prophetia impletur, quæ omnia ignoramus, & à Deo dependet illis cognitio. Maximè si fit de actibus futuris liberi nostri arbitrii. Est enim in actu primo libera nostra voluntas libertate contradictionis, & contrarietatis; atque adeò non datur principium determinatum, ex quo Propheta possit cognoscere futurum eius actum. Cùm autem Deus omnia cognoscat in se ipsis, & omnia præsentia sint in sua æternitate, & veritas sua certissima sit, ipse solus certissimè cognoscere potest futura hæc contingentia, & certissimè prænunciare, & reuelare Prophetis. Propterea, vt diximus, fit, & est immobili veritate, & maxima certitudine.

2. Petr. c. 1.

Tum etiam, quia obiectum prophetiæ propriè sumptæ formale, est diuina authoritas aliquid reuelans, vel testificans secundum fidem, ex illo Lucæ 1. *Locutus est* (Deus) *per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarũ eius.* ex Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Id est, Spiritus Sancti iuxta sanctorum expositionem.

Item

Item ad Hebræos 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, & ex illa Petri. Hinc Euseb. lib. 5. demost. Euāgel. In hoc putat differre veros à falsis Prophetis, quòd illorum cognitio, vel locutio Dei authoritate nititur; horū verùm minimè. Constat etiam ex vsu Scripturæ, nam omnes, qui non locūtur in Spiritu Sancto, falsi Prophetæ appellantur Ose. 9. dicitur: *Propheta stultus, & in sanus vir.* Ierem. 23. *Visio cordis humani non de ore Domini.* Ezechiel 13. *Perhibentur hi prophetare de corde suo* Lege Diuu. Hieron. Ezech. 13. Pro certitudine propheti**ę** Cassiod. in præfat. Psalmorum, & S. Thom. 2. 2. q. 171. art. 1. S. Bonau. in 2. sent. dist. 7. q. 3. & alij, ibidem.

Non negamus, quòd prophetia aliquando sit in Angelo, vel in homine instrumentaliter. Docet S. Dionysius spectare ad Diuinitatis ordinem, vt infima per media disponātur (quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt ad Roman. 13.) ideoque cùm Angeli medij sint inter Deum, & homines, quippè, qui diuinæ bonitatis, & perfectionis participes sunt, inde fit consequens, vt reuelatio prophetica à Deo procedat, vt agente principali, & ab Angelo instrumentaliter. Nec obstat, quòd reuelatio prophetica sit diuina, nam operatio instrumenti tribuitur agenti principali. Id autem sancti Angeli faciunt reuelantes hominibus, quæ Deus imperat. Illud dictum de immobili veritate prophetiæ, debet intelligi de prophetia absoluta, non de prophetia cōminationis, & conditionata, vt infra explicatur, & probatur, cap. sequent.

Sciendum tamen est, quòd reuelatio prophetica solet facere excessum, & extasim mentis, vt benè S. Ambrosius dicens: *Excessus Prophetis fieri solet, sicut habes Prophetam dixisse. Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Ratio excessus est, quia talis reuelatio excedit mentem hominis, & progreditur, vsque ad alienationē sensuum. Qui quidem modus est vnus ex perfectioribus ad recipiendum reuelationes, vt notauit S. August. supr. Genes. q. 80. & D. Tho. 2. 2. q. 173. art. 3. Atque à Deo sic illuminata mēs videt. Propterea Prophetæ dicuntur in sacra pagina videntes, 1. Reg. 9. Quòd exponentes Hieronymus Ose. 12. & Theophy. Mat. 1. affirmant appellatos, esse videntes, quia occulta videbant, & annunciabant, iuxta illud. *Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Psal. 50. Clara est ratio, quia donum prophetiæ perficit intellectum modo perfecto: loqui aūtē sine intelligentia eorum, quæ dicuntur, nō pertinet ad perfectionem intellectus, sed potius est amentium, & somniantium, & aliquo modo vsu rationis carentium. Veritas hæc militat contra hæresim Montani asserentis, Prophetas in extasi fuisse semper locutos, vt non intelligerent, quæ loquebantur. Pro hac hæresi, & eius refutatione, vide Euseb. 5. hist. ca. 17. & Epiph. lib. 2. hęres. 48. ac Hieronym. in præfat. Isaiæ.

S. Ambr. libr. 2. de Abraham cap. 9.

Notat D. Augustinus aliquando efficere Deum, vt quis proferat verba continentia prophetiā, quam ipse qui profert, non assequitur, sed alium sensum in illis verbis intelligit, vt de Cayphas, constat Ioann. 11. *Prophetauit, nesciens quid diceret*, fuitque præter suam intentionem. Is autem non est verè Propheta, nec donum prophetiæ recepit, sed vt D. Thomas citatus art. 4. q. 173. habet quendam instinctum propheticum, vel potius directionem à Spiritu Sancto in sua locutione, qua fit, vt ea proferat verba, & eo modo, quo intentioni Spiritus Sancti deseruiunt, ipso homine non intelligente. Idem est, quando loquitur contra propriam voluntatem, vt legimus de Balaam, qui populum Israel benedixit, quando ille ad maledicendum vocatus fuerat; tunc coactus fuit à Deo ad benedicendum. Lege Iosephum lib. 4 antiq. cap. 6. Videant rectores animarum, quomodo se habere debent in reuelationibus earum propheticis, vt nō facilè iudicent esse Prophetas, quamuis eueniant, vt dixerunt.

S. Aug. li. 2. ad Simp. q. 1. & lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17. de spirit. & ani. cap. 24.

Nec magnificent, vt sanctas tales personas, quamuis aliàs veras reuelationes propheticas pronuntient, nam prophetia, nec semper supponit Sanctos, nec facit. Audiant S. Gregoriū, loquens de Heliu, qui aduentū Christi prophetauit, illis verbis: *Ecce Deus Excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus*, inquit: Nec mirandum, quòd vir arrogans impleri prophetico spiritu potuit, cùm Saul etiam in numero Prophetarum fuit. Sed hoc de Saule cur dicimus, cùm ex

S. Gregor. Magn. lib. 27. in Iob cap. 1.

2. Reg. 16. Num. 22.

ex visione Angeli accepisse verba rationabilia, & asinam nouerimus? sed sicut irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationē naturæ rationalis accessit. Ita sępè quilibet indignus sancta verba per prophetiæ spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam, nō pertingit, vt supra se loquendo emineat, & infra se viuendo torpescat. Vndè tunc Heliu Redemptoris nostri aduentū humilē non humilis conspicit, & eū prophetando predicat, quē elatis moribus impugnat. Hæc sanctus. Plura exēpla sunt in sacra Scriptura, & P P.

Reuelatio prophetica duplex est. Prima dicitur præscientiæ, & predestinationis, siuè absoluta. Secunda est comminationis, seu comminatoria. Sic communiter P P. illa immutabilis est. Ista in sensu quo fit, est omninò certa; vt verò exterius, & in cortice sonat, videtur aliquando deficere. Diu. Chrysostomus, sic explicat vtramque: *Prophetia alia est ex præscientia, & hæc est immutabilis, vt hæc. Ecce virgo concipiet. Alia ex indicio operum, & hæc solet mutari, secundum quod verba sonant, vt. Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, subintelligimus, nisi pœniteat. Item quæ est ex præscientia, illa implectur solummodo operatione, vt quòd virgo pareret. Alia impletur hominum administratione, vt de aliquo, vt sit iustus.* Videri potest hom. 5 ad Popul. Antioch. & 1 ad Rom & 22 in Genes. De comminatoria, ait S. Hieronymus: *Comminatio non in hominem, sed in peccata est, neque in eos, qui conuertuntur à vitijs, sed qui in peccatis remanent.* S. Gregorius 20. lib. Mor. cap. 23. eodem modo loquitur, dum dicit de Deo, quòd, *quamuis rem mutet, consilium non mutat.*

S. Chrysost. Hom. 1. in Matth. in imperfect. Ioann. 3.

S. Hieron. Ierem. 11. Ezech. 3. & 33. Dan. 4. & Amos 3.

Alio loco rem benè explicat, quomodo sit, quòd mutando rem, vt reuelata fuit ab ipso, non mutet cōsilium, nec præscientiam in his conditionatis, nec si fiat pronunciatio ab aliquo Propheta, talis Propheta sit mēdax. Exemplū adducit ex 4. Reg. c. 20. ibi dicitur venisse Isaiā ad Regē Ezechiā, eiq dixisse: *Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* At Rex audita sententia mortis, orauit Deum, & fleuit fletu magno, cui concedit Deus quindecim annos vitę. Nunc Gregorius: Per Prophetam Dominus dixit, quo tēpore mori ipse merebatur, per largitatem verò misericordiæ, illo eum tempore ad mortem distulit, quod ante sæcula ipse præsciuit. Nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit, quo vir ille merebatur, nec Dominica statuta conuulsa sunt; quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque antè sæcula præfixum fuit; atque spatium vitæ, quod inopinatæ foris est additum, sine augmento in præscientia fuit intus statutum. Concluditque verum semper esse, quod dicit Iob: *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.*

Libr. 12. in Iob cap. 2.

Differentia istius duplicis reuelationis propheticæ non est essentialis; cum vtraque habeat pro obiecto formali diuinam authoritatem loquentem, & reuelantem, sed solum est ex parte obiecti materialis; eo quod aliter affirmatur, res futura in reuelatione comminationis, scilicet, sub conditione, vel in causa; aliter in præscientia scilicet absoluté, & in se. Vnde similis differentia solum est accidentalis; & materialis, sicut est reuelatio prophetica de præterito, præsenti, & futuro, ad quę se extendit ex sententia Diu. Gregorij, vt latè probat locis sacræ Scripturæ. Additque postquam dicit prophetiæ tempora tria esse, præteritum, præsens, & futurum: *sciendū est*, quòd in duobus temporibus prophetia ethymologiam perdidit. Quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præsenti, vel præterito loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit, quod venturum est, sed vel ea memorat, quę transacta sunt, vel ea quæ sunt.

Iob. c. 14.

S. Gregor. Hom. 1. in Ezech.

Est etiam differentia accidentalis, quòd reuelatio prophetica fiat per obiecta sensuum externorum, vel per imaginariam visionem, vel immediatè in intellectu. Istæ namque non mutant obiectum formale. De his agunt Isid. 7. Ethymol. ca 8. August. 12. de Genes. ad lit. ca. 7. & sequent. & D. Tho. 2. 2. q. 174. art. 1. ad 3. Eodem modo dicitur differentia accidentalis, quòd reperiatur in homine, vel Angelo bono, vel in Dæmone, qui etiā capax est reuelationis propheticæ, vt sentit August. 12. citat. c. 19. & S. Tho. q. 172. art. 6. quia talis differentia est ex parte subiecti tantùm, ac materialis.

Sciendum tamen est, quòd etiā Dæmon multa futura prædicit: Sic ex D. Chrysostomo docemur, ita quòd necessarium sit donū discretionis ad hoc discernendum. Explicans illa verba Apostoli: *Spiritum ne extinguatis, prophetias ne cōtemnatis*, ait: Multi apud Thesalonicēses, alij quidem verè, alij verò falsò prophetabant. Hoc & in ea quæ ad Corinthios est, dicit: Discretio spirituum propterea data est. Scelestus enim diabolus volebat, per hoc ipsum donum totū negotium Ecclesiæ euertere. Quoniam nanque vtrique de futuris prædicebant, & dæmon, & spiritus: sed ille falsa, iste quæ vera erant dicēs, & non poterant aliunde veritatis iudicium sumere, impunè autem vtrique prophetabant, quemadmodū, & Hieremias, & Ezechiel, & dumtaxat tempore prædicto aduentante depræhendebantur, dedit Deus discretionem spirituū. Propterea inquit Apostolus omnia probate, idest, quæ veræ sunt prophetiæ. Hæc ille. Lege Hugonē, & S. Bernardum de modo benè viuend. ser. 68.

Ad Thesa. 1. cap. 5. S. Chrysost. ibi hom. 11. 1. Cor. 12. Hug. de S. Vict. lib. 2. de anim. c. 16.

Laudat Deus Episcopum Ephesi (eritque doctrina ad examinandas reuelationes propheticas satis necessaria, & vtilis) dicens: *Scio opera tua tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & inuenisti eos mēdaces.* Vbi Ricardus: Sunt, qui intra sanctam Ecclesiam boni videntur in manifesto: sed mali sunt in occulto, & foris monstrāt sanctitatis speciem, sed intus non habent sanctitatis veritatem. Quorū malitia tantò nonnumquam pernitiosius lædit, quantò occultior existit, & quantò minus potest cognosci: tantò difficilius potest vitari. Horum prauam debemus vitam diligenter inuestigare, & examinare, & eorum occultam malitiam, nisi se corrigant, omnibus propalare: vt quātò manifestius agnoscitur, tantò melius caueatur. Debemus ergo huius exemplo doceri, non solū apertè debellare, sed & fictè bonos diligenter tentare, & comprobatos si corrigi vellint, corrigere. Si non alijs ad cautelam ipsorum prauitatem detegere. vtrumque enim rector Ecclesiæ Ephesi laudabiliter adimpleuit, qui & malos sustinere non potuit: & eos, qui se dicebant Apostolos esse, & non erant, tentauit, & mendaces inuenit, non solum lingua, sed etiam vita. Nō solum prædicationis falsitate, sed etiam simulatione iustitiæ. Sic Ricardus, comēdat nos zelus domus Dei.

Apoc. c. 2. Ric. Victo. lib. in Apocal. c. 5. p. 2.

CAPVT II.

Quæ reuelatio prophetica sit cum certa intelligentia reuelantis, & rei reuelatæ, & quæ non.

SVpponimus, quòd diuinæ reuelationes, etiam propheticæ, non solum fiunt à Deo, quia necessariæ sunt ad fidei confirmationem, & argumentum, quamuis ob hoc motiuum fierent in primitiua Ecclesia, & magis frequentia, sicut miracula, quia necessaria ad fundandum Euangelium, & ideo erat frequentius communicata gratia discretionis spirituum, de quo Chrysostomus; sed etiam fiunt reuelationes, & factæ sunt, vel ad directionem morum fidelium (de quo plura in Teath. vit. huma. verb. Prophetia,) vel ad demōstrandam sanctitatem alicuius, quem Deus proponere vult hominibus in exemplum virtutis, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 178. art. 2. in corpore. Hac de causa diximus dari veras reuelationes priuatas tractatu præcedenti.

S. Chrysost. hom. 19 in 7. Matt.

Etiam supponimus, quòd secundùm communem opinionem, donum prophetiæ communiter nō datur per modum habitus, sed per modū actus transeuntis. Vnde in sacra pagina explicatur per actualem Dei locutionem. *Factum est Verbum Domini. Locutus est Dominus. Manè erigit mihi aurem, vt audiat quasi magistrum.* Isai. 50. Atq; adeo non est in potestate prophetæ occulta omnia cognoscere, & prædicere, cum voluerit, vt cōstat ex sacra Scriptura. Samuel non cognoscebat, quem ex filijs Esai Deus elegisset, donec præsente Dauid, sensit interius propheticum spiritum, 1. Reg. 10. Natham ignorabat, quidnam Deus statuerat de ædificatione templi. 2. Reg. 7. Eliseus fatetur *Dominus cælauit à me, &c.* 4. Reg. 4. Hinc solus excipitur Christus, qui habuit omnes gratias Spiritus Sācti, ac donum prophetiæ per modum habitus; At in alijs solum manent ea dona, quæ ad vitæ sanctitatem necessaria sunt. Sic P P. vnde S. Thom. suprà q. 171. art. 2. in corp. ait: *Sicut aer semper indiget noua illuminatione, ita etiā*

mens

mens prophetæ semper indiget noua reuelatione: Sicut discipulus, qui nondum est adeptus principia artis, indiget, vt de singulis instruatur. Hoc facit Deus, & ex magnę pietatis dispensatione disponit (inquit Gregorius:) *Quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit: prophetantium mentes, & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt & accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint, & rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid sint de se ipsis.*

D. Gregor. lib. 2. dial. cap. 21.

Reuelatio prophetica perfecta est cum certa intelligentia reuelantis, & rei reuelatæ, ita vt illam recipiens potest certum iudicium facere, Deum esse, qui reuelat, ac certè scit rem reuelatam futuram. Ratio est, quia lumen propheticum est verum lumen intellectuale illustrans mentem prophetæ, omne autem lumen datur ad iudicandum de obiecto illustrato, & cùm sit lumen supernaturale, non potest subesse falso, sed certificat de reuelante, & re reuelata. Vnde eadē certitudine, qua Prophetæ affirmant res sibi reuelatas, affirmant etiam Deum sibi reuelasse, veluti cùm aiunt: *Sermo Domini, qui factus est, &c. Aut, in veritate misit me Dominus ad vos.* Ierem. 26. & similia. Alioquin si de hoc certitudinem non haberent, fides quæ innititur dictis Prophetarum certa non esset, vt benè Augustin. 12. in Gene. ad lit. & S. Thom. quæst. illa 171. art. 5. Constat etiam à simili de fide nostra: nam impossibile est credere res fidei certas esse, nisi credamus, certè à Deo dictas fuisse. Lege dicta cap. præcedenti.

Reuelatio autem prophetica, quæ dicitur imperfecta, & per instintum, non semper est cum intelligentia reuelantis, & rei reuelatæ. Constat, quia Caiphas habuit reuelationem, & prophetauit: & nec cognouit Spiritum Sanctum reuelantem, nec rem reuelatam. Dicit Euangelium: *Prophetauit, nesciens quid diceret.* Idem est de ministris diuidentibus vestimenta Christi, qui non intelligebant quid significabat, nec spiritum diuinum. Vnde S. Thom. q. 174. artic. 4. corp. ait: *Sciendum, quod quia mens prophetæ est instrumentum deficiens, etiã veri prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.* Plura ex sacris Scripturę locis congerit ad hoc S. Gregor. hom. 1. in Ezech.

Bibl. Max. in c. 1. Ion.

Denique reuelatio comminationis & conditionata nō venit semper cum intelligentia rei reuelatæ. Diuina reuelatio fuit illa Ionæ: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Non autem venit, cum intelligentia euentus; nam iudicauit Propheta esse absolutam, & non conditionatam. Dicendum (ait N. Ioan. de la Haye) quod Ionas sciebat, quod prolatio verbi Prophetici magis sequitur formam diuinæ voluntatis, quam humanæ, sicut patet numer. 22. de Balaam, qui volebat maledicere populo Israel, & contrario benedicebat. Propterea videns, quod nō secuta esset subuersio ciuitatis, contristatus est, & mortem petiuit. Hinc patet non fuisse ei reuelatam conuersionem Niniuitarum per pœnitentiam: & quod comminatio erat, si nō egissent pœnitentiam, iuxta illud Ieremiæ: *Loquar,* ait Deus, *aduersus gentem, vt disperdam, & dissipem, &c. Si autem pœnitentiam egerit gens illa de peccato suo, agam, & ego pœnitentiam.* Vide S. Bonauenturam, & Ricardum.

Ierem. 18. S. Bona. de propheci. Relig. c. 76 Ric. Victor. li. 4. Beniamin. c. 12. & lib. 5. c. 1.

Ex dictis colligitur, quòd quando aliquis sanctus, dixit aliquid spiritu prophetico, siue comminando, siue promittēdo, quamuis quod comminatur, vel promittitur, nō illicò eueniat, nec prophetia, ideò est falsa, nec sanctitas prophetæ suspecta. Rationē dat S. Thom. q. 171. artic. 6. ad 2. quia prophetia est quædam participatio diuinæ præscientiæ, quæ attingit futura, prout sunt in suis causis, & prout sunt in se ipsis, & sic sicut præscientia Dei, semper est vera, ita & prophetia; & ita aliquando prophetatur futurum, secundum inclinationem causarum, & tunc aliquando euenit aliter, quam prophetatur: nec tamen prophetię subest falsum: nam sensus illius est, quòd inferiorum causarum dispositio, siue naturalium, siue humanorum actuum habet, vt talis eueniat. Ponit exemplum in Iona, & in morte Ezechiæ. In illo merita merebantur subuersionem Niniue, in isto dispositio corporis ad mortem inclinabat. Sic S. Bernardus, spiritu prophetico prædixit victoriam contra Mahometanos in restitutione Terræ sanctæ, & non euenit, sicut prædixit, & tamen illi prophetiæ non subsit falsum, quia

id dixit secundùm inclinationem, & ordinem, qui tunc erat causarum inferiorum. Voluntas enim diuina licet sit causa vniuersalis, nō excludit in his causas secundas, imò eis se accommodat. Lege Abulensem in 3. Reg. cap. 13. q. 1. 16. Et Bern. lib 2. de consid. cap. 1. vbi quasi se purgat, & benè de sua reuelatione eodem fundamento.

Secunda ratio est, quia aliquæ reuelationes sunt ambiguæ. Legimus filiam Principis mortuam fuisse: *Domine filia mea modò defuncta est*, & tamē dixit Christus: *Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit*. (Matth. 9.) Libr. 4. S. Birgittæ cap. 4. dicitur, quòd cùm pro salute infirmæ deprecaretur, Christus Dominus respondit: *Non morietur ista infirma, quia placent mihi opera sua.* Diuulgauit Birgitta sententiam, quod infirma non moreretur, quia Christus reuelauerat. At mortua fuit, & mœrēti sanctæ apparuit ei Deus, dicens: *Ne turberis, verum est, quòd dixi tibi, non est mortua; verum est, nā separatio animæ, & corporis iustorum, non est nisi somnus*. O quanta scientia, discretione, & experientia pollere debent, qui alios in via Dei regunt, ne facilè reprobent similes prędictiones, nec imprudentèr permittant promulgari, sed spectent euentum futurum cum silentio, vt docet Bernardus serm. 4. in Cant. ne vituperetur verbum Dei, & virtus patiatur ignominiam.

Restat tandem notandum secundū D. Gregorium, quòd aliquando Prophetæ sancti, dum consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hęc ex prophetiæ spiritu dicere, suspicantur: sed quia sancti sunt, per Spiritū Sanctū citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt, & semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt. (S. Gregor. Mag. hom. 1. in Ezechiel.) Adducit historiam de Natham, qui interrogatus a Dauid de templo, quod construere volebat, respondit Propheta: *Omne quod est in corde tuo, vade & fac, quia Dominus tecum est*. (2. Reg. 7.) At nocte illa reuelauit Natham Deus, quòd Dauid non erat ędificaturus templum, sed eius filius Salomon. Sicque quod ex spiritu suo dixerat, falsum fuisse deprǣhendit. Lege Diu. Thom. quæst. citata 171. artic. 4. videant, qui nimia credulitate consulunt de rebus futuris, ac secundum responsa personarum spiritualiū dirigunt suos actus morales, sine hæsitatione, an vera sint, vel falsa.

CAPVT III.

Quid sit extasis, & quotuplex.

EXTASIS est eleuatio mentis in Deum cum abstractione à sensibus. Conueniunt omnes. Dicitur eleuatio mentis in Deum, quia formalissimè est oratio. Cum abstractione à sensibus, quia hoc requiritur, vt sit extasis. Tunc manet homo sine vsu sensuum, ita vt neque audiat, nec loqui possit, nec sentiat ignem sibi cōiūctum, sicque manet in vsu aliorum sensuum externorum. Ratio est, quia anima limitatæ est virtutis, & ita eleuatur fortiter diuina luce, vt absorta non possit concurrere ad actus sensuum externorum, sine cuius concursu nequeunt operari circa sua obiecta, licet approximata sint. Tunc anima totam suam vim applicat ad interiores actus, ex quo sequitur extasis. Itaque duo includuntur, & vehemens occupatio interior supernaturalis, & abstractio ab vsu exteriorum sensuum.

Interior occupatio est ex parte contemplationis, & ex parte amoris ex illa secuti. De amore agit Bonauentura dicens. Amor in Deum tendens, est faciens extasim spiritus, & reddit rationem Dionysius inquiens: Quia amor non permittit amatores esse sui ipsorum, per mentis sobrietatem, sed eorum qui amantur per mentis excessum, sed illi qui sunt aliorum, extra se sunt. Quia sicut dicit Bernardus: Non est præsentior noster spiritus vbi animat, quàm vbi amat. Quod tamen intelligendum est, de quantum ad conatum affectus. Hunc excessum non potest facere, nisi charitas perfecta, quæ per fortem inclinationem causat tendentiam vehementem in rem amatam, quod ostendit Dionysius ibidem per exemplum, dicens. Vndè B. Paulus in amore Dei magnificè excellens ait: Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Christus. (Galat. 2.) Hoc autem dicit verus amator, & extasim passus. Hęc ille. Super eundē Dionysiū ibi obseruat S. Maximus quomodo ex hoc loco intelligitur, quòd

N. Henr. Harph. lib. 3. mystic. Theol. ca. 3. p. 5.
S. Bon. itiner. 4. aeternit. dist. 4. art. 4.
S. Dionys. Areop. c. 4. de diuin. nomin.
S. Bern. de precept. & dispens. ca. 27.

quòd Apostolus 2. Cor. 13. ait: *Siue excedimus Deo*, scilicet, intelligitur, sicut Dionysius accipit de amore extatico, *Viuo ego*, & de eodem amore extatico intelligit Maximus illud, Psal. 115. *Ego dixi in excessu meo*, idest, in amore meo extatico. Lege S. Diadochum de perfect. spirit. cà. 14. De isto amore extasim faciente agit etiam D. Thom. 2. 2 q. 175. art. 2.

In hoc felici statu etiam superfluunt exercitia sensuum externorum, quia anima facta est hæroica, & diuina, atque per ardentissimam diuini amoris effigiem flammigeram increatæ luci vnita, ac per mysticam Theologiam in Deum absorta. Quamuis autem intellectus, & voluntas operantur, iam concurrunt ad suos actus, vt diuinæ, ac deiformes, & altiores se factæ. Sicut ferrum in ignem missum, quasi totum fit ignis, & velut extaticus à suo modo, & qualitatibus naturalibus, licet non à sua natura, sic anima eminentia contemplationis, & amoris. Abstracta ab vsu sensuũ externorum. Idem sentiunt plures graues Doctores de vsu sensuũ internorum, propter idem fundamentum. Ita Abulens. Genes. 13. quæst. 400. & sequentib. & Paradox 3 cap 46. Gers. sic loquens: *Mens, ita in suo actu suspensa est, quòd potentiæ inferiores cessant ab actibus suis:* Sicq; nec imaginatio, nec sensus exteriores possunt exire in suas proprias operationes. Extasis in sola mente fit, & actus interiorum potentiarum, non solum debilitat, sed tollit funditus, quamdiu durauerit. Probat exemplo D. Pauli in raptu, qui posteà nescierit, an in corpore, vel extra corpus fuisset, quòd denotat cessasse mentem ab vsu omnium potentiarum inferiorum: alioquin quomodo Paulus nescisset, an in corpore, an extra corpus fuisse. Sic Gerson fauet D. Thom. citat. art. 3. ad 1 & art. 4. & q. 13. de verit. art. 3. ad 10.

Gerson. de myst. Theolog. specu. consid. 36. p. 3.

Aliis tribus de causis fit extasis, vt testatur D. Bonauentura; nimirum, per magnitudinẽ deuotionis, per magnitudinẽ admirationis, per magnitudinem exultationis, quasi ita explicat, per magnitudinẽ vt mẽs se ipsam non capiat, & supra se ipsam eleuata in alienationẽ trãseat, quando tota igne cœlestis desiderii succẽditur, & amoris intimi flamma vltra humanum modum excrescat, quæ animam ad ceræ similitudinẽ liquefactam, in se ipsa deficere faciat ad instar fumi aromatum, in superna eleuet, ad summã patriam emittat, & tum cum Propheta exclamat: *Defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* *Psalm. 72.*

S. Bona. de perfect. vit. ad soror. c. 5.

Per magnitudinem admirationis, quando diuino lumine mens irradiatur, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tunc vehementer concutitur stupore, vt à suo statu funditus excutiatur, & in modum fulguris coruscantis, quantò profundius pro despectu suæ visę pulchritudinis respecta in ima deiicitur, tantò sublimius, tantòque celerius per summorum desideriorum ardorem releuata, & super se ipsam rapta in sublime eleuatur, & tũc cogitur clamare cum Esther: *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ, Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* *Esth. 15.* Præ multitudine exultationis, quando intima illa internæ suauitatis abundantia potata. Im ò plenè inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscatur, & insuper mundanum quendam affectũ sub quodã miræ fœlicitatis rapta transformatur, & tunc cogitur clamare, & dicere illud Prophetæ: *Quam dilecta tabernacula tua Domine Virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* *Psalm. 83.* Hucusque S. Pater. Lege Ricardum, qui latè idem tenet, & prosequitur, lib. 5. de cont. per nouem capita à capit. 5.

Triplex est extasis. Primo fit in imaginatione, quãdo occurrũt species sensibiles in phantasia: Secundò, in ratione per species purè spirituales: tertio, in spiritu, & scintilla mentis altiori modo. Ita Gerson citatus, consid. 37. 38. 39. Atque adeo fit in tribus animę cęlis, prout Deus vult, sicut diximus de gradibus contemplationis. Hinc sequitur, quòd extasis pertinet ad omnes status animarum spiritualiũ. Quãdo fit ex intuitu rerum visibiliũ media phantasia, pertinet ad principiantes viæ purgatiuæ supernaturalis: quando euenit absq; concursu imaginationis per species spirituales, attinet ad viros eleuatos in via illuminatiua supernaturali: quando autem fit simplici intelligentia in caligine ad perfectos in via vnitiua supernali.

Notent hoc rectores animarum, vt sapienter sciant, quòd extases patientes, & mentis excessus, non ideo sunt heroicæ virtutis, nec sancti, quia sanctitas, & perfectio consistit in abnegatione sui ipsorum, & sequella Christi per exercitium omnium virtutum, vt dictum est supra de visionibus, & reuelationibus diuinis. Immò nec viri perfecti, quàm plurimi extases habuerunt. Ratio est manifesta, nam multoties nō oritur extasis ex nobiliori contemplatione, & amore, sed ex imbecilitate potentiarum, quæ quia non sunt perfectè purgatę, deficiunt, admirantur, & stupescunt. Tùm etiam, quia deficit experientia diuinarum communicationum, ex quo oritur admiratio extatica. Non ita in viris expertis, secundū illud axioma philosophicum, ab assuetis non fit passio. Regina Saba, videns sapientiā Salomonis, & magnitudinē domus, &c. *Non habebat vltra spiritū.* At serui, & ministri Regis, qui quotidie videbāt non erant extatici, & sine spiritu. Aliquibus denique concedit misericors Deus, hāc gratiam adhuc imperfectis, vt ad perfectionem adducat. Adhuc Paulus blasphemus raptus fuit vsque ad tertium cęlum extasim passus. Vnde Ambrosius: *Paulus raptus est ad vitam, qui antè erat persecutor ad mortem.* Sic in principio nascentis Ecclesiæ signa, & miracula erant necessaria, quibus fides tenera fidelium introduceretur, & nutriretur, quia, vt inquit Gregorius, *Nos cùm arbusta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam coaluisse videamus, & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim, quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* Prosequitur de virtutibus animæ, quas maiora miracula appellat, aitque: *Corporalia miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Spiritualia verò, quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Vnde de quibusdam veritas dicit: Multi mihi dicent in illa die: Domine, Domine, nōne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus; & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non noui vos: discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

3. Reg. 10. 2. Cor. 12. S. Amb. in Ps. 36. vers. Non confundentur. S. Gregor. Mag. hom. 20. in Marcum. 16. 1. Cor. 14. Matth. 7. Psalm. 6.

Scire tamen oportet, quòd dæmon potest etiam facere extases media imaginatione per species corporeas, & impediendo medijs qualitatibus vsus sensuum externorum. Multa dicunt de hoc exemplis practicis aliorum Vierus lib. 2. cap. 28. de præstig. dęm. Bodinus libr. 2. Dęmono man. cap. 5. & Cardanus lib. 8. de vari. rerū, cap. 43. Pro his discernendis vide regulas pro visionibus, & reuelationibus, discernendis, tractatu præcedenti traditas.

CAPVT IV.

Aliquando ex vi contemplationis, & amoris, sequitur naturaliter alienatio sensuum externorum.

QVando contēplatio, & amor sunt vehementes, ex illis naturaliter, seu connaturaliter sequitur extasis quoad suspensionem sensuum externorum. Itaque licet hæc ipsa suspēsio, & extasis inter dona gratię computanda sit, quia reuera sequitur ex efficacia gratiæ, tamen connaturaliter sequitur ex priori gratia, suntque duę gratiæ inter se connexę, ita vt vna ab alia naturaliter dimanet, & sit quasi gratia pro gratia. Sic sentit Diu. Thom. 2. 2. q. 175. art. 2. Vbi hanc vim extasim faciendi maximè videtur attribuere vehementiæ affectus. Addit autem in solutione ad secundum, vehementiam affectuum causare extasim, quatenus causat excessum cognitionis, quo mēs ad intelligibilia vehementer rapitur alienata à sentibus. Idem Abulensis in Genes. 13. q. 400. 401. & 402. & Paradox. 3. q. 46. Gerson. de myst. Theolog. specul. consid. 36. ac Molin. 1. p. q. 12 art. 11.

Ratio à priori est illa, quia virtus animæ est limitata, & per contemplationem, & amorem, ita absorta, inebriata, & ad vnum collecta, vt nequeat ad externas functiones descendere, eleuata, & applicata in superioribus ad Deum efficacibus, ac nobilibus operationibus. Maximèque viget hæc ratio in schola Doctoris mei subtilis Scoti, quæ defendit, intellectum, & voluntatem per propriam virtutem concurrere in genere causę efficientis, actiuè etiam ad actus visionis, & amoris in patria, eleuatæ

istæ

istę potentiæ per lumen gloriæ, & charitatem prius. Ex qua opinione magis videtur exhauriri virtus potētiæ, eiusque actiuitas in vehementi contemplatione, & amore. Experientia etiam constat in his spiritualibus viris, qui extases patiuntur alienati omninò ab vsu sensuum exteriorum: ad quod non est necessariò multiplicare miracula sine necessitate, cùm naturaliter fiat iuxta exigentiam naturæ.

Imo sentiunt plerique hoc posse fieri ex vi naturalis contemplationis, etiam si sit per solam speculationem sine affectu. Cayet. in 2.2.q.175. circa art. 1. ad 1. Masilius Fisinus lib. 13. de immortal. anim. cap. 14. De Trismegistro, Socrate, & Platone ferunt in contemplatione rerum diuinarum solitos fuisse suspendi extaticos. Alia refert Gerson. Hæc autem nec diuinæ gratiæ supernaturali cum fundamento tribuere possumus, nec facilè sunt Dæmonis operationi adscribenda, quia licèt non sit dubium, quin possit Dæmon hoc modo sensus ligare, vel obstruēdo vias spirituum animalium, vel omnes illos spiritus in phantasia retinendo, tamen vbi non apparent signa, vel effectus operationis diabolicæ, non opportet Dæmoni tales effectus semper adscribere. Ratio est, quia si anima totam suam vim, & attentionem colligat ad interiores actus, tunc virtus eius naturalis, ita occupabitur, vt sensibus externis non attendat, nec spiritus necessarios ad sentiendum ministret. Multò magis à fortiori erit in contemplatione supernaturali, & amore, vbi est fortior diuinus influxus, obiectum nobilius, & operationes robustiores, imo potentissimæ.

Gers. opusc. de mont. cont. c. 34 Alph. 74. lit. Q.

Propter idem fundamentum sentio, sequi naturaliter extasim sensus imaginationis, & phantasiæ. Tum etiam, qui ex Doctrina D. Thomæ 1. p. q. 84. art. 7. ad 2. quando intellectus naturaliter operatur, secum trahit phātasiam propter colligationem vtriusque potentiæ in eadem anima. Vnde si attentio intellectus est vehemens, & supernaturalis, consequenter fortius rapiet illam, & relinquet absque operatione sua sensibili.

Hinc sequitur, quòd sicut fuit miraculum in Christo fuisse Beatum, & simul mortalem, & passibilem, quia Deus miraculosè suspendit à beatitudine communicationem gloriæ corpori, quæ naturaliter sequitur ex vi beatitudinis ipsius, secundum quam corpus redditur immortale, & impassibile; ita fuit miraculum vti sensibus, nam ex vi altissimæ contemplationis, & vnionis necessariò sequenda erat extasis propter dicta. Idem dicendū est de hominibus beatis, nimirū naturaliter sequi extasim à sensibus ex vi beatitudinis, sed quia operatio sensus spectat ad beatitudinē corporū, Deus speciali cōcursu cōcurrit confortādo sensus, vt suas operationes elicere valeant, qui concursus est debitus ex vi status beatifici; aliàs extaticos manere necessum erat, vt insinuat D. Thomas loquens de his qui in hac vita Deum viderunt: *Sicut* (ait) *Deus miraculosè supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam, & supernaturaliter, & præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viuentium, sed non sensibus carnis vtentium, vsque ad visionem suæ essentiæ eleuauit.* Abulensis inquit: *Ideo raptum fuisse Paulum, quia non poterat videre Deum, & sensibus vti.* Nota

S. Tho. 1. p. q. 12. art. 11. ad 2.

Abul. 2. lib. Paralipo c. 1. q. 18.

Idem Abulensis affirmat, quòd in extasi perfecta, omninò impeditur virtus vegetatiuæ potentiæ ex eodem fundamento, quia, scilicet, operationes huius potentiæ sunt vitales, & pendent ex actuali influxu animæ, atque adeò potest esse tanta attentio animæ ad superiores, & supernaturales operationes, vt ab his infimis omninò suspēdatur. Confirmatur aliquibus experientijs, vna, & quotidiana est, quia ex nimio studio, oratione, vel attentione mentis, videmus impediri nutritionem, & digestionem, saltem, vt debilius, & remissius fiat; poterit ergo ita crescere attentio mentis, vt totaliter illa opera impediat. Altera est, quia solet homo in extasi multis diebus esse sine cibo, & potu; interdum videtur esse absque motu cordis, cessante pulsu, imo vix in eo deprænenditur calor vitalis, sed quasi mortuus appareat. Lege Gerson considerat. illa 36. S. Tho. art 2. ad 2.

Suarez autem contrarium tenet, quia opera vegetatiuæ potentiæ exercentur per qualitates omninò materiales proximè, & a[...]tes necessariò alteratione materiali [...] quoad hanc partem impediri n[...] possunt per con-

Suar. de relig. lib. 2 c. 18. to. 2.

contemplationem: quia illa actio non pendet ex attentione ipsius animæ, sed ex solis qualitatibus. Atque quatenus illa actio iubatur per actiones spirituum, & per vitales operationes animæ attrahendi, expellendi, distribuendi, &c. Sic multum posse impediri per actus contemplationis. Addit, quod quidam dicunt, talem posse esse vim contemplationis, vt animam realiter à corpore separet, naturaliter contingere nō potest, nisi per diuersum tempus, ita materialiter alteretur corpus, vt dispositionem necessariam ad vnionem cum anima amittat: Supernaturaliter autem fieri à Deo potest, non tamen ex vi contemplationis solius, nisi corpus etiā immutetur, vel Deus aliquid supernaturale adiungat. Quod autem quidam dicunt, virtute Dæmonis fieri, vt in raptu anima realiter separatur à corpore, & postea iterum vniatur, commentitium est, & contrarium veritati fidei, quæ docet solum Deum posse animam à corpore, semel separatam iterum illi vnire.

CAPVT V.

Quid sit raptus.

RAptus idem est in substantia, quòd extasis, de qua cap. præcedenti; solum addit suprà illam quandam violentiam, vt sentit S. Thomas. Vnde excessus iste mentalis fit vehementiori modo, ac fortiori, quàm in extasi; sicque rapitur mens ab vsu sensuum vehementissimè, & absoruetur à luce diuina citissimè, & in Deum transformatur, eique vnitur potenti, & veloci vnione; & hoc dicitur quædam violentia, quia est contra modum naturalem operandi hominis.

S. Th. 2. 2. q. 175. art 1. corp. & in disp. q. 13. de rapt. art. 1

Ceterum similis violentia non est violentum rigorosum. Ratio est, nam violentum rigorosum ex Aristotele 3. Etich. c. 1. illud dicitur, cuius principium est extra, nihil conferente eo quod vim patitur, vt quando lapis sursum mittitur contra naturam suam grauitatis, ad quem motum nullam confert vim lapis: At in raptu anima concurrit per intellectum effectiuè ad contemplationem, & per voluntatem ad vnionem media eleuatione supernaturali, sicut patet in beatis. Non ergo raptus, est violentum quid proprium; & in rigore ex hac parte.

Tum etiam ex parte termini, qui Deus est, contemplationis, & vnionis ad quem Deus creauit hominem. Vnde Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Tum denique ex dignitate animæ, pertinet namque ad dignitatem hominis, vt ad Deum eleuetur, quia factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quam dignitatem respicit Deus, sua gratiaque eleuat eum ad hos actus supernaturales supra vires suas, non autem contra eius naturam; atque adeò raptus non est contra naturam suam, imo iuxtà suam dignitatem, quàm Deus ipse seruat impermixtam, licet eleuatam in ordine supernaturali, prout congruit naturæ spirituali cum gratia adiutæ, & supra facultatem suam eleuatæ, sed non contra eam. Sic intelligitur D. Dionysius, inquiens: *Omnia enim diuina iustitia ordinat, & determinat, omniaque ab omnium mixtione, & confusione libera seruans, cuique conuenientia rebus omnibus tribuit. pro- vt cuiusque congruit dignitati.* Et infrà dicit, quòd diuina iustitia laudatur quia: *Propriam cuiuscumque rei puram ab aliis essentiam, ordinemque conseruet, nec non vera causa sit, vt actionem quæque suam vniuersa prosequantur.* Vbi S. Maximus scholiat: *Propriam operationem appellat motum illum, qui cuilibet naturæ proprius est.* Idem ait Pachym.

S. Aug. li. 1. conf. 1.

S. Dionys. Areop. c. 8 de diuin. nomin.

Natura igitur raptus est, vt velociter, ac potenter eleuet mentem supra se in Deum. Iuxta eius dignitatem, licèt per gratiam, sicut siquis ascenderet schalam motu ordinario, & à virtute alia celerrimo motu in summo schalæ collocaretur. Huius generis raptus fuit ille Ezechielis: *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritu inter terram, & cœlum, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei.* Non enim fuit corpore eleuatus, nec ab eo loco translatus, sed in spiritus intelligentia illustratus per collectionem cogitationum mentis, quæ sparsæ multoties impediunt, vt explicat D. Gregorius. Inter terram, & cœlum raptus fuit, quia auulsus fuit à modo operandi per sensus, & visio Dei

Ezech. c. 8

S. Greg. Mag. li. 31 in Iob. c. 7.

Dei facta est in spiritu. Talis etiam fuit raptus Pauli, quando dixit: *Scio hominem raptum esse vsque ad tertium cœlum*. 2. Cor. 12. Addēs se nesciisse an in corpore, an extra corpus fuisse, denotat ignorasse modum, quo anima eleuata fuerit, & quòd raptus est sine dependentia phantasmatis, quia in tertio eius mentis cœlo, ac in spiritu.

Extant alia exempla in historijs religionum, & alijs, in quibus legitur viros, & fœminas iustas plures raptus habuisse, & tali vehementia, vt supra terram in aere corpora extetisse. De S. P. N. Francisco, multa S. Bonauentura. In chronicis legimus socium suum fidelem Fr. Leonem inuenisse in aere raptum, cuius pedes brachijs amplexatus lachrimis deuotionis internæ osculabatur, in hisque deuotis osculis dulcedine diuina fruebatur mens Fr. Leonis. Multoties autem raptus B. P. Franciscus, visus est eleuatus supra cacumina arborum sublimium ab eodem socio: Aliquando autem ita, vt penè posset visus terminare corpus præ summa altitudine raptum. In his casibus communicatur corpori aliquid de dote agilitatis. In principio raptus iste extaticus venit cum timore, & formidine corporis (vt experti affirmant) quia eleuatur in regionem penitus ignotam, & illi peregrinam contra naturam suam grauitatis. Propter eandem rationem etiam anima patitur timorem, & quia à sensibus abscinditur in operationibus suis: postea verò per consuetudinem cessat timor, & formido.

S. Bon. in legen. c. 10

1. p. Chron. li. 1. c. 83.

Notat autem S. Bonauentura, quòd ante raptum duplex ebrietas spiritus antecedit. Prima est quædam abundantia iucunditatis in corde, & vehemens iubilatio mentis, quæ post multum fluxum, aut considerationem passionis Christi, aut per magnum feruorem amoris singularis in Deum venit, ex quadam noua influentia, & diuina iradiatione in mentem. Et illa lętitia tantum abundat in corde, vt etiam in membra corporis redundet, & illa faci t diuinæ clementiæ arridere, & præ exultatione nimia ad modum ebrij graditur quietem non sustinens, & creaturas, quas inuenit, sui creatoris amoris magnitudine amplexatur.

D. Bon. 3 p. [illegible] c. 6.

Secunda ebrietas est, quæ nimia dulcedine replet cor ex diuino consortio. Hæc venit per contemplationis quietem, & in tantum abundat dulcedo in corde, vt redundet ad omnia membra abundè, adeò vt totus sibi tam interius, quàm exterius mellifluus videatur. Et sicut prima ebrietas præ hilaritate quietem non sustinebat, sic, & ista præ nimia dulcedine quiescere facit. Et quamvis prima sit intensione lętitiæ, & illa intensione dulcedinis: tamen non opportet dubitare, quin illa sentiat dulcedinem, & ista lętitia non priuetur. Et quamvis non sit necesse timere de prima, sed potius sit gaudendum, tamen de secunda, quæ consistit in quadam admirabili dulcedine cordis, semper securum est dubitare, quia diabolus transfigurat se in Angelum lucis, & consueuit aliquando similia procurare. Vellet enim quòd homo superbiret, & se aliquid reputaret, vt talibus delitijs frueretur, vt sic ibidem quiesceret, & à Deo auerteretur. Ideò summa diligentia attendendum est, vt quandocumque acciderit talis delectatio, aciem mentis in Deum dirigas, nec ab ipso cor tuum discedas. Et si delectari opporteat, solum delecteris in Deum. Hæc ille.

2. Cor. 11.

Imo sola ista delectatio est propria diuini raptus, nam vt dicit Bernardus: *Delectatur* (anima) *de Deo in Deum, cum eius decorem contemplatur, O quam iucundum sentitur, si non esset tam modicum raptum!* Quomodo autem remaneat mens post raptum, sic depingit: *Cùm ibi stare diutius conatur, subito labitur, & rediens ad se, nulli potest intimare quod vidit supra se, sed agnitione suauitatis illectus, gustatæ dulcedinis suauitatem, & illam cœlestem infusionem lætitiæ spiritualis intra semetipsum miratur. Reuoluit etiam in corde suo tacita mente incorporeæ lucis claritatem, & intimæ sacietatis saporem, & illud internæ quietis secretum, & summæ tranquilitatis arcanum.* Vide Dionysium Richelium de Font. Luc. art. 28.

S. Ber. in ter. dom. c. 18.

Audiamus D. Bonauenturā de substantia, & effectibus cuiusdam raptus, quem passus est: O amantissima vulnera Domini nostri Iesu Christi (inquit!) Nam cùm quadam vice oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicque nihil aliud videns cœpi ingredi, manu palpans, do-

S. Bon. p. 1 stim. amor. c. 1

donec perueni ad intima viscera charitatis suæ, quibus post vndique circumplexus reuerti nequiui. Ideòque ibi in habitu, & quibus vescitur cibis, vescor, ac inebrior suo potu. Ibi tanta abundo dulcedine, vt tibi non valeam enarrare. Et qui prius fuerat pro peccatoribus in vtero virginali, tunc dignatur me seruum suum intra viscera sua comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus eius, & ab illis deliciis excidat, quibus fruor. Sed certè, & si me peperit, debebit sicut mater me lactare vberibus; leuare manibus, portare brachijs, osculari labijs, fouere gremijs. Hucusque S. Pater. In quibus verbis ostendit altissimam contemplationem, & vnionem raptus; ac admirabiles effectus timoris filialis, & fiduciæ in Deum.

Constat ex dictis raptum fieri ex vi contemplationis in intellectu, & vnionis in voluntate; & confirmat Bernardus, & explicat sic: *Cùm enim sint duo contemplationis beatæ excessus in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sanè affectus: & pectus amore calescens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam, & vehementi spiritus repletus zelo, non planè aliundè quàm è cella vinaria reportatur.* Causæ raptus eædem sunt, ac extasis, scilicet, magnitudo deuotionis, admirationis, & exultationis. Deindè sicut extasis ad tres status vitæ spiritualis attinet, ita, & raptus. De quibus capite præcedenti actum est: sicut quòd non sit argumentum semper maioris sanctitatis.

S. Bern. ser 49. in Cant.

Cant. 2.

Scire tamen opportet, quòd in raptu manet homo per tempus à Deo prædiffinitum. Aliquando per diem integrum naturalem, aliquando per tres, vt habemus exemplum in famula Dei Ioanna à Cruce. Aliquando apparet facies formosissima, tanquam index charismatum diuinorum mentis. Aliquando apparet palida, & tristis, & quasi cum signis mortalibus ex agonia interiori animæ, propter aliqua pericula, vel labores magnos, quæ intus repræsentantur, & imminent propheticè patienda. De his omnibus patet in legenda eiusdem famulæ Dei Ioannæ à Cruce. Itaque in his non est terminus præfixus; est tamen, quòd in raptu, & in extasi corpus semper seruat honestatem, & nihil agit contra illam, imo manet honestissimè compositum, quòd est argumentum veri raptus, & extasis à diuino spiritu procedentis, & nihil inordinatum operantis. Hoc non euenit quando à Dæmone procedunt, propter malitiam diabolicam, maximè in mulieribus, ad perdendum viros incitatos indecentijs contra castitatem, quia corpora inordinata apparent, vt incitatiua luxuriæ.

Lib. 2. sua vit. c. 9.

CAPVT VI.

Quando contemplatio in raptu, vel extasi est operatio humana, & meriti capax.

Loquimur de contemplatione supernaturali elicita ab intellectu, ad cuius libertatem requiritur, vt sit actus humanus: *Illæ* (inquit D. Thomas) *solæ vocantur actiones humanæ propriè, quarum homo est dominus. Est autem homo Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem; vnde, & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & rationis.* Concurrũt ergo in contemplatione extatica actus intellectus, & voluntatis, & vterque potest fieri sine libertate absque merito, vel demerito, vt in motibus primo primis, tuncque nullus dicitur propriè actus humanus; vterque verò tunc propriè, & perfectè fit saltem pro statu hoc, quando liberè fit, ac tunc sunt proprissimè actus humani. Sunt tamen liberi diuerso modo, actus voluntatis intrinsecè, & elicitiuè, intellectus verò imperatiuè, & per dominationem ab actu voluntatis, sicut in aliis operationibus meritorijs.

S. Th. 1. 2. q. 1. art. 1.

Contemplatio in raptu, vel extasi, quæ fit independenter à sensibus externis, & internis, est cum perfecto vsu rationis, seu cum integra cognitione intellectuali. Ratio est, quia talis contemplatio, sicut non dependet à sensibus in suo esse, & fieri, ita neque in sua perfectione. Imo spectat ad perfectionem animæ sic eleuari, vt dictum est cap. præcedenti, quia capax est illius; estque altissima cognitio intellectualis participans de perfectione intelligentiæ Angelicæ, quàm omnis natura-

lis

lis vsus rationis hominis vigilantis. Vnde S. Dionysius concedit animabus aliquid commune cum Angelis: *Quorum ductu optimo ad bonorum omnium summum bonum promoueantur, atque ex eodem promanantium illuminationum pro captu suo participes euadant.* Sic anima est quædam vmbra Angelica in operando modo explicato.

S. Dionys. Areo. c. 4. de diuin. nomin.

Constat in Christo domino, qui per scientiam infusam operabatur independenter à sensibus externis, & internis, cuius contemplatio diuina erat cum perfecto vsu rationis, & liberà. Et graues Doctores piè credunt concessam fuisse B. Mariæ Virgini. Lege D. Episcopum Guerra, tract. 2. discurs. 1. tom. 2. S. Thomas similem contemplationem concedit Adæ in statu Innocentiæ, nam explicans illud Ecclesiast. 7. *Deus fecit hominem rectum*, ait: *Hæc autem fuit rectitudo hominis instituti, vt inferiora superioribus subderentur, & superiora ab inferioribus non impedirentur. Vndè homo primus non impediebatur per res exteriores à clara, & firma contemplatione intelligibilium effectuum, quos ex radiatione primæ veritatis percipiebat, siue naturali cognitione, siue gratuitâ.* Vbi Caietanus inquit: Nota quòd non distinguit modo quoad hoc inter naturalē, & gratuitam cognitionem primi hominis de Deo, quoniam vtraque erat altior, & quodammodo Angelica magis quàm humana. Datur igitur contemplatio cum perfecto vsu rationis independens à sensibus omnibus ad modum Angelicæ. Talem etiam concedit ipse Angelicus Doctor Adæ in sopore à Deo immisso q. 13. de verit. art. 2. ad 9. quem soporem fuisse cum perfecta cognitione, & intelligentia mysteriorum Dei, probat Suarez in 3. p. q. 1. art. 3. in comment. ad 5. cum pluribus Patribus. Imo, idem S. Thomas loco illo de veritat. Sentit cum D. Augustino lib. 12. Genes. ad literam, hunc modum contemplationis puræ intellectualis interdum cōmunicari aliis sanctis cum perfecta intelligentia, & iudicio circa ea, quæ reuelantur.

S. Th. 1. p. q. 94 art. 1 corp.

Huiusceemodi cognitio, & contemplatio potest à Deo communicari, per modum habitus, vel solum per modum actus. Per modum habitus vt in scientia infusa Christi. In tali casu, licèt in receptione habitus actuali non sit libertas, quia solum consistit in recipiendo; tamen in actuali vsu talis habitus, libertas esse potest, siue sensus operentur, siue dormiant, aut quocumque modo ligati sint, nam anima tunc in ea operatione non pendet ab illis, & alioquin intelligit cum perfecto iudicio, & quia illam intelligentiam habet per modum habitus, illa vtitur quando vult, quia hæc est proprietas habitus, & tunc nihil est, quod necessitet ad exercitium talis actus. In Christo Domino manifestum est, eademque est ratio de reliquis, vt multi credunt de B. Virgine Maria piè.

Si contemplatio infundatur per modum actus in raptu, vel extasi, in receptione non est libertas hominis, vt patet, quia fit à Deo; quod spectat ad iudicium talis contemplationis, si sit euidens, & scientifica, iudicium non est liberum, nec quoad specificationem, quia euidentia infert necessitatem contrarium, nec etiam quoad exercitium, quia intellectus ex necessitate, est applicatus motione diuina ad attendendum, & actualiter appræhendendum tale obiectum, seu talem veritatem per lumen euidenter illam ostendens, & nequit intellectus suspendere assensum illius, quia est potentia naturaliter agens, nec in hoc subditur voluntati.

At si contemplatio, & reuelatio sit obscura manens intra propriam rationem fidei, vt fuit in Adamo in sopore Genes. 2. iudicium est liberum, quia est per assensum fidei fundatū in authoritate Dei obscurè reuelantis; fides autem libera est, sicut fatentur Theologi. Vndè tale iudicium fit ex imperio voluntatis, & ex hoc capite liberum, quia voluntas tunc non necessitatur ex obiecto obscurè proposito ab intellectu, nec à Deo, quia hoc esset extra rationem prouidentiæ debitæ, & consentaneæ potentiæ liberæ, vt cap. sequenti dicetur. Vnde Rupertus agens de sopore Adam, in quo fidem habuit de mysterio Incarnationis, ait: *Sopor quem Deus in Adamo immisit, non claudere vigilias noctis debuit, sed obseratis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset, quid erga se faceret omnium artifex sapientia.*

Con-

Contemplatio, quæ fit cum conuersione ad phantasiam, potest etiam esse cum perfecto vsu rationis, non solum quoad apprahensionem rerum, sed etiam quoad plenum iudicium de veritate contemplata ex gratia speciali Dei. Ratio est, quia Deus potest eleuare, & confortare potentias internas, vel clarificare phantasiam, & depellere vapores omnes, quæ illā impediunt, etiam in somno, conseruatis sensibus externis, in eadem dispositione, quam in naturali somno habet. Tunc manet intellectus cum perfecto vsu rationis, & intelligentia. Hoc concedunt multi Patres Adamo in sopore extatico, & Salomoni, quando dixit ei Deus dormienti: *Postula quod vis, vt dem tibi.* 3. Reg. cap. 13. 2. Paralip. 1. quod colligunt ex petitione Salomonis, quæ ipsi Deo placuit: *Placuit ergo sermo coram Domino.* Petiuit sapientiam ad gubernandum regnum; quæ denotant habuisse plenum iudicium.

Ad hunc modum fiunt reuelationes propheticæ sæpè, vt exponit latè S. Thomas 2. 2. q. 173. art. 2. & 3. Tuncque liberior est intellectus ad recipiendum reuelationem à Deo immediatè immissam, quia non impeditur à sensibus, nec à phantasia. Ratio reddi potest ex differentia inter somnum propheticum, & naturalem corporis, vt notat Abulensis: nam in corporali somno incipit impedimentum à sensibus, & procedit vsque ad intellectum, vbi terminatur; in somno prophetico abstractio, & eleuatio animæ incipit ab intelligentia eleuata lumine supernaturali immediatè à Deo, & ex eius vehementia, impediuntur exercitia sensuum. Ex quibus fit, quòd in somno corporeo naturaliter impediuntur operationes animæ, ligatis sensibus, quia tale impedimentum nascitur ex vaporum abundantia ascendentium ad cerebrum, & impedientium ordinatum vsum phantasmatum; vnde prouenit, vt intellectus etiam in suis actibus impediatur, quod ordinatum est à natura ad subueniendum nutritioni inferiori corporis, vt anima solutior, & fortior sit ad actionem partis nutrientis. Ceterum in raptu, & extasi eleuatio incipit ab intellectu, qui vehementius intendit diuinorum contemplationi, & intelligentiæ, & indè anima abstrahitur ab operationibus sensuum, qui non deseruiunt ad perfectam intelligentiam diuinorum. Hinc fit, quòd tunc mens non impeditur, imo fit expeditior, & facilior, & magis vnita in suis viribus ad perfectam intelligentiam, perfectumque iudicium rerum, quas contemplatur. Sic Bernardus venit intelligendus, cum dicit de somno sponsæ, quem sponsus vult conseruare in ea. Cant. 2. *Magis autem istius modi vitalis vigilque sopor sensum interiorem illuminat.*

Abul. in 13. Gen. q. 356. & 400.

S. Ber. ser. 52 in Cant

Scire tamen oportet, quòd dicta contemplatio extatica, prout in intellectu fit vsque ad extasim, non est actus liber proximè, & directè, licèt remotè ex actu libero sæpè ducat originem, quatenus liberè homo accedit ad orandum, & media ponit. Non est actus liber proximè, vt patet experientijs, quia multi spirituales viri patiuntur extases inuiti, & sæpè deprecantur Deum, ne pati sinat coram hominibus. Tum etiam, quia illa contemplatio prouenit à Deo mouente intellectum modo supernaturali ante imperium voluntatis, ad quod voluntas nequit extendi natura sua, vt patet, atque adeò contemplatio in intellectu præcedens actum voluntatis non est proximè libera. Vndè tunc contemplatio fit per influxum diuinū inferentem necessitatem intellectui ad operandū, & attendendum tali modo absque imperio voluntatis; ac cum perfecta cognitione, & iudicio de obiecto proposito, eiusque bonitate, & honestate. Imò loquendo de toto ordine actuum intellectus, & voluntatis, naturalis ordo est, vt præcedat actus, intellectus, qui neque liber, nec voluntarius est proximè, & directè.

Nec obstat, quòd error Montani, ad quem accessit Tertullianus; reprehenditur à Patribus, eò quod Prophetas in suis reuelationibus ita rapi diuinis, vt non sint sui compotes, neque habeant in sua potestate illius cognitionis vsum. Nam longè diuersus est Montani sensus, vt constat ex Epiphanio Hæresi 48. & ex Hieronymo in Prolog. comment. in Abacuc. Montanus enim asserebat, Prophetam non intelligere, quod videt, vel loquitur, sed loqui vt insanum, & amentem, in quo errore fuit etiam Tertullianus,

vt

vt patet ex Hieronymo de script. Eccles.& Niceph. li. 4. Hist. cap. 22 & 34 qui referunt scripsisse sex libros de extasi contra Ecclesiam: Intelligebat enim extasim esse operationem spiritus, quæ in amentiam, & insaniam rapit, vt ex varijs locis eiusdem Tertulliani ostendit Pamelius in annot. ad lib. de extasi. At hæc est manifesta insania, vt Hieronymus suprà conuincit ex Paul 1 Corinth. 14. & ex modo loquendi, & scribendi Prophetarum, qui etiam videri potest in Prolog. Nahum, Epiph. & D Thom. 2. 2. q. 173. art. 3. & 4. Extasis de qua loquimur, est cum perfecta cognitione, & iudicio rationis, vt dictum est, & ideo non fit cum insania, vel amentia, etiã si necessitet intellectum. Quod etiam contingere potest Prophetis: Nam quod ait Paulus 1. ad Cor. 14 *Spiritus Prophetarum Prophetis subiectos esse*; bene S. Thomas dicto art. 3. ad 4. exponit, intelligendum esse, quantum ad prophetiæ enunciationem: *Nam in ipsa* (inquit) *prophetica reuelatione potius ipsi subiciantur spiritui prophetia*. Et ita possunt illam ex necessitate recipere, quamuis cum perfecta intelligentia, & cum libertate tacendi, vel loquendi, & interdum etiam cum libertate quoad assensum, quando reuelatio est obscura, vt explicatum est.

CAPVT VII.

Quando contemplatio quoad amorem, qui in raptu, & extasi habetur, libera sit, & meritoria.

SVpponimus cum Theologis conditiones necessarias ad meritum. Quando contemplatio, seu reuelatio est purè intellectus, independens à sensibus externis, & internis, amor liber est, & meritorius actualiter. Ratio est, quia tunc ratio expedita manet ad iudicandum perfectè, sicut dictum est cap. præcedenti: atque adeò manet liber vsus voluntatis ad amãdũ, vel ad alios bonos affectus exercendos contẽplationi extaticæ cõuenientes. Certũ enim est, in omni contẽplatione, in qua iudiciũ intellectus liberum est, vel saltem quoad exercitium, vel, quoad specificationem, etiam voluntatem quoad suos actus liberam esse; & ibidem diximus, quòd quandò reuelatio est obscura pertinet ad fidem, ac proindè liberã esse, igitur multo magis liber erit actus amoris ex illa secutus. Constat in Christo Domino, qui per scientiam infusam liberrimè operabatur. Idem erit in quocumque vsu, vel participatione similis cognitionis: quia non pendet à sensibus, estque magis Angelica, quàm humana; & sic nihil obstat hos esse sopitos, & extaticos, etiam in corporali somno.

Hac de causa, multi Patres dicunt Salomonem habuisse libertatem quando à Deo petiuit scientiam ad gubernandum, non autem diuitias, vel vindictam de inimicis. Et in Adamo in sopore, qui actum fidei exercuit, qui sine libera affectione voluntatis non fit. Petrus etiam in extasi erat, Actu. 10 quando vidit linteum descendentẽ de cœlo, & Dominum sibi dicentẽ: *Macta, & manduca*, vt verba sacra satis indicant, & Theophylatus benè declarat, & tamen idem Petrus ex affectu ad legis obseruantiam, quam tunc seruandam putabat, id protulisse, cùm dixit: *Absit domine, quia numquam manducaui omne commune, & immũdum*. Hoc ex libertate fuit, sic Ambrosius insinuat, dicens: *Quoniam Petrus vocatus respondit, Domine: Ideo secundum euidentius meruit oraculum, quia confessus est Dominum*. Etiam Chrysostomus: *Quoniam* (ait) *accusaturi erant omnes Petrum, tanquam præuaricatorem, & hoc valde eis frequens erat, tempestiuè inquit. Nunquam comedi.* *S. Amb li 1. de Spir. Sanct c. 11.* *S. Chrys. hom. 2. in 10. ca. actu. Apost.*

Ex his duobus exemplis patet libertas quoad specificationẽ, & quoad exercitium in contemplatione extatica; quoties enim est libera electio inter multa, & potestas amplectẽdi vnũ, & refutandi aliud, & è conuersò interuenit libertas quoad specificationem, & quoad exercitiũ: ita verò, se habuerunt Salomon, & Petrus: nam Salomon placuit Deo, eo quòd sapientiam potiùs, quàm vindictam de inimicis, vel diuitias postulauit: habuit igitur potestatem petendi diuitias, & illas præferendi, vel postponendi sapientiæ. Petrus ad comedendum inuitatus se continuit, & rationem agnouit, & proposuit, qua mouebatur ad id non faciendum,

nam: *Spiritus, ita moderabatur eum*, ex eodē Chrysostomo, *vt defensionem haberet contra eos, qui reprehensuri erant, quod, & contradixerit: nam magna cura illam legem seruabant.* Ex qua consideratione oritur libertas quoad specificationem. Hanc libertatem cognouit Bernardus serm. 52. in Cant. in anima extatica, de qua ait sponsus: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, vt non excitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit. Ponitur* (inquit) *sanè in voluntate ipsius, & vacare sibi, & curam illarum intendere, prout opportere iudicauerit, cum vetatur excitari ab illis quousque ipsa velit.* Habebat igitur electionem vacandi contemplationi, & dimittēdi illam, prout iudicauerit ex charitate proximorum conuenire. Eandem libertatem agnouit Hieronymus cōtra Mōtanū in reuelationibus Prophetarum, sic loquens: *Apostolus iubet: vt si prophetantibus aliis, alii fuerit reuelatum, taceant qui prius loquebantur. Et statim, inquit, Deus non est dissensionis sed pacis. Ex quo intelligitur, cùm quis voluntate reticet, & alteri locum dat ad loquendum, posse, & loqui, & tacere, cùm velit.* Lege D. Thomam 2. 2. q. 173. art. 3. ad 4.

S. Hier. prolog. in Habac. c. 1.

1. Cor. 14.

Vndè licèt in his casibus fortè rapiatur intellectus extaticus ex necessitate ad aliquid considerandum, maximè quando recipit diuinam impræssionem, & reuelationem, sicut contigit Petro in illo excessu mentis, & Salomoni, qui ex necessitate motus est, vt audiret Deum sibi loquentem: Tamen non absoruetur mens in vna consideratione obiecti, quin possit liberè considerare aliquam rationem commodi, vel incommodi in eo quòd proponitur, quia non est cognitio beatifica, sed abstractiua, in fideque, & ideo potest in illo raptu inueniri indifferentia iudicii sufficiens ad libertatem quoad exercitium, & quoad specificationem. Libertas enim hæc spectat ad perfectionem viæ, & est necessaria ad actus meritorios, nec verisimile est Deum velle priuare viatum iustū hac perfectione, & fructu, qui in hac vita maximè desiderandus est; & ex alia parte mens operatur sine dependentia sensus excellentiori modo, mota immediatè à Deo per quandam quietem, & placidum otiū sensuum, quod animam pacatissimam reddit ad Deū diligendū, & ad alios affectus virtuosos. Ideo dicit D. Thomas: *Mens humana habet duos respectus, vnum ad superiora, quibus illustratur, alium ad corpus à quo recipit, & quod regit. Ex parte illa, qua anima à supernis accipit per somnium non ligatur, imo magis libera redditur, quanto fit à corporalibus magis absoluta.*

S. Th. in 4. dist. 9. q. 1. art. 4. q. 1. ad 2.

Denique, in contemplatione extatica dependenti à phantasmatibus, potest etiam reperiri libertas meritoria ex diuina gratia. Ratio est, quia vt diximus cap. præcedenti, potest Deus eleuare, & confortare potentias internas, & clarificare phantasiam, & depellere vapores, qui eam impediunt, vt maneat in mente perfectus vsus rationis; quo pacto manebit libertas quoad exercitium, & quo ad specificationem, vt explicatum est. Si autem non interueniat talis gratia, non datur libertas hæc in voluntate, quando cōtemplatio extatica incipit à sensibus, & fit media phantasia, quia vt docet D. Tho. q. 12. de veritate. art. 3 ad 12. *Vltimam resolutionem iudicii quodammodo fieri ad sensus externos*; & ideo illis ligatis, non posse plenum, ac perfectum, & liberum iudicium esse. Sicut in somno naturali patet. Sic intelliguntur D. Bona in 2. dist. 25. 1 p. q. vltim Alexand de Ales, 4. p. q. 8. m. 8 art. 3 § 1. & alii dicentes in extasi non inueniri liberum arbitrium, quia ligati sunt sensus. Locuntur de extasi, quæ fit dependenter à sensibus, si non intersit diuina gratia.



TRA-

TRACTATVS QVINTVS.

De vita actiua virtutum.

DVÆ sunt vitæ, actiua videlicèt, & contemplatiua; actiua prior est contemplatiua, ac necessaria, vt homo in contemplatiua proficiat: *Qui culmen perfectionis* (inquit Magnus Gregorius) *apprahendere nititur, cùm contemplationis arcem tenere desiderat, prius se in campo operis per exercitium probet.* Adducit illud Iob *Egredieris in abundantia sepulchrum*, & subiũgit: *Vir quippè perfectus in abundantia sepulchrum ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera congregat, & postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum huic mundo, funditus occultat. Vndè aptè subditur: sicut infertur aceruus in tempore suo. Actionis namque tempus primum est, contemplationis extremum. Vndè necesse est, vt perfectus quippè prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condat.* Probat intentum cap. sequenti exemplo Rachel, in qua figuratur vita contemplatiua, & Liæ, in qua designatur vita actiua virtutum; nam Lia magis fæcũda fuit, quam Rachel: atque post liæ amplexus Iacob ad Rachel peruenit. Vide ipsum hom. 14. in Ezechielem.

S. Greg. Magn. lib. 6. in Iob c. 17.

Iob c. 5.

Genes. 29.

Hinc S. Bonauentura, ait de vita actiua, quòd qui in illa non prius sit, nihil reperiet de dulcedine contemplationis, nec videbit, quoniam ipse est Deus, & gustare, quoniam suauis est vniuersis: *Inde est, quòd Iacob prius de Lia sex filios genuit, post hæc Rachel peperit filium Ioseph decorum aspectu: quo nato cæpit Iacob petere dimitti, & in patriam suam reuerti: quia prius in actiua vita debet homo perfectus esse, & tunc gustato fructu vitæ contemplatiuæ, cupiet dissolui, & esse cum Christo in patria cœlesti: cuius iam primitias in sapore supernæ dulcedinis prælibauit.* Sic contemplatiua vita est sicut nucleus in testa, aliter erit quasi testa sine nucleo. Imo docet S. Laurentius Iustinianus, quòd nemo ad contemplationem veritatis admittitur, nisi præuia sanctitate; cò namque claritati ipsius quisque fit proprior, quo per exercitationē virtutum factus est sanctus, qui autem per mentis munditiam sanctificari quieti contemplationis vacant, vtique in cognitione, & gustu veritatis suauiter fouentur. Idem erit in amore Dei. Lege ipsum S. Bonauenturam lib. 4. pharet. c. 27. & c. 1. de doni. Spirit. Sanct. & c. 3. Ricard. Vict. c. 12. in Cant.

S. Bon. de profect. relig. ca. 22. lib. 2.

Genes. 30.

Ratio prioritatis vitæ actiuæ virtutum est, quia in ordine supernaturali anima similis Deo efficitur, & deificatur per virtutes: assimilatio autem perficit vnionem; atque adeò cùm vita contemplatiua sit, & consistat in vnione contemplationis, & amoris animæ cum Deo, vt talis vnio totalis sit perfecta, requirit priorem illam similitudinem virtutum. Sicque reuelata facie gloriam Dei speculantes in eãdem imaginem transformamur de claritate in claritatem tanquam à domini spiritu, magis, vel minus, secundum maiorem, vel minorē similitudinem virtutũ. Quod explicat Bernardus exēplo solis respectu visus, dicens: *Nec ipsum aliquatenus posses videre, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate, & perspicuitate cœlesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam dissimilitudinem. Sed neque ipse oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquauit, nimirum ob amissam similitudinē. Qui ergo turbatus nullatenus serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem.* Si ergo pari prorsus puritate vigeret, videret magis clare sicuti sol est, propter maiorem similitudinem. Quamuis certum sit hãc vitam priorem esse contemplatiua, nō prius egimus de illa sequentes D. Thomam 2. 2. q. 80. qui prius agit de contemplatiua, postea de actiua q. 81.

S. Bern. ser. 31. in Cant.

CAPVT PRIMVM.

De fide.

ANima eleuatur in ordine supernaturali tribus virtutibus Theologicis (quarum actibus vnitur Deo immediatè) fundatis in tribus viribus suis, scilicet, rationali, irascibili, & concupiscibili, per rationalem eleuatur, per fidem, qua tendit in summè verum credendo & assentiendo, quia in rationali consistit cognitio veri. Per vim irascibilem media spe tendit in summè arduum, & æternum fideliter innitendo, & spectando illud. Nā vis irascibilis appetit ex natura sua ardua, & ad illa inclinat. Per vim concupiscibilem tendit in Deum media charitate summè bonum, illum amando, velut vltimum commodum, quia vis cōcupiscibilis semper appetit, quod tale est naturæ, tam in ordine naturali, quàm supernaturali. Lege S. Bernardinum.

S. Bernar. Senes. ser. 57. art. 2. tom. 1.

In creaturis intellectuali, inter virtutes, primatum tenent Theologicæ; rationem dedit S. Thomas, dicens: *Cùm enim in agibilibus finis sit principium, vt dictum est supra, necesse est virtutes Theologicas, quarum obiectum est vltimus finis, esse priores cæteris virtutibus.* Inter has prior est fides, quod sic explicat idem Sanctus: ipse autem vltimus finis oportet, quod prius sit in intellectu, quàm in voluntate: quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum. Vndè cùm vltimus finis sit in voluntate per spem, & charitatem, in intellectu autem per fidem, necesse est, quod fides sit prima inter omnes virtutes: quia naturalis cognitio non potest attingere ad Deum, secundùm quod est obiectum beatitudinis, prout tendit in ipsum spes, & charitas. Prima omnium virtutum, & reliquarum mater dicitur à Caietano in capit. 1. Epist. ad Ephes. 3. & à Patribus fides est prima vita iusti. Secundum illud Apost. Roma. 2 *Iustus ex fide viuit.* Hac de causa prius agimus de fide, cuius actus est prima vnio animæ cum Deo in ordine supernaturali: *Quia accedentem ad Deum, opportet credere quia est* Ad Hebræ. 1.

S. Th. 2. 2. q. 4 art. 7. in corp. ser. 5.

Nota

Ex Doctore gentium fides sic definitur: *Fides est sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium.* Hoc modo eam explicat Bonauentura in ista diffinitione fides dicitur substantia, idest, fundamentum substans ædificio spirituali, quod est gratia, & gloria. Ipsa namque fides facit aliqualiter res sperandas in nobis subsistere per gratiam, & faciet tandem per gloriam. Vel ideò fides est fundamentum gratiæ, & gloriæ, quia ipsa est primus habitus virtutum, non tempore, sed natura. Dicitur rerum sperandarū, quia fides per assensum facit in nobis subsistere res sperandas. Sanctus Thomas: fides prælibatio quædam est illius cognitionis, quæ nos in futuro beatos facit. Vndè, & Apostolus dicit, quod est substantia sperandarum rerum, quasi iam in nobis sperandas res, idest, futuram beatitudinem per modum cuiusdam inchoationis subsistere faciens. Res sperandæ sunt, sicut arbor in semine virtute latens, ac per fidem quodammodo iam existunt in nobis, sicut arborem modo quodam tenemus in semine. Chrysostomus etiam in locum Pauli sic loquitur: *Quoniam ea quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiam. Resurrectio non dum facta est, & nec dum est in substantia, sed fides facit eam subsistere in anima nostra.*

Ad Heb. cap. 11.

S. Bonau. compend. Theolog. verit. c. 19 lib. 5. to. 2.

S. Thom in compend. ad Reginald. c. 2.

Comparatur fides speculo mūdo, quia sicut turris magna in medio speculi cernitur, & quodammodo in illo possidetur, licèt à longè sit turris; sic maiestas, & magnitudo Dei, quæ est obiectum beatificum, in speculo fidei repræsentatur, & quodammodo iam possidetur. Vndè Theodoretus, inquit: *Etenim quæ nō videntur, per eam videmus, & ad eorum quæ sperantur contemplationem, ea nobis ostendit tam quam subsistentia, quæ nondum facta sunt.* Ex quibus manet explicatum quomodo fides substantia est, siue pro habitu, siue pro actu, cū re vera vtroq; modo sit accidēs inhærēs intellectui.

S Theod. in c. 11. a Hebr.

Argumentum dicitur, (prosequitur D. Bonauentura) idest arguens mētem, quia fides inclinat intellectum ad credendū ea quæ nō apparent, & propterhoc dicitur fides potius argumentū, quam cōclusio: quia fides probat de non

non apparentibus, quod sint, & nō probatur. Non apparentium dicitur, quia fides sua luce, & virtute manifestat ea quæ non apparent, tam præterita, quā præsentia, quam etiam futura. Præterita quidem, quia secundum Augustinū fide intelligimus apta esse sæcula. Præsentia vero, sicut ait Agustinus: Demus, inquit, Deo aliquid posse, & nos intelligere non posse. Futura autem, quia per fidē credimus resurrectionem mortuorū, & huiusmodi. Hæc S. Doctor. Et S. Bernardus: *Hæc est, quæ velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul, præsentia, ac futura sinu quodā vastissimo comprehēdit, vt nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.*

August. Epist. 3. ad Velusia. t. 2

S. Bernar. ser. 6. in vigil. Natiuit.

Obiectum formale fidei est prima veritas obscurè reuelans, reuelata autem sunt obiecta materialia. Vndè certitudo fidei desumitur ex obiecto formali. Sicut enim quis fide acquisita credit dicto alicuius, quia credit veracitati illius asserentis illud esse verum, sic fides infusa assentit reuelato supernaturali, quia credit veracitati Dei asserentis illud. Ideò fides est cum ænigmate, & obscuritate, quia habens fidem, non credit articulum esse verum ex euidentia obiecti, sed quia assentit veracitati Dei obscurè reuelantis. Idem ergo habitus, quo credimus Deum esse veracem, est cum quo credimus omnia reuelata à Deo esse vera, & quo illis assentimus.

Hac de causa, fidei nequit subesse falsum, quia nititur primæ veracitati, quæ ex ratione primæ veritatis non potest fallere, nec falli. Vndè ait S. Dionysius: *Ratio est hæc simplex, ac verè existens veritas, circa quam, vt puram, & infallibilem vniuersorum notionum, fides diuina versatur, quæ est constans fidelium fundamentum fundās illos in veritate, atque in ipsis veritatē, dum indissualibili identitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum.* Tum etiam ex parte fidei, nam diuina fides est quoddam supernaturale diuinæ lucis participium. Audi Scotum: *Fides infusa non potest inclinare ad aliquod falsum. Inclinat enim virtute luminis diuini, cuius est participatio; & ita nō nisi ad illud quod est conforme illi lumini diuino. Actus igitur credendi, in quantum innititur isti fidei, non potest tendere in aliquod falsum.*

S. Dionys. Areop. c. 7 de diuin. nomi.

Scot. quodlib. 14. §. de primo.

Magis explicatur, notando, quòd Deus noster lux est, & nos per fidem illuminamur, iuxtà illud: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Augustinus: *Vnde accedunt gentes? fide sectando.* In illo namque est lux diuina, qua ipse in infinitum lucet, in nobis autem est lumen fidei, quo ab ipsa luce illuminamur. Hoc enim est discrimen inter lucem, & lumen, quod lux est id quod in lucido subiecto reperitur, siue sit lux qualitas, siue lux substantialis per essentiam; lumen autem, vt probat optimè Scotus: *Est propriè intentio, siue species sensibilis ipsius lucis.* Additque: *Intentio hic dicitur illud per quod, tamquam per principium formale in obiectum tendit sensus.* Vndè lumen est species impressa, & imago lucis, siue formalis, siue virtualis, quæ recepta in potentia, vice obiecti, producit cum ipsa cognitionem. In ordine supernaturali diuina, fides est quoddam lucis æternæ supernaturale lumen, idest, intentio quædam, species, seu imago ipsius cognitionis, quam Deus de se ipso habet, & quæ valet hominem ad Dei, finis sui supernaturalem cognitionem potentem reddere. De hoc lumine dicit Propheta respondens illis, qui inquirebant: *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* Lumen dixit, vultus Dei sigillatū auctoris naturæ, gratiæ, & gloriæ. Augustinus: *Hoc lumen est totum hominis, & verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. Signatum dixit in nobis, tanquam denarius signatus regis imagine.* De necessitate luminis fidei ad supernaturalia mysteria cognoscenda. Lege S. Bernardinum.

Ps. 33. S. August. ibi.

Scot. in 2. dist. 13. q. vnic. §. de secundo.

Psal. 4.

S. Bernar. Senens. ser. 2. quinquag. tom. 1.

Hæc virtus fidei, est species specialissima, quæ nullam aliam speciem sub se continet; patet ex Diuuo Paulo: *Vna fides, vnum baptisma.* Ratio ex Scoto est: *Quia, & si sint plura obiecta materialia nostræ fidei, & diuersissima materialiter, formaliter verò vnum tantum specie, & vna ratio credibilis, scilicet, quia reuelata sunt à Deo.* Est igitur vnum obiectum formale, à quo vnitatem sumit fides.

Ephes. 4. Scot. in 3. dist. 23. q. vnic. §. secundo de fide.

Actus fidei nobilissimus est, atque in eo intellectus debet deficere in salu-

tari Dei, credendo in ipsum, & incredendo quasi se ipsum deponere: cùm lego D. Paulum dicentem: *In captiuitate redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*; intelligo pugnam cum intellectu initam ex parte Dei, & mysteriorum credibilium fidei, quam ipse contra se ipsum debet intellectus promouere, debellando se, & diuinæ veracitati se ipsum funditus mancipādo, relinquendo omnes suos actus naturales, qui; quia naturales pugnant cum actu fidei supernaturali, in quo consistit fidei victoria. Vndè peroptimè Chrysostomus perpendens illud: *Captiuantes*, inquit: *Neque enim tantum, ait, superiores sumus, & victoriam obtinemus de humana cogitatione, & intellectu, sed captiuos etiam ducimus, quæ est consumatior victoria.*

2. Cor. 10.

S. Crysost. hom. 21.

Sanctus Laurentius post insignia epitecta fidei addit: *Hæc beata fides, transcendere facit humanum sensum. Nam ille fidelis dicitur, qui sibi non credit, factus tanquam vas perditum; sed sic perdens animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam.* Credendo igitur perditur intellectus, sed custoditur: perditur naturali rationi, sed perficitur diuinis mysterijs, & rebus supernaturalibus fidei. Sic Sanctus Dionysius vocat mysterium Trinitatis: *Plusquàm lucens*: quia vbi lumen rationis cęcutit, & deficit, ibi lumen fidei rutilat credendo: & aperit ianuam, vt Spiritus Sanctus ingrediatur ad animam, eique communicet diuina charismata, etiam gratia sensibili. Super illa verba: *Ecce ego sto ad ostium, & pulso*, aptè satis Rupertus, dicit: Pulchrum ergo, & pium est videre hunc introitum Paracleti, vbi stanti illi ad ostium, & pulsanti fides ianuam aperit, & ille ingressus dimittit se dignatissima inclinationi, in amplexum fidei, & cęnat cum illa, & ipsa cum eo. Numquid enim soli Deo dicere competit: Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meā, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cęnabo cum illo, & ipse mecum; & non etiam Spiritui Sancto, imo, & huic, nam ipse Filius Dei, siue Verbū Dei nūquā nisi per Spiritum Sanctum, huc ad mandum introire consueuit. Ipse Spiritus Sanctus dux est itineris, siue introitionis, & miro, atque ineffabili modo; cū

S. Laur. Iustini. lib. de fide c. 4.

S. Dionys. Areop. c. 1. my Theo

Apoc. 3. Rupert. li. 2. de proces. Spir. S.

ipse sit donum Patris, & Filij cum eo modo de quo agimus, scilicet, sensibili gratia, quæ magna prærogatiua est, introierit, & Patrem dat, & Filium; id est, cognitionem dat Patris, & Filij. Hæc Rupertus.

Duplex est actus fidei, interior, & exterior. Iste dicitur cōfessio fidei, ore confessio fit ad salutem. Ille est assensus intellectus primæ veritati reuelanti: qui triplex est. Primus dicitur, credere Deum, scilicet, quod Deus sit, secundus credere Deo, nempè credere vera esse, quæ Deus dicit. Tertius credere in Deum, idest, per charitatem tendere in Deum; & tunc actus fidei est perfectus, quia informatur à charitate, quæ est vita virtutum in ordine ad meritum, sine qua fides mortua est, & reliquæ virtutes. Isti autem actus non differunt specie, cum habeant idem obiectum formale, vtpote primam veritatem, sed solum secundum diuersos respectus. Rom. 10.

CAPVT II.

De virtute spei.

VIso iam de habitu virtuoso supernaturali intellectiuo fide c. præcedenti, accedit habitus supernaturalis appetituus, qui adæquatè diuiditur in habitum, qui est charitas, (de quo infra) & in alium, qui est spes, quorū vtrūque est infusus, & Theologicus, quia immediatè tendit in Deum, sicut fides. Rationem huius diuisionis tradit Scotus; nam quia virtutes Theologiæ infusæ perficiunt hominem in se circa Deū vt cognoscendū, & sic est fides, vel amandum: & sic vel amatur in se, & ad hoc perficit charitas, vel amatur vt commodus mihi, & ad hoc ponitur spes, sequitur quod eiusmodi diuisio sit adæquata.

Scot. in 3. dist. 24. 5. Ad istam q. lit. C.

Spes virtus Theologica, sic explicatur: nos desideramus bonum infinitum in esse nobis, & hoc à Deo se ipsum nobis liberaliter conferente, & communicante (non quidem primo, sed propter aliquid aliud acceptum sibi, vt propter merita): at iste actus est bonus, quia debitè circunstantionatus: igitur ad ipsum potest esse virtus: inclinans: talis erit spes: & Theologica, quia respicit Deū pro obiecto.

Vn-

Vndè Deus ipse est obiectum spei, vt bonum infinitum apperibile à me, & commodum mihi in perfecta posses sione, quæ est beatitudo promissa nobis propter bona opera. De quo Diu. Paulus. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem, vsque ad interiora velaminis* Chrysostomus: *In mundo adhuc constitutos, & necdum translatos ex hac vita, ostendit iam quoque in rebus esse promissis. Per spem enim in cœlo sumus, dixerat, persistite, omnino enim futura sunt. Deinde certos reddens, dicit: Magis autem in spe Non dixit: Nos sumus in interioribus, sed quia ipsa spes velut anchora ingressa est ad interiora.* Paulò post concludit: *Non simpliciter dixit anchoram, sed tutam, & firmam, ingredientem, vsque ad interiora velaminis, ac si diceret penetrans cælos.* Hinc sic spes diffinitur à Bonauentura: Spes est futuræ beatitudinis certa spectatio, ex Dei gratia, & ex meritis proueniens.

Ad Hebr. 6.

S. Chrysost. ibi.

S Bon compend. Theolog. verit. c.22. li.5.

Habitus iste spei non est genus intermedium, sed species specialissima, quia eandem prorsus rationem habet in omnibus obiectis materialibus, vt diximus de fide. Nec obstat conditio illa, vel circunstantia, mihi; non enim est conditio obiecti per se, imò talis conditio potest addi super obiectum, stante formali ratione obiecti. Patet in fide. Non enim credendo, Deum esse Saluatorem, & beatificatorem omniū bonorum, habet aliud obiectum formaliter à De[o], de quo credo, quòd est Trinus, & vnus sed per ista tantum cōparo æternum ad aliquid temporale: quę comparatio non dicit nisi respectum rationis. Sic in præsenti de voluntate, desiderare bonum infinitum, mihi (idē est suo modo desiderare à Deo auxilia,) non dicit nisi respectum voluntatis, qui est appetitiuus respectus. Ita Doct. subtilis, qui sentit, quòd luctus, qui est tertia beatitudo, est idem habitus cum spe, quia luctus est habitus desiderandi illud bonum, quod nobis absens est, & hoc non variat rationem formalem habitus. Item, quòd longanimitas, qui est quintus fructus Spiritus Sancti, nō distinguitur à spe, sed tantum est perfectio quædam spei: & sic dicitur de Patriarchis, longanimes in spe: quasi in longum animosè expectantes.

Scot. in 3. dist. 30. q. vnic. §. Ad quæstionē.

Ex Hugone, comites spei sunt contemplatio supernorum gaudium, modestia, confessio, pacientia, compunctio, longanimitas, quos sic explicat: contemplatio supernorum est per sublevatæ mentis iubilum mors carnalium affectuum. Gaudium est ex contemptu præsentium veniens festinæ mentis iucunditas spiritualis. Modestia est pudici, & honesti habitus de laudabili profectu verecundia. Confessio est per quam animæ morbus latēs spe consequendæ veniæ in Dei laudem aperitur. Pacientia est æternæ respectu glorię voluntaria, & insuperabilis contrariorum perpessio. Compunctio est quoddam animi suspirantis incendium, natum, vel timore supplicij, vel amore præmij. Longanimitas, est ad complenda iusta desideria infatigabilis laborum sustinentia.

Hug. Vict. instit. monast. ca 17 de fruct. carn. & spir. to. 2.

Deniquè spei comes debet esse timor sanctus, quia beatus homo, qui semper est pauidus, sic conseruatur humilitas, tam necessaria in vita spirituali, ad gratiam promerendamque, & vt retineatur, ac recuperetur. Optimè Bernardus: *In veritate didici, mihi æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperādam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non multum sapere, sed timere.* Docetque triplici timore timendum esse, scilicet, cùm arriserit gratia, cùm abierit, cùm denuò reuertetur. Cùm adest, ne indignè opereris ex ea. Si recesserit multò magis, quia tunc deficiente gratia, deficit etiam homo, quia reliquit eum custodia sua Nec dubites in causa esse superbiam, etiam si non appareat, etiam si tibi nihil conscius sis. Quod enim tu nescis, Deus scit. Nunquid qui hominibus dat gratiam, humilia feret datam? Si iam gratia repropitiata reddierit, multò magis tunc timendum: ne fortè contingat recidiuum pati: *Proinde* (concludit) *omni tempore time Deum ex omni corde tuo. Non potes simul, & sic timere, & altum sapere demum, si plenè, si perfectè timueris, dabit saporem charitas.*

S. Bernar. serm. 54. in Cant.

Sanctus Bonauentura postquam dixit, quòd spes est sicut mola, addit: *Nota, quòd duæ sunt molæ spirituales, scilicet, timor supplicii, & spes veniæ. Timor est mola superior, quæ premit animā, ne euanescat per elationem, spes est mola inferior, quæ animam sustinet, ne*

D. Bonau. Diet. salut. titul. [.] de virt. ca. 4. tom. I.

ne deficiat per desperationem. Sic David dicebat, *ab altitudine diei timebo*, nempè in die iudicij, ecce mola superior: *Ego verò in Deo sperabo*, ecce mola inferior. Vndè vna sine altera, non valet. Ideò in figura huius, dicitur: Nõ accipies loco muneris inferiorem, & superiorem molam, idest spem, & timorẽ non subtrahas, & inter illas duas molas, fit optima molitura tritici spiritualis animæ in via mystica. Metaphora anchoræ ab Apostolo assignata, denotat cum spe esse timorem: nam licet nauis fixa sit cum anchora in mari, nauta tamen timet pericula procellarum. Spes, alia mortua, quæ est sine charitate, & bonis operibus, alia viua vita charitatis, & bonorum operum. Differt spes à fide, quia fides est de præteritis, præsentibus, & futuris, spes tãtùm de futuris.

Psalm. 55.

Deut. 24.

CAPVT III.

De Charitate.

CHaritas tertia virtus Theologia, est habitus infusus inclinans voluntatem ad diligendum Deum propter se, & proximum propter Deum, vel in Deo. De hac loquitur Paulus, cùm dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sãctum.* Est qualitas creata inhęrens voluntati, tanquam verum accidens supernaturale, iuxtà illud Concilij Tridentini: *Charitas diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & ipsis inhæret.* Ratio est, quia cum actus charitatis à nobis eliciantur, debent habere principium intrinsecum sibi accommodatum, istud est aliqua qualitas nobis inhęrens, vt patet in fide, & spe. S. Thomas, sic probat, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suos actus, sicut charitas, nec aliqua, ita delectabiliter operatur. Vndè maximè necesse est, quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad charitatis actum, & faciens eam prõptè, & delectabiliter operari.

Rom. 5.

Cõc. Trid. sess. 6. c. 7.

S. Tho. 2. 2 q. 23. art. 2. in corp.

Obiectũ formale charitatis est Deus sub ratione boni: quia charitas ad voluntatem spectat, & est amor. Secundò Deus sub ratione summi boni est amabilis propter se; in hoc namq; differt charitas ab omni dilectione boni creati, & à dilectione ipsius Dei, quæ est concupiscentiæ, vel spei; nam hæc diligit, vt summum bonum diligẽtis, charitas verò amat Deum propter se amore amicitiæ. Ex quo sequitur, quòd charitas est excellẽtior spe, quia charitas attingit Deum ipsum, vt in illo sistat, nõ vt ex eo aliquid nobis proueniat; spes autem illum attingit secũdũ quod ex ipso prouenit nobis adeptio boni. Idem erit de fide, nã fides attingit Deum prout ab illo nobis prouenit cognitio veri. Proptereà inquit Paulus: *Nunc manent fides, spes, charitas, maior est charitas.*

1. Cor. 13.

Charitas, qua amatur proximus propter Deũ, habet etiam pro obiecto formali bonitatem increatam, atq; adeò dilectio Dei, & proximi nõ differt specie. Ratio est D. Thomæ, quia omnis actus vnius speciei ad eundem habitũ pertinent. Cùm autẽ species actus sumatur secundum formalem rationem ipsius, necesse est, quòd idem specie sit actus, qui fertur in rationem obiecti, & qui fertur in obiectũ sub tali ratione, sicut eadẽ est specie visio, qua videtur lumen, & qua videtur color, secundũ luminis rationem. Ratio autem diligẽdi proximũ, Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere, vt in Deo sit. Vnde manifestum est, quòd idem specie actus quo diligitur Deus, est quo diligitur proximus. Colligitur ex hoc, quod habitus charitatis est species specialissima, quia in eo vna sola ratio formalis inuenitur, qua Deus, & proximus diligitur, quòd est adæquata virtus charitatis, vt patet ex D. Ioan. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* In quo tota lex, & Prophetæ consistit S. Bonauentura: *Hæc est aquila grandis magnarum alarum, de qua dicitur in Ezequiele ca. 17. Alæ eius sunt duæ, dilectio Dei, & proximi.* Sequitur ex his, obiectum materiale primum adæquatum, & magis principale charitatis esse Deum, minus principale, & secundarium, proximum.

S. Tho. sup. q. 25. art. 1. corp.

1. Ioann.

S. Bona. diet salut. cap. 2. tit. 5. de virtutib. tom. 5.

Pro maiori intelligẽtia charitatis scire oportet ex D. Laur. Iustinian quòd differẽtia est inter amorem, dilectionẽ, & charitatem, licèt largè loquendo, ęquiuocum sortiantur nomen. Amor namque propriè est naturæ, & dicitur amor, quasi animorum vnio, quia quietat appetitum in re amata. Dilectio autem est amor proximi, & dicitur dilectio, quasi duo ligans, so-

S. Laur. Iustin. ca. 13. lign. vit. de de Charit.

sociat enim amatum cum amante in amore mutuo. Charitas est amor in Deum. Hæc amicum determinat,& indicat omnibus Chariorem. Vndè dicitur charitas,quasi chara vnitas, vel charum Deo agens.

Vndè actus charitatis est perfectissimus huius viæ. Accipe aliam rationem à D. Dionysio: *Diuinus amor extaticus est,qui non finit esse suos,eos qui sunt amatores,sed eorum quos amant. Vndè diuinus Paulus,diuino isto amore captus, & virtutis extaticæ particeps factus,diuino ore ait: Viuo ego,iam non ego,viuit verò in me Christus, tā suum verus amator,& qui excessit a se Deo, & non iam vitam suam,sed amāti tanquam vehementer dilectā viuens.* Loquitur de amore,qui charitas est, quia ille solus hunc effectum sortitur,vt patet. Vsus fuit nomine amoris, & non charitatis, vt se conueniret cum alijs Theologis,vt ipse fatetur. De hoc excessu amoris etiam Dauid,ait: *Ego dixi in excessu meo.* Et ipse Paulus 2. Corit 5 *Siue excedimus Deo.*

S. Dionys. Areop. ca. 14. de diu. nomin.

Galat. 2.

Psal. 115.

Paulò ante dixerat de natura amoris: *Estque hoc virtutis cuiusdam vnificæ,ac collectiuæ,excellenterque contēperantis,quæ in pulchro,& bono,perpulchrum,& bonum præexistit.* Vbi Dionysius Carthusianus, sic inquit: Comparatio ista consistit in hoc,quod sicut amor carnalis facit in suo genere vnionē carnaliter viuificā,plurificatiuā, & animorū,ac corporū coniunctiuā,atque amantiū,ita contēperatiuā, sic melius, ac multò sublimius spiritualis dilectio viuificat,diligētes vnit, contemperat,colligat,&in se inuicem transformat, habitareque facit vnius moris in domo vna cōcorditèr,atque pacificè, vnitque spiritualiter in pulchro,& bono,puta in Deo. De excellentia charitatis lege S. Bernardinum, qui doctè,& satis vtiliter,agit feria 2. post Domin quadrages. serm. 2.& 3. tom. 2.& nostrum Harphi. lib. 1. mystic. Theol. à capit. 89. vsque ad capit. 94.

Dionys. Carth. art. 5.

Hinc in exercitio mysticæ Theologiæ magis persentiuntur diuina in mēte per actum charitatis,quàm per actū contemplationis: *In lectulo*(aiebat anima sancta) *meo per noctes quæsiui quē diligit anima mea.* Gillebertus Abbas stylo sequens D. Bernardum, sic ait: Quæ per noctes quærit,nō videtur mihi tàm aspectus, quàm amplexus sectari: tenere magis optat,quam intueri. Bona quidem visio est, sed adhæsio arctior,nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Melior tamen est vtraque;nam coniunctæ vicissim incrementis se cumulant gratiarū. Vtrāque si te apprehensurum non arbitraris, sectare tu, quod sponsa sectatur. Amplexus quære dilecti. Tu suauia sequere,vt præsentias,si scire nō potest. Hæc ille. Quid animus quod non sciat poterit persentire? Ipsum Deum quo intimè vnitus est actu charitatis, à quo prælibantur diuina, media vnione in hac vita abundantius, quàm per contemplationem.

Cantic. 3. Gillebert. serm. 1. in Cant.

Altissimè sentit de Deo, quia eum gustat perfectissimo actu, ideo nescit anima explicare intimam illam communicationem mysticam, & secretissimam ipsi soli notam per experientiam. A dilectione incipit,de dilecto loquitur anima sanè a,dicens: *Dilectus meus mihi,& ego illi.* Elegantissimè Bernardus ibi,inquit: Non plus: Loquitur cum illa. Pendet oratio, imò non pendet,sed deficit. Quid est hoc, quòd dicit: *Ille mihi,& ego illi.* Nescimus quid loquitur; quia nō sentimus, quòd sentit O sancta anima,quid tuus ille tibi? Quid tu illi? Quænam quæso, hæc inter vos, tàm familiariter,fauorabiliterque discurrens exhibitio, & redhibitio? Tibi ille,tuque vicissim illi. Sed quid? Id ipsum ei tu, quod tibi ille,an aliud? Si ad nostram loqueris intelligentiam,euidēter quod sentis edicito. Quousque animas nostras tollis? *An(secundum Prophetam) secretum tuum tibi? Ita est,affectus locutus est,nō intellectus,& ideò nō ad intellectu: Ad quid ergo? Ad nihil,nisi quod mirabiliter delectata,& affecta vehementer ad desideratos affatus,finem illo faciente, nec tacere omnino quiuit, nec tamen, quod sentit exprimere. Neque enim, vt exprimeret sic locuta est,sed ne taceret, ex abundantia cordis os locutum est, sed non pro abundantia.* Nihil omitti potui,quia nihil sententiosius.

Cant. 2. S. Ber serm 67. in Cāt.

Ioann. 10. Isai. 24.

Luc. 6.

Nec mirum est per charitatem plus accipere animam in mystica Theologia,nam actus charitatis super omnes virtutes felicem mentem Deo conformat: quia Deus charitas est,& ideò melius per charitatem,quàm per quācumque virtutem aliam, tanquā per con-

1. Ioan 4.

consimiliorem anima in Deum conformiter transformatur. Hæc denotāt illa verba Ioannis: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Vndè benè notauit Hugo: *Hoc priuilegium sola charitas habet, vt Deus dicatur, & sit, ita vt nulli alteri hoc conuenire possit. Non enim dicitur, Deus humilitas est, aut Deus pacientia est, sicut dicitur Deus charitas est, quia cùm omnis virtus Dei donum sit, nulla præter solam charitatem hoc habet, vt non solum donũ Dei, sed etiam Deus dici possit. Charitas autem ideò donum Dei est, quia Spiritus Sanctus à Deo datur fidelibus, ideò autem Deus est, quia idem spiritus illi, à quo datur consubstantialis est in eadem Deitate, & coæternus.* Hinc charitas habet cum Deo quandam, quasi connaturalitatem, vt capax est creatura eã habere. Abundantius constabit infrà in via vnitiua.

Hugo de S.Vict. libell. de laudib. char. to. 2.

Triplex est gradus charitatis. Primus pertinet ad principiantes, secũdus ad proficientes, tertius ad perfectos. Sic D. Thomas, ex D. Augustino: *Augustinus dicit: charitas cùm fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes; cum fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes: cùm fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos.* Ita explicat prædictos gradus Angelicus Doctor: Primò quidem incumbit homini studium principale ad recedendum à peccato, & resistẽdum concupiscentijs eius, quæ in contrariũ charitatis mouent. Hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutriẽda. Secundum studium succedit, vt homo principaliter ad hoc, quòd in bono proficiat. Hoc pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendũt, vt in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium, studium est, vt homo ad hoc principaliter intendat, vt ei inhæreat, & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo, sicut enim videmus in motu corporali, quòd primum est recessus à termino, secundũ est appropinquatio ad illum terminum, tertium est, quies in termino.

S. Aug. tr. 5. in 1. canon. Ioan. tom. 9. S. Tho. sup. q. 24. ar. 9. corpore.

Inter alias excellentias charitatis, vna est, quòd quantò magis augetur, tantò, & aliæ virtutes, & virtuosæ affectiones amplius purificantur, quousque omnes in eam solam transformentur: vt iam non sit timor, dolor, spes, vel pudor, sed tantum suo gaudio feruens amor, & illi bono tenaciter inhærens, quod solũ sufficit animæ desiderium adimplere, ipsum amore eius in se potenter transformare: vt iam cognoscat, sicut, & cognita est, & amet, sicut amata est: quamuis nõ quantum amata est: vt sit similitudo, non æqualitas. Nulla enim creatura tantum potest amare Deum, sicut amata est ab ipso: sed tantùm sicut accepit ab ipso. Deus namque sicut est causa omnium causarum, ita & diligit omnia in semetipso, & propter se ipsum. Et ideò sicut eius cognitioni, nostra non approximat, ita & amor noster eius amori, non potest comparari, nec in patria. Hæc sufficiant pro tantis, ac magnis virtutibus, prout ad nostrum institutum spectant.

CAPVT IV.

De Prudentia.

Sanctus Thomas agens de virtutibus, inquit: *Si tota materia moralis ad considerationem virtutum reducatur, omnes virtutes sunt vlterius reducendæ ad septem, quarũ tres sunt Theologicæ, de quibus primò agendum est, aliæ vero quatuor sunt Cardinales.* Hac de causa postquam actum est de illis, agimus de illis Cardinalibus. Hæ sunt lapides quadrati, in quibus iustus solidũ fundamentũ ponit in tẽplo spirituali animæ, vt firmus maneat. Audi Hugonem: *Electi quadrantur, dum inter quatuor virtutes, prudentiã, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam constituuntur.* Dat rationem: *Tunc enim quocumque vertatur electus, firmus manet, ne ad ignauiam prudentia, ad delectationem temperantia, fortitudo ad timorem, iustitia ad amorem se inclinet.* Applicat illud sacræ Scripturæ: *Præcepitque rex, vt tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos.*

S. Tho. 2. 2 in prolog.

Hugo à S. Victor. de claust. ani. c. 15. to. 2.

3. Reg. 5.

Sciendum tamen est, quòd habitus virtuosus in prima sui diuisione, diuiditur in infusum, & acquisitum. Schola autem D. Thomæ concedit habitus infusos morales; at schola nostra incũctanter sentit non dari tales habitus infusos, sed esse acquisitos, eo quòd virtu-

virtutes morales acquisitæ cum tribus illis supernaturalibus, fide, spe, & charitate, totum nostræ iustificationis, & glorificationis negotium pleniter, & perfectè peragere queant. Atque adeò virtus moralis acquisita est, illud mẽbrum diuisionis virtutis in commu ni, è regione distinctum à virtute super naturali per se infusa.

Cuius ratio sic explicatur. Quia enim virtus, quæ bonũ facit habentem, cum omnibus quæ sunt de per se, ratione virtutis generatur ex actibus conformibus rectæ rationi, habitus virtuosus vltra naturam habitus, requirit cõformitatem ad rectam rationem, ex 2. Ethi. Diffiniturque sic. Est habitus electiuus inmedietate consistens, quoad nos, determinata ratione, & vt vtique sapiens determinauit. Dicitur electiuus, idest, inclinans ad electionem. Electio hic sumitur largissimè, scilicet, secundum quod est indeterminatæ potentiæ libera determinatio. Consistit virtus in medietate, quia eius obiectũ est medium, quod secundum Philosophum oportet tenere in passionibus, siue operationibus. Determinata ratione, &c. idem est, ac dicere, secũdum determinationem rectæ rationis; non enim habetur actus studiosus, nisi habeatur prudentia actualis. — 2. Eth.

Sic igitur virtus moralis acquisita in communi diffinita, diuiditur in intellectiuam, & apetitiuam, quam diuisionem adæquatè hauriunt quatuor virtutes morales cardinales, quarum vna quæ ad intellectum pertinet, est prudentia, sicque diffinitur ex 6. Eth. Est habitus cum vera ratione actiuus, vel est recta ratio à nobis agibilium. Quod si aliquis dicat, hanc etiam esse diffinitionẽ scientiæ, seu philosophiæ moralis, nam scientia moralis est habitus actiuus cum vera ratione, dicimus cũ Scoto: Quòd diffinitio prudentiæ debet intelligi de habitu actiuo proximo; qualis est habitus acquisitus ex actibus. Vndè sicut ars se habet in factibilibus ad habitum experti: ita circa agibilia se habet scientia moralis, ad habitus prudentię; quia habitus artis, & scientię moralis, quasi sunt remoti ad dirigendum, quia vniuersales; sed habitus prudentiæ, & experti, quia generati sunt ex actibus, sunt particulares, & propinqui ad dirigendum. Ista expositio est necessaria, alioquin nulla esset scientia practica, quicumque est habitus actiuus, vel factiuus cum ratione vera. Hæc Doct. Subtilis. — Scot. q. 4. Prolog.

Constat clarè, quia multi scientes philosophiam moralẽ, non agunt prudenter in rebus agibilibus, eo quod carent prudentia. Similiter in arte. Item multi magni theologi, non ita diligũt Deũ, sicut alij multi minores in Theologia, quia licet Theologia sit habitus practicus, non tamen ita dirigit immediatè, sicut prudentia. Virtus hæc prudentiæ, non est species atoma, sed subalterna; habens sub se varias species specialissimas. Ratio est ex eodẽ Scoto, quia sicut ars respicit factibilia, sic prudentia agibilia: sicut ergo diuersa factibilia requirunt diuersas artes (vt patet, nam sciens facere domum, non scit facere calceos) ita diuersa agibilia diuersas prudentias proprias; & sicut aliquis potest esse moraliter benè affectus circa aliqua agibilia, & malè circa alia, ita etiam in dictando potest esse habitus ad rectè dictandũ circa ista, & non circa illa: cùm nec circa illa habeat principia ad dictandum de illis, nec conclusiones sequẽtes ex eis. De partibus prudentiæ, quæ integrales, seu secundariæ vocantur, optimè D. Thomas, agit ordine suo, & dirigit. — Scot. in 3. dist. 36. q. vnic. §. quantum ad istũ art.

Pro nostro instituto sumimus explicare prudentiam monasticam, & de illa specialiter agere, quia ad illud spectat. Prudẽtia monastica, est dictamen, per quod intellectus dictat rectè aliquod bonum homini conuenire: consistitque in posse benè consiliari, inquirere, iudicare, discernere, & dictare ad inquirẽdum sibi virtutes, & opera virtutum: & scire ordinare omnia, quæ sunt animæ, & corporis, ad exteriora omnia operanda secundum virtutes. Est summè necessaria in vita spirituali, quia nihil à se animus extorquet, quam vt omni operatione, & affectione modum seruet prudentialem in virtutibus. Vndè D. Bernardus affirmat, quòd virtus hec (quam discretionem vocat,) *non tàm virtus, quàm quædam moderatrix, & auriga virtutũ, ordinatrixque affectuum, & moderatrix: tolle hanc & virtus vitium erit.* — S. Tho. 2. 2. q. 47. & 48. — S. Ber. ser. 49. in Cãt.

Aliqua exempla adducit S. Bonauentura, quę talia sunt: Si parsimonia, vel abstinentia quis affectus nimis modicũ admittat de necessario alimẽto, vitium indiscretionis incurrit, per quam

quam vires corporis destruat, vigorē mentis extinguat, naturam debilitet, & bona, quæ promereri poterat, negligit, & vitam citius perimat, vel sensum perdat: vel si vires recuperare debeat, tanta postmodum studeat cura corpus suum reficere commodis, & fomētis, quanta priùs indiscretè eandem subtraxerat ei. Charitatis amor aliquos mēbra virilia sibimet amputare fecit, & dum voluerūt tentationis ardorem tēperare, se periculo propriæ interfectionis exposuerunt. Sic de excessu indiscreto circa alias virtutes. Hinc dicit Gregorius: *Plerumque enim virtus cū indiscretè tenetur, amittitur, cumque discretè intermittitur, plus tenetur, vt tantò post vitia valenter feriat, quātò à percussione interim prudenter cessat.* Paulò anteà dat rationem: *Non enim eadem res semper est virtus, quia per momenta temporum sæpè merita mutantur actionum. Vndè fit, vt cùm quid benè agimus, plerumq; melius ab eius actione cessemus, & laudabilius ad tempus deserat, quod in suo tēpore laudabiliter mens tenebat.* Hęc est linea recta nostrarum operationum, de qua Dominus, ad Iob: *Quis tetendit super eam lineam?* Hæc est quam D. Antonius teste Cassian. collat. 2. cap. 2. omnibus alijs virtutibus pręferebat tanquam doctricem cęterarum, quæ non sinit eas à recto ad dextram, vel sinistram flectere. Hæc ergo sola efficit, vt via regia mens in virtute incedat. Estq; quæ in Euangelio vocatur oculus, & lucerna, à qua virtutes illustrantur.

S. Gregor. Magn. lib. 28. mor. c. 6.

Iob. ca. 38.

Matt. c. 6.

Prudentia hæc, tres gradus obtinet. Primus est, ordinare mores exteriores secundum voluntatem Dei. Secūdus, & altior, ordinare affectiones interiores. Tertius, & altissimus, ordinare vires animæ secundum beneplacitum Dei. Vtquè prout est virtus politica, est ad rationis normam, quæ cogitat, & quę agit vniuersa dirigere, nihil præter rectum facere, vel velle. Sic facit hominem in omnibus rationabiliter operari, & cum hominibus honestè conuersari. Prout est virtus purgatoria, est mundum, & omnia quæ in mūdo sunt diuinorum cōtemplatione despicere. Prout est virtus purgati animi, est sola diuina noscere, & ea intueri. Hæc mētem perficit, dum eam in ęternis figit, quia sola æterna bona cœlestia cōcupiscit.

Denique, prudentia monastica vndequaque perfecta, alios quinque gradus habet. Primus est iudicare inter diem, & noctem. Secundus inter noctem, & noctem. Tertius inter diem, & diem. Quartus, iudicare omnem noctem. Quintus, iudicare omnem diē. Inter diem, & noctem iudicat, quādo docet bona à malis seggregare. Inter noctem, & noctem, quando à malis peiora à peioribus pessima discernit: inter diem, & diem, quando dictat ex bonis meliora, ex melioribus optima eligere. Omnem noctem diiudicat, cùm vnumquodque vitium digna examinatione pensat. Omnem diem iudicare, est vnamquamque virtutem iuxta propriam dignitatem æstimare. His gradibus docemur à prudentia diligere, non solùm bona, sed meliora, & optima, ac fugere mala, peiora, & pessima, in quo consistit puritas cordis, & mentis perfectio in virtutibus.

Consonant illa verba ad sponsam pertinentia: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertū, sicut virgula fumi ex aromatibus, mirrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarii?* Super quem locum, inquit Ricardus. Cum mirrha, & thure vniuersi pulueris pigmentarij, fumus perhibetur ascendere; non dixit vniuersi pigmenti, sed vniuersi pulueris pigmentarij. pignem enim est quælibet virtus, seu quodlibet opus virtutis, quòd in puluerem comminuitur, cùm subtiliter discutitur, & discernitur, ne quid in ea mali lateat, vel indiscretè fiat. Pigmētarius est homo, qui puluerem hūc terit, idest, singula opera sua discutit. Prouidēdum est enim, vt bona sine admixtione malorum fiāt: quia mala maiora bona necant, minora hominem maculant. Hucusque Ricardus.

Cantic. 3.

Ric. Victor. in Cant. c. 9. p. 2.

CAPVT V.

De Temperantia.

Habitus virtuosus acquisitus, diuiditur in intellectualem, & appetitiuum. Intellectualis est prudentia, vt visum est cap. præcedenti. Appetitiuus illicò diuiditur in virtutem disponentem ad se, & ad alterum. Insuper virtus disponens ad se, diuiditur in virtutem disponentem ad se, moderando vim

vim concupiscibilem: & in virtutem disponentē ad se, quę moderatur vim irascibilem. Etenim tàm in appetitu sensitiuo, quàm in voluntate rationali, hæc duplex vis inuenitur, quarum prima, prosequitur illud, quòd est sibi conueniens, eiusque actus est prosecutio, vel fuga: secunda repellit offendentem, quominus tale bonum appræhendat. Posita quidē conuenientis obiecti cognitione vis concupiscibilis prosequitur illud, & posita cognitione obiecti disconuenientis, refugit ipsum, vt patet in nobis, & in animalibus. At potentia concupiscibilis, necessario indiget, ordinari, & perfici circa ea, quæ nata sunt primo appeti, ne ea inordinatè appetat, sed secundum moderamen rectæ rationis, in quo consistit bonum hominis, quia viuit secundùm rationem ex D. Dionysio. Ad hoc ponitur temperantia.

S. Dionys. Areop. ca. 14. de Diu. nomi.

Nomen temperantię dupliciter accipi potest. Vno modo secundum communitatem suæ significationis, & sic temperantia non est virtus specialis, sed generalis: quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, idest, moderationem, quam ratio ponit in humanis operationibus, & passionibus, quòd est cōmune omni virtuti morali. Alio modo sumitur nomen temperantiæ rigorosè, in quantum, scilicet, retrahit ab his, quæ contra rationem, appetitum concupiscibilem alliciunt, in quo sensu est temperantia virtus specialis cardinalis.

Materia primaria huius virtutis sunt delectationes corporales, quæ tactu percipiuntur ex esculentis, & poculentis, & rebus venereis, circa quæ moderanda versatur; hæc enim vehementissima sunt, & à ratione longissimè abducunt: sunt enim nobis cum bestiis communia, & ea parte qua cum illis conuenimus, percipiuntur: Vndè etiam maximè turpitudinem, & dedecus coniunctum habent, quia similia bruta faciunt. Quare magni momenti, & necessaria fuit virtus, quæ modum rationalem poneret in his, & comparatur freno, quo refrenatur equus, & limę, quę superfluum rubiginis tollit de ferro. Et quia homo delectatur circa alios sensus propter conuenientiam sensibilium, temperantia versatur circa delectationes sensuum aliorum, ponē do in vsu illorum modum rationalē, in quantum referuntur, & incitant delectationem tactus, non principaliter, sed ex consequenti. Sic S. Thomas.

S. Tho. 2. 2 q. 141. art. 4. ad 3.

Virtus ista, prout est politica, est nihil appetere pœnitendum, in nullo, legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Prout est virtus purgatoria, est omnia relinquere in quantum natura patitur, quæ corporis vsus requirit. Prout verò est virtus animi purgati, est terrenas cupiditates non solum reprimere, sed pænitus obliuisci. Ita Bonauentura ex Macrobio lib. 6. in somn. Scipi. c. 8. Leg. N. Harphium lib. 1. myst. Theol. c. 5 ...

S. Bon. compend. Theolog. verit. c. 3. tom. 2. lib. 5.

Regula pro exercitio erit, vt nequaquam fiant pro luxuria actiones venereę in coniugatis; sed propter finem matrimonii & hoc pro necessitate. Similiter sumantur cibus, & potus ad necessitatem, non ad gustum, & delectationem, ad moderatam, scilicet sustentationem, & conseruationem naturæ. Vidè D. Hieronym. in cap. 14. Ezech. Sic temperantia ex Diuo Prospero animi torporem desiderio futuræ retributionis accendit, mentem placida tranquillitate componit, Tribuit (dispositiuè, non effectiuè) cogitationes sanctas, desideria sancta multiplicat. Denique, est quoddam genus sanctificationis hominis. Audi Bernardum *Quid inquit, illæ apud Moysem tam crebræ sanctificationes aliud erant, quam quædam purificationes hominum temperantium se à cibo, à potu, à connubito, hisque similibus?* Adducit illud Apostoli: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, & non in passione desiderii.* Item: *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Concluditque: *Liquet, & quod sanctificationem pro temperantia ponit.* Hæc est quædam præciosa margarita in conspectu ornatu splendore corruscans, & ad diuina recipienda disponens.

S. Prosp. li. 3. de vit. cont. c. 19.

S. Ber. ser. 22. in Cāt.


1. Thess. 4.

Temperantia non est species atoma, & ideò continet sub se alias virtutes,

ex quibus duę sunt integrales, idest, conditiones illius, istæ sunt verecūdia, per quam aliquis refugit turpitudinē temperantiæ repugnantem, & Honestas per quam quis amat pulchritudinem temperantiæ. Aliæ sunt partes subiectiuæ, quæ sic declarantur. Temperantia, vt dictum est, est circa delectationes tactus, quæ in duo genera diuiduntur. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum, & in his quantum ad cibum est abstinentia, quantum autem ad potum est propriæ sobrietas. Quædam verò ordinantur ad vim generatiuam, & in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus est castitas, quantum ad delectationes circunstantes, puta, quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur pudicitia. Deinde, quia concupiscibilis appetit honores, datur humilitas, quæ est species temperantiæ, quęque moderatur hunc appetitum. Cuius ratio sic aperitur: quia enim virtus moderatiua appetituum, & motuum est moderans, & refrænans, motus autem, & appetitus concupiscibilis se habent per modum impulsionis, est autem specialis motus, & appetitus animæ ad aliquam excellentiam, ad quam immoderatè tendit, ponitur humilitatis virtus, sic moderans, sic refrænans.

Et quia temperantia respicit in vniuersum delectabilia, & potest esse delectatio, non solum circa sensibilia, & tangibilia, sed etiam circa scibilia (nā ex Aristotele quædam sunt delectationes spirituales sequentes actus intellectus) necessaria est virtus, quæ moderetur delectationem circa cognitionem. Accidit quidem, quòd aliquis sit temperatus circa sensibilia, & intemperatus circa intelligibilia, & speculabilia, cogita, si delectetur in hoc, quòd intellectus, summè speculetur intelligibilia parum vtilia in se. Hæc enim delectatio indiget moderari, maximè in vita spirituali, vt nō plus sapiat homo, quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem: virtus hoc moderans vocatur studiositas.

Aristot. 3. Eth. ca. 10



CAPVT VI.

De Humilitate.

QVia humilitas est virtus sub temperantia constituta, vt dictum est cap. præcedenti, ideo de hac est præsens. Ex Bonauentura: *Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis, vel fragilitatis voluntaria mentis inclinatio.* In qua descriptione sciēdum est, quòd cognitio sui ipsius, & cuiuscumq; defectus, non pertinet essentialiter ad virtutem humilitatis. Ratio est, quia humilitas est virtus appetitiua, & residet in appetitu rationali: cognitio autem proprij esse, vel eius, in quo deficit à proportione illius excellentiæ, quæ suam virtutem excedit, pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua, & metrum operādi appetitus. Sic S. Thomas 2. 2. q. 161. art. 2. corpore. Ita intelligendus venit D. Bernardus, cùm dicit: *Quid humilitas est virtus, qua homo verissima cognitione, sibi ipsi vilescit.* Non quod humilitas consistat essentialiter in intellectu, prout includit cognitionem sui ipsius (quia solum consistit essentialiter in appetitu) sed in quantum est directiua motus appetitus, qui se habet per modum impulsionis, refrænans illum, ne immoderatè tendat in excelsa, & feratur in ea, quę supra se sunt, nec se æstimet supra id, quod non est.

S. Bona. de prof. relig. c. 29. li. 2.

S. Ber. tra. de gradib. humilit.

Quomodo sit humilitas fundamentum aliarum virtutum, vt est certum proberuium in vita spirituali, sic declaratur. Sicut ordinata virtutum congregatio per quandam similitudinem ædificio comparatur, ita etiā id quod est primum in acquisitione virtutum fundamento comparatur, quòd primò in ædificio iacitur. Primū autē acquisitionis virtutū dupliciter accipitur. Vno modo per modū remouentis prohibens: & sic humilitas primum locū obtinet, in quantum scilicet, expellit superbiam, cui Deus resistit, & prebet hominem subditum quantum ad omnia (alię virtutes quātum ad aliquam materiam specialem) & patulum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ in quantum euacuat inflationem superbię. Vndè dicitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* So-

Iob, c. 4.

secundum hoc, humilitas dicitur fundamentũ spiritualis ædificij. Alio modo est aliquid primum in virtutibus directè, per quod scilicet, iam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum, est per fidem, vt diximus capit. de fide.

Cant. 1. S. Ber. ser. 42. i Cant. Sanctus Bernardus in illa verba: *Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*, distinguit duplicem humilitatem, alteram iudicij, alteram affectus, in quo consistit vera humilitas, aliter non erit homo verè humilis ex toto. Humilitas iudicij est, qua quis seipsum intuens ad lumen veritatis suam vilitatem, se coram Deo summittit, non tamen vult ab alijs vilis habere, potius æstimari. Humilitas affectus, qua quis vult haberi ab alijs, qualem coram Deo se cognoscit. Sic explicat hanc duplicem humilitatem: Est humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas, quam charitas format, & inflãmat: Hęc in affectu, illa in cognitione consistit. Loquens de illo qui humilis est in suo iudicio, solum ait: *Eris humilis, sed de opere veritatis. & minimè de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius splendore illuminatus, ita amore affectus fuisses: voluisses quod in te est, eandem de te tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis.* Hunc benè reprehendit, quia tantum apud seipsum in secreto humilis est, & in publico maiori pondere se vendit; concludit: *Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, vt quã humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum, &c.*

Diximus, quòd humilitas est voluntaria mentis inclinatio: quia multi humiliantur à Deo, vel ab homine, & humiles non sunt, eo quod murmurant, & impatienter ferunt humiliationem, in ipsaque pereunt. Qui voluntariè se humiliat, dicit Deo: *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Psal. 118. Hoc dicere nequit, qui inuitus tolerat, minus qui murmurat. Est autem humilis, qui humiliationem conuertit in humilitatem, quia voluntariè recipit humiliationem, iudicans verè lumine veritatis se dignum humiliari, sicque humilitas venit de voluntate. Vndè D. Paulus de se aiebat: *Libenter* 2. Cor. 12. *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Libenter gloriabatur in humiliatione sua, non coactè, sed ab intrinseco affectu voluntatis, non ab extrinseco, & violenter; hilarem enim datorem diligit Deus.

Obiectum humilitatis est, id quod congruit nostrę vilitati: hoc enim est quod per humilitatem, & interius appetitur, & exterius agitur, & quamuis hoc, quod vile est, per se non sit expectendum tanquam honestum, vel laudabile, quatenus tamen est congruens nostrę conditioni, estque testificatio quædam, quod ex nobis nihil possumus, adeoque protestatio, quod omnia nostra sunt ex Deo; potest illa consideratione rationem honesti inducere, atque sub hac ratione, vilia, & probrosa esse possunt obiectum humilitatis; quatenus nimirum per illa, & nostram vilitatem, & diuinam benignitatem testamur: quod honestum, & valdè vtile, in hac vita reputatur. Lege Lessi. de iust. & iure, lib. 4. c. 4 dub. 7. num. 53.

Ex quibus patet, quòd absque falsitate potest homo de se credere, & pronuntiare duo, scilicet, se cunctis esse viliorem, secundum quod omnia bona sunt à Deo, non ex nobis, vt dicit Apostolus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* 2. Cor. 3. Iterum iudicare potest non ita operari cum gratia, sicut alter operaretur, si Deus ei donaret. Item se esse viliorem secundum defectus occultos, quos in se cognoscit, & non in alijs, propter quos indignus fit diuinis beneficiis. Refert Bonauentura, quòd cum staret S. P. N. Franciscus in quadam Ecclesia deserta, quidam frater eius socius, tũc actus in extasim, vidit inter multas sedes in cœlo, vnam præceteris digniorẽ preciosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem, cui reuelatum est, quòd ista sedes fuit vnius de ruentibus Angelis, quæ seruabatur humili Francisco. S. Bona. in legend. S. Franc. c. 6. Posteà rediẽs de extasi, quæsiuit frater ille à B. Francisco, quid de se ipso sentiret: *Ad quem humiliter Christi seruus, videor, ait, mihi maximus peccatorũ, cui frater, hoc nõ posse sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit. Si quantumq; sceleratũ hominẽ tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sanè, quòd multò quã ego Deo*

gratior esset. Hoc tam admirabilis verè humilitatis auditu confirmatus fuit frater de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante, cognoscens, quòd ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eiicitur, verè humilis exaltetur.

Hic est primus actus humilitatis, qui dicitur humilitas quoad nos. Secundus est, quoad proximum, & consistit in eo, quòd homo iudicet eum, ac reputet meliorem se. Sic Antonius Maximus monachorum postquam quæsitum Paulum inuenit, nihil se esse comparatione illius iudicauit, dicens: Væ mihi peccatori, qui falsum nomen monachi porto. Sic Diu. Paulus, qui plus omnibus in prædicando laborauerat, non attendit, sed aliorum innocentiam respiciebat, & quia persecutus fuerat Ecclesiam, minimum Apostolorum se nominat. Verus humilis in ordine ad proximum, sua merita propria ignorat: *Etiamsi simplex fuero* (dicebat Iob) *hoc ipsum ignorabit anima mea*. Quomodo hoc fieri possit in iusto, docet Gregorius, notans, necessarium esse, quòd mens cognoscat opera virtutum, vt ea sciat custodire in se: *Superest, vt recta quæ agimus, sciendo nesciamus: vt hæc, & recta æstimemus, & minima: quatenus & ad custodiam se nsificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem non eleuet æstimatio minorationis*. Tunc homo verè seruus Dei est, si de multa gloria Domini sui, & si non exeunte ex se, tamen transeunte per illum, nihil superbiæ in manibus adhærere cõtingat. Respectu autem proximi veneratur humilis virtutes quas in eo videt iudicio approbante, vt maximas. Tertius actus humilitatis est circa Deum, quo ipsum esse Deum, Dominum, & iudicem nostrum humiliter cognoscimus, ac veneramur humiliter. Sicut serui Domino suo, & illi subiicimur, sicut testa figulo. S. Bernardus ex B. Benedicto duodecim gradus humilitatis latè prosequitur, & S. Thom. benè explicat 2.2.q. 161 art.6. Pro functionibus humilitatis, vide Sanct. Valerianum hom. 14. in fine.

Iob.9.

S. Gregor. Magn. lib. 9. in Iob c. 13.

S. Bern. de grad. hum.

CAPVT VII.

De Fortitudine.

NOmen fortitudinis dupliciter accipitur. Vno modo, secundũ quod absolutè importat quandam animi firmitatem: & secundum hoc est virtus generalis, vel potius conditio cuiuscũque virtutis, quia ex Philosopho 2. Eth.c.4. lib 2. ad virtutem requiritur firmiter, & immobiliter operari. Alio modo accipitur fortitudo, secundum quod importat firmitatem animi in sustinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficilè est firmitatem habere, scilicet, in aliquibus periculis grauibus. Primo modo dicitur largè fortitudo, de qua loquitur Ambrosius. Secundo modo, est fortitudo virtus cardinalis, quæ in voluntate constituta repellit difficultates occurrentes graues, vt homo viuat, tunc secũdum rectam rationem, vincendo eas, quæ rationi opponũtur: sicut & homo per fortitudinem corporalem impedimenta corporalia superat.

S. Amb. de offic. lib. 1. cap. 39.

Fortitudo hæc sic diffinitur. Est virtus, quæ animi motus in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis sustinendis, vel reppellendis; moderatur. Eius obiectum, essentiam, & rationẽ, subiectum, ac necessitatem, sic breuiter complectitur, Scotus his verbis: *Sicut ergo concupiscibilis indiget ordinari circa illa, quæ sunt nata primo appeti, ne ea inordinatè appetat, sed secundum moderamen rectæ rationis, ita etiã irascibilis indiget moderari per habitum, ne immoderatè vellit propellere offendens, & vlcisci de illo*. Ex quibus fit, quòd obiectum irascibilis est offendens, & subiectum fortitudinis, est ipsa irascibilis vis, quæ idcircò hac virtute perficitur, vt scilicet, ipsa ordinatè vellit propellere offendens, & vlcisci de illo, ita quod si oportuerit, repellat, si verò conueniat non propellere, non propellat, sed tolleret, ac sustineat, vt patet in martyribus, qui tyranos sustinuerunt.

Scot. in 3. dist. 34. q. vni §. Not. vlterius, lit. F.

Materia principalis fortitudinis est mors, secũdaria verò pericula, quæ imminent, vel in aggressione, vel in perpessione. Dicit Tullius in Rethorica.

ea; quod fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Est igitur fortitudo circa mortem, & pericula maxima: quia propriè fortitudo dicitur, quæ firmiter tenet hominis voluntatem in bono rationis contra maxima mala. Qui enim firmiter stat contra maiora, consequens est, quòd etiam firmiter stet contra minora, non è contra, ideo solum reputatur quis simpliciter fortis, qui tolerat maxima mala, sicut mortem, & pericula mortis.

S.Tho. 2.2 q. 123. art 3. Ex Diu. Thoma fortitudo versatur circa timores, & audacias, quod sic explicat: Ad virtutem fortitudinis pertinet remouere impedimentum quo retrahitur voluntas à sequela rationis. Quod autē quis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat recessum quendam à malo difficultatem habente. Ideo fortitudo principaliter est circa timores difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem à sequæla rationis. Oportet autem huiusmodi rerum difficilium impulsum, non solum fortiter tolerare cohibendo timorem, sed etiam moderare aggredi, quãdo scilicet oportet ea exterminare ad securitatem in posterum habenda, quòd videtur pertinere ad rationem audacię. Et ideò fortitudo est circa timores, & audacias quasi cohibitiua timorum, & audaciarum moderatiua. Isti sunt actus principales fortitudinis, ex Angelico Doctore.

Bona. de 7. don. spirit. S. c. 2. de don. fort. Sanctus Bonauentura triplicem fortitudinem assignat, scilicet, politicam, purgatoriam, & animi purgati. Fortitudo politica, est mentem supra metuum periculi erigere, & nihil nisi turpia formidare. Purgatoria, est animam non terreri corpore paciente. Purgati animi fortitudo, est non tàm passiones vincere, quàm omninò ignorare. Felix, vir qui integra fortitudine est præditus, in dolore politus consolatur, se ipsum vincit, nullis illecebris, emollitur, & flectitur, non aduersis perturbatur, non secundis extollitur, & quamuis vento quodam variarum rerum circumferatur mutatione, stabili perseuerat animi constantia, contra cōditoris interiora, exterioraque flagella ignorat murmurare, & redarguere eius iudicia, sed æquo animo, & forti proposito viriliter tolerat, atque cum B. Iob gratias Deo agit corde, & ore eum laudat. Hæc est fortitudo perfectorum, de qua, inquit Paulus. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionē patimur, sed non dereliquimur, deijcimur, sed non perimus, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes;* Iam cor est adamantinum in omnibus aduersis, siue persecutio fiat ab inimicis, vel ab amicis, siue à domesticis, vel denique ab omnibus creaturis. Lege Chrysostomum. Denique huiusce modi fortitudo facit hominem superare, & transcendere omnem spiritualem consolationem, sensibilem gratiam, & omnia Dei quantumlibet magna, nobilia, & multiplicia: ita quod nullo modo quiescere consentiat in aliqua spirituali consolatione, dulcedine, reuelatione, aut in quocumque alio dono, sed omnia nititur pertransire, vt eum quem solum super omnia diligit, ad votum valeat inuenire. 2. Cor. 4. S. Chrysost. hom. 9. sup illu. loc.

Virtus fortitudinis, quia est moderatiua irascibilis, & illud dupliciter ordinat, vel repellendo, vel tolerando, & sustinendo; immediatè diuiditur in habitum, quo disponitur ad propellandum propellanda, qui dici potest Bellicositas, & in habitum, quo disponitur ad non repellendum repellenda, & hic dicitur pacientia (de qua capit. sequenti) ad quam sequitur Bellicositas, quæ est habitus, quo disponitur animus ad propellandum offendens, secundum quod iuxtà rectam rationem oportet. Deindè præter has species fortitudinis assignantur à Scolasticis aliæ, vel secundariæ virtutes, & potentiales partes. Hæ sunt: longanimitas, constantia, perseuerantia, magnificentia, magnanimitas, fiducia, & securitas. Tamen solum agemus infrà de perseuerantia, quia magni negotij est in vita actiua virtutum, & in vita spirituali.

CAPVT VIII.

De Pacientia.

VIrtus pacientiæ, & species fortitudinis, est habitus, qui moderatur, irascibilem, vt firmata per illum non repellat offendens, sed firmiter, & cōstanter sustineat illud. Vndè teste S. Laurentio Iustiniano de pacient. cap. 1. pacientiæ actus est recipere passionem: Ita quod animus, nec succumbat, neque vindictam appetat inferentis. Hæc est perfectior fortitudinis species, quia nobile vincendi genus est pacientię, vincit namque qui patitur. Sic Scotus. Ratio est, quia vt ait S. Thomas *Sustinere est difficilius, quam aggredi, quia sustinere videtur aliquo ab aliquo fortiori inuadente: qui autem aggreditur, inuadit per modum fortioris: Difficilius autem est pugnare cum fortiori, quam cum debiliori.* Quòd benè explicat Caietanus, dicens: Respectu periculi, aliter se habet sustinens, aliter aggrediens: quia sustinens se habet, vt patiens, ac per hoc se habet ad periculum, vt agens in se, quod est, habere se ad ipsum periculum, vt ad fortius: quia constat, agens, vt sic, fortius esse paciente, aliter non ageret in illud. Aggrediens verò è contra se habet, vt agens, superaturus, ac per hoc per modum fortioris.

Scot. in 3. dist 34. q. vnic. §. Nota vlt. lit. F.

S. Tho. 2. 2 q. 123. art 6. ad 1.

Huius virtutis actus martyrium est. Vidè Cyprianus inquit: *Sic Abel, originem martyrij, & passionem iusti hominis initians primus, & dedicans aduersus fratrem non resistit, nec reluctatur, sed humilis, & mitis pacienter occiditur.* Lege Ricardum. Præstantia istius actus, sic explicatur. Nam actus eatenus perfectiores sunt, quatenus magis comparantur ad primum motiuum, quòd est charitatis amor: *Quia charitas est vinculum perfectionis*, ad Colos. 3. *At maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis.* Eo quod vita, est bonum, quod homo præceteris diligit, & quod magis horret, sunt tormenta, & mors; ideoque tolerantia mortis, inter ceteros actus humanos est perfectior.

S. Cypr. de. bon. paciēt.

Ric Victo. de extermi nit. & promot ca. 14 p. 1.

Ioann. 13.

Sumitur etiam excellentia pacientiæ ex eo quod ex eodem Cypriano: *Est nobis cum Deo virtus ista communis. Inde pacientia incipit, inde claritas eius, & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo pacientiæ Deo auctore procedit.* Quòd argumentum latè, & eruditè prosequitur agens de pacientia Dei, deinde de Ss. P P. Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph. Concludit ad nostram doctrinam: *Diligenda res homini, quæ Deo chara est. Bonum quod amat maiestas diuina commendat. Si nobis Dominus, & Pater Deus est, sectemur pacientiam Domini pariter, & patris: quia, & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres.*

S. Cyp. sup.

Tribus modis virtus pacientiæ exerceri solet circa diuersas materias prœterdictas. Alia namque sunt, quæ à Deo, alia quæ ab antiquo aduersario, alia quæ à proximo sustinemus. A proximo, persecutiones, damna, & contumelias; ab antiquo aduersario varia tētamenta: à Deo flagella sustinemus, interiora, & exteriora. In his omnibus exercitium debet esse pacientiæ in viro spirituali. Vidè Sanct. Laurent. Iustinian. lign. vit. capit. 4. de pacient. qui optimè de hoc agit. An perfectè, fiat, si in tentationibus inimici communis mens à delectatione, atque consensu omnibus modis refrenatur, si inter contumelias, & persecutiones proximi custoditur ab odio inter flagella Dei, custoditur à murmuratione.

Virtus ista versatur circa opera, circa os, & circa cor. Vndè triplex est pacientia, vtpote operis, oris, & cordis. Pacientia operis consistit in hoc, quod homo spiritualis numquā reddat malum pro malo, sed semper sequatur, quòd bonum est, & in omnes bona operetur. De hac consulit nobis Apostolus: *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est, sectamini inuicem, & in omnes.* Et: *Nolite vinci à malo, sed vincite in bono malum, recogitantes eum, qui talem sustinuit à peccatoribus conuersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris scientes.* Dixerat anteà: *Per pacientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Ad quod proponit nobis Christum sustinentem hominum persecutiones, vsque ad Crucem, confusione contempta.

1. Thes. 5.

Ad Hebr. 12.

Pacientia oris est, in tribulationi-

ni-

bus persequentium eis benedicere, & non maledicere. Idem Paulus docet: *In tribulationibus pacientes. Benedicite persequentibus vos, & nolite maledicere.* Item S. Petrus: *Non reddentes malum pro bono, nec maledictum pro maledicto, sed è conuerso benedicentes.* Rationem, & exemplar nobis proponit: *Quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis, in Deum æternaliter; exemplo illius, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Atque adeò vir spiritualis debet motus impacientiæ, per pugnam pacientiæ prohibere, & reprimere, ne erumpat foras per illicita verba: eo modo quo ignis suo fumo extinguitur: *Cum defecerit lingua, extinguetur ignis.* Prouer. 26. Hoc petebat Dauid à Domino: *Pone Domine custodiam ori meo.*

Rom. 12.

1 Pet. 3.

Ps. 140.

Pacientia cordis, est sustinere proximos etiam inimicos in vnitate spiritus: & vinculo pacis media charitate, ita quod in affectu sit vnus cum illis, ac cum illis sit vnitus vir spiritualis. Ad hanc incitat Apostolus, dicens: *Obsecro vos, vt dignè ambuletis, cum pacientia supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Vbi Chrysostomus: *Qui tales sunt, nempè dilectione fratribus alligati, omnia facilè ferunt. Colliga te ipsum illi, & illum tibi: vtrumque in tua potestate est.* Quærens quid est vnitas spiritus, de qua loquitur Paulus, respondet: *Quemadmodum in corpore spiritus est omnia continens, quanquam diuersa sint membra, ita, & hic. Nam ad hoc datus est spiritus, vt genere, ac moribus diuersis discretos vniat.* Benè quidem, quia *Pacientia vera* (ait Bonauentura ex Gregorio hom. 17 in Ezechi.) *est, quæ etiam ipsum amat, quem portat. Nam tolerare, & odisse, non est virtus pacientiæ, sed velamentum furoris.*

Eph. 4.

S. Chrys. hom. 9 in c. 4. ad Eph.

S. Bona. c. 33. Pharet lib. 2.

Sicut in ceteris virtutibus, ita, & in hac differentes sunt status. Nam alio modo flagella, persecutiones, & tentationes substinent, qui incipientes sunt, aliter proficientes, aliter perfecti. Principiantes dicta pacienter sustinent. Vis etenim compunctionis, & doloris delictorum poros cordis aperit, & veræ pacientiæ fundamentum ponit. Deinde ex recordatione delictorum quispiam ad toleranda aduersa se ordinat, & eò in se valentius impacientiæ motus comprimit, quò se nequiùs scelera perpatrasse cognoscit.

Proficientes, qui sine murmuratione in isto primo gradu pacientiæ purgati sunt, iam libenter sustinent omnia. Illuminata enim mens delectationibus meritorum, cuncta libenter patitur. Nihil condignum arbitratur, quod patitur consideratione donorum. Læta efficitur, & exponit se ad omnia, vt quod intuetur, possideat. Nutriunt enim pacientiam præmiorum exempla. Proinde Dominus, vt suos accenderet ad tolerandas passiones, ante ipsorum oculos voluit transfigurare se, vt ex recordatione gloriæ libenter eas tolerarent, & alacres ad pacientiam fierent.

Perfectorum pacientia est omnia adversa pati gaudenter. Perfectus namque impacientia, inter aduersa perseuerat cum gaudio, eòque magis in penis gaudet, quò perfectior est. Hinc Paulus de se, dicit: *Complaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in angustiis, in persecutionibus pro Christo.* Iterum: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Quicumque ad huius perfectionem pacientiæ peruenit, non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, nec tristibus mergitur, idem est in animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, aut circumfertur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus in charitate, radicatus in fide. In omnibus gaudenter dicit cum Iob. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum. Et vt inquit Bonauentura *Gaudet in tribulationibus, gloriatur cùm adsunt, desiderat cùm desunt, sicut famosus, & nobilis tyro gloriatur cùm debet tyrocinium contra alium nobilem exercere.* Iob: *Quis det, vt veniat petitio mea. Et hæc sit mihi consolatio, vt affligens me dolore non parcat.* Hæc est pacientiæ perfecte victoria, quæ facit possessores animas suas in pace possidere. Hos tres pacientiæ gradus peroptimè illustrat N. Harphius. Pro aliis gradibus videri potest Tertull. lib. de pacient. & Cyprianus citatus.

1. Cor. 12.

2. Cor. 2.

S. Bon. de profect. Relig. ca. 37. lib. 2

Iob. 6.

Henr. Harph. li. 1. myst. Theo. c. 77 78. & 79.

CA.

CAPVT IX.

De Perseuerantia.

PErseuerantiam, sic diffinit Bonauentura ex Tullio : Perseuerantia est in ratione, benè constituta stabilis, & perpetua permanentia. Angelicus Doctor tenet esse virtutem specialem, quia ex Philosopho lib. 2. Ethic. cap. 3. virtus est circa difficile, & bonum. Ideo vbi occurrit specialis ratio difficultatis, ibi est specialis virtus. At difficultas patitur persistere in aliquo bono vsque ad consummationem, atque adcò ad hanc difficultatem vincendam, datur specialis virtus perseuerantiæ.

S Bonau. de don. fortit. c. 3.

S. Tho. 2. 2 q. 27 art 1. corp.

Cæterum iudicamus cum alijs perseuerantiam non esse specialem virtutem, sed generalem, nam diuturnitas operis non variat specie opus suũ: Quod enim actus duret vnius, vel plurium spatio horarum, operis speciem non immutat : ergo ab eadem numero virtute potest fieri actus diuturnior, à qua fit breuior. Et quidem certum est habitum cuiuscunque virtutis extendi per actus, maioremque facilitatem facere in subiecto ad tales actus ; ex qua maiori facilitate vincitur difficultas diu perseuerandi in bono talis virtutis. Consonat Sanctus Laurentius inquiens : *Subitò procedenti de vmbra ad solem, de ocio ad laborem, graue est ei, quòd incipit, sed postquam in his assuescere, & perseuerare cœperit, vsus tollit difficultatem, & facile esse incipit, quod impossibile antè putauit. Nam nihil est, quod non impugnet pertinax, & intenta operatio, ac diligens, & perseuerans cura.* En vsui actionis virtutis tribuit vincendi difficultatem, vim Apponit exemplum in guta aquæ, quæ vincit duritiem lapidis perseuerantia, sæpè cadendo. Sanctus Bernardus : *Vnde Beatus Gregorius : Virtus boni operis perseuerantia est.* Non ergo distincta virtus, sed ipsa virtus perseuerans in bono opere est. Atque ideo virtus generalis, cùm omnis virtus respiciat suum actum, cum quo vincit difficultatem perseuerandi. Sicut constantia non est specialis virtus, quia cùm respiciat laborem, quem homo sustinet in continua exercitatione boni operis ; hic est modus, qui in omnibus virtutibus receptibilis est.

S. Laur. Iustin. lign. vit. c. 2. de perseuer.

S. Bern. de mod. viuend. cap. 20.

Materia precipua istius virtutis est opus bonum in qualibet virtute: forma illius continuatio vsque in finem, quem ratio præscripserit. Continuatio dicitur, qua opus repetitur temporibus, & vicibus opportunis. Secunda materia est difficultas, quam ex diuturnitate nascitur, quamque superat perseuerantia. Officium ergo eius est progredi in opere bono, quod ceptum est, & ad finem vitæ continuare.

Ex his constat, quàm necessaria huiuscemodi virtus est in vita spirituali. Sic semper mens proficit, quia qui retrò non abijt, semper progreditur. Econtrariò, qui non perseuerat, retrò progreditur, quia in via Dei non progredi, regredi est. Non sufficit bona incipere, nisi etiam quisque studeat ea quæ benè inchoauit, vsque ad finem vitæ perducere : etenim melius est viam iustitiæ non cognoscere, quã post cognitionem retrorsum conuerti. Patet in Iuda traditore. Vnde Dominus in Euangelio : *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Hinc Augustinus pro perseuerantia electorum ait: *Prædestinatorum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur : & deleta quæ intercurrerat, iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur.* Vnusquisque illorum dicit cum Iob: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies:* Quasi palmam multiplicat dies, qui incepto bono vsque ad finem vitæ perseuerat.

S. Aug. de corep. & grat. ca. 7. tom. 7.

Iob. c. 29.

Deueniendo ad vitam interiorem orationis, & præsentiæ Dei, maximè necessaria est quædam argumentosa perseuerantia cordis intima proficere volentibus. Nam multi deuoti repeiiuntur, qui in bona quadam simplicitate, & intentione se conuertunt ab interioribus ad quædam exteriora minus vtilia, vel necessaria, aut etiam ad quædã superflua, licèt minima, propter quandam inclinationem naturalem, seu sensualem. Qui sic in exterioribus cõstituti, ex incauta custodia paulatim

latim oberrare per distractionem incipiunt, ita quod ad interiora, sicut prius, accedere non possunt: quia inficiuntur verborum ociositate, rumorum nouitate, sensuum lubricitate, & similibus, ita quod appetitus spiritualis incipit dissipere rebus interioribus, & tepescere; & cùm facit regressum ad intima, requiem non reperit ob nubilationem, distractionem, & tedium, sicque elongatur à diuina familiaritate. O quàm leue est quod in nobis contristat Spiritum Sanctum, & impedit diuinum opus! legitur de Virgine Clara de Monte Falcone prope Fulginum (quæ fuit sanctitate vitæ mirabilis,) quod in principio suæ conuersionis post degustatos mirificos complexus diuinæ consolationis, & illuminationis: propter leuem quendam motum propriæ complacentiæ quindecim annis elongata fuit ab illo influxu diuini luminis, & internæ dulcedinis. Lege S. Laurent citatum cap. 4. Sicut enim oculis corporalibus necessaria est lux, vt visio perfruatur suo, obiecto, ita viro spirituali, necessaria est hæc perseuerantia mentis, vt Deo in oratione fruatur.

Denique, de excellentia virtutis perseuerantiæ, hæc inquit idem S. Laurentius cap. 2. Perseuerantia, est singularis filia regis summi, finis virtutum, earumque consummatio, sine qua, neque qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmiũ, soror pacientiæ, charitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle hanc, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui æternitas redditur, vel potius, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Ita ille. Vide S. Bernardum Epist 129.

S. Greg. Magn. lib. 10. Moral c. 10. Ad formandum iudicium, an vir spiritualis perseueret in via Dei, vel non, optimè Gregorius depingens perseuerantes, & non perseuerantes in bono. Hi ad conuersationem venientes, non tales quales cœperunt, perseuerant, & quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paulisper per augmenta temporum, patiuntur detrimenta virtutum: sensim in eis desideria superna languescunt, & qui robusta, ac fortia proposuerant, debilia ac infirma consummant: dũque ætatis augmento proficiunt, quasi flexibiles crescunt. Perseuerantes comparat palmæ, quæ vastior in summitate est, quàm esse cœpit in radice, quia illi plus finiendo peragunt, quàm proponunt inchoando, & si tepidiùs prima inchoant, feruentiùs extrema consummant, videlicèt, semper inchoare se æstimant, idcirco infatigabiles in nouitate perdurant. Hi moriuntur in nidulo suo, & sicut palma multiplicaunt dies. De his Isaias: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* *Isa. ca 40.* Contemplatione volant, quia in via fortes, & perseuerantes Quia sustinent Christum, qui misertus eorum sustinentiæ, eis tribuit diuina charismata, eosque faciat spiritualibus panibus, ne deficiant. Triplex est gradus perseuerantiæ: infimus in principiantibus, qui magnam difficultatem sentiunt in continuatione virtutum: medius ad proficientes spectat, qui minorem; tertius ad perfectos, qui quasi nullam sentiunt, imo, & gaudium, ac delectationem.

CAPVT X.

De iustitia.

NOmen iustitia tribus potissimum modis accipitur, vt colligitur ex Aristotele 5. Ethic. cap. 1. Primo pro omnium virtutum complexione, sic vt quæuis virtus sit pars iustitiæ, quæ ordinatur, & refertur ad bonum commune, ad quod iustitia ordinatur, & quatenum ad hoc iustitia dicitur virtus generalis, quæ per imperium alias virtutes mouet ad bonum commune; eo modo, quo charitas dicitur virtus generalis in quantum ordinat, & refert actus aliarum virtutum ad bonum diuinum. Secundo pro legali, seu generali iustitia, quæ fit particularis virtus respiciens bonum commune Reipublicæ, illudque procurans, & promouens.

Tertio sumitur iustitia pro habitu appetitiuo acquisito, qui est virtus Cardinalis, quæ moderatur appetitum in ordine ad alium. Semel enim ordi-

ordinato homine in ordine ad se, quoad concupiscibilem, & irascibilem vim per temperantiam, & fortitudinem, indiget ordinari in ordine ad alterum, quòd pleniter præstat iustitiæ virtus. At in præsenti sumitur pro habitu determinante voluntatem ad firmiter volendum seruare rectitudinem debitam in operibus, quæ sunt ad alterum. Qua ratione constat, quòd sit virtus, nam constituere debitam proportionem in actionibus, in quibus homines inter se communicant, est per se bonum, & rectæ rationi consentaneum, & consequenter virtuosum.

Est autem præclara virtus. Tum quia ex D. Thoma fundatur in voluntate, tanquam in proprio subiecto. Tum, quia virtus est circa difficile: difficilius autem est rectè se habere in ordine ad alium, quàm in ordine ad se. Sic Aristot. citatus. Est virtus moralis quia in mediocritate consistit. Est virtus Cardinalis, quia est Cardo aliarum virtutum specie distinctarum. Obiectum illius est ius alterius, quòd conatur illæsum seruare. Vnde in huius virtutis operationibus sic intellectæ, non considerantur qualiter ab agente fiant, sed quomodo adæquentur alteri secundum aliquem æqualitatis modum. Hinc S. Dionysius, dixit: *A iustitia laudatur Deus, quòd omnibus, vt dignum est, tribuat, & congruentem modum, & pulchritudinem, & dispositionem ordinis; vt omnibus dispertiat, & singulis ordines præstituat secundum veram, & iustissimam præscriptionem, & omnibus suæ cuiusque actionis auctor sit.* Et subdit: *Omnia, diuina iustitia ordinat, & determinat, omniaque ab omnium mixtione, & confusione libera seruans, cuique conuenientia rebus omnibus tribuit, prout cuiusque congruit dignitati.* Deinde concludit contra eos, qui diuinam iustitiam cauillantur: *Sciendum est, diuinam iustitiam hoc ipso reuerà veram esse iustitiam, quòd omnibus, quæ sua sunt tribuat pro merito singulorum, atque naturam cuiusque in ordine proprio potentiaque custodiat.* Agit de iis qui iuxta Psalmistam loquuntur: *Aduersus Deum iniquitatem.* Vide hic Dionys. Carth. ar 9

S. Th. 2. 2. q. 59. art. 12.

S. Dionys. Areop. ca. 8. de diuin nom.

Psalm. 74

Est item virtus iustitiæ, quæ communicat alteri aliud intrinsecum à se, quod respicitur à duplici virtute: Prima dicitur Dominatio, quæ residet in Prælato, per quam tenetur communicare subdito, quidquid necessarium est ad benè esse ipsius, siue communitatis. Huic correspondet in subdito obedientiæ virtus, per quam subditus communicat Prælato subiectionem: diciturque obedientia, quasi subaudientia. De hac cap. sequenti. Ad has virtutes pertinet mansuetudo propriè namque mansuetus dicitur, qui exequitur sibi iniuncta sine murmuratione: sic loquuntur Patres. Et mansuetus etiam dicitur Prælatus in præcipiendo, qui iusta, & debito modo præcipit. Quare mansuetudo in Prælato erit iusta dominatio, & in subdito iusta obedientia. Has duas virtutes sequitur pax tanquam passio, & est illa beatitudo: Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.

Cum hac iustitia dominatiua Prælati, inquit S. Laurentius: *Fiant serui, & ministri hominum propter Christum, quatenus intermissa Rachele decora facie, intrent ad Lyam oculis lippam, & monte cum Moyse descendant de otio contemplationis ad campum, & laborem actionis, alioquin strenuè subditis ministrare nequeunt.* Hoc faciunt Prælati iusti, & discreti, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Et quia etiam charitate flagrant, sciunt vacare sibi, & subditorum curæ intendere, ac eorum profectibus quantum, & quoties opus fuerit. Conquærebatur Bernardus, quòd rara satis à superuenientibus subditis concedebatur sibi hora, & iudicans scrupulosius mouere querelam, ne subditi propter pusilanimitatem eum non quærerent in suis necessitatibus, sic loquitur: *In eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro suis necessitatibus. Geram eis morem quoad potuero, & in ipsis seruiam Deo meo, quandiu fuero in charitate non ficta. Non quæram quæ mea sunt: nec quòd mihi est vtile, sed quod multis, id mihi vtile iudicabo.* Sciebat genus esse iustitiæ communicare subditis quidquid necessum erat ad bonum ipsorum. Sic vtebatur sua iustitia dominatiua, relinquendo, vt subditi, illo vterentur in suis necessitatibus.

S. Laur. Iust. lig. vit. c. 1. de virtut. iust.

S. Ber. ser. 52. in Cant.

Prout autem spectat ad vitam spiritualem, non sufficit iustitia particula-

ris, sed requiritur iustitia generalis, prout comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ad se ipsum, & ad Deum; sic namque comprehendit totius animæ rectitudinem, cùm ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Per iustitiam comprehenduntur virtutes ad proximum ordinantes, videlicet, æquitas, quæ cuilibet dat quod suum est, vt dictum manet: hæc secundum Theologos dicitur attingere medium rei, reliquæ virtutes mediũ rationis, quia iustitia non spectat quidnam commensuretur suo subiecto secundum regulam rectæ rationis, vt istæ faciunt; sed quid commensuretur rei, vel iuri alterius, vt nec minus, nec amplius præstetur, sed æquale. Sic non cognoscit patrem, nec affines, nec amicos. Vide Lessium. de iust. & iur. lib. 2. c. 1. dub. 2.

In ordine ad proximum, etiam includitur in iustitia liberalitas, quæ respicit, & approbat liberas largitiones seruans modum, sine spe retributionis humanæ, vt pluribus prodesse posit, iuxtà illud: *Dispersit, dedit pauperibus.* Comprehendit virtutes, quæ ordinant ad se ipsum, sicut est innocentia animæ per exercitium virtutum, quia beati mundo corde. In ordine ad Deum comprehendit virtutes, quæ sunt latria, & obedientia. Per latriam tribuit Deo cultum debitum cordis, oris, & operis: per obedientiam seruat eius mandata, facitque diuinam voluntatem in omnibus, offerturque ipsi homo sacrificium immaculatum per veram contritionem scelerum suorum: Sic Dauid: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Deinde per veram mortificationem corporis, de qua Apostolus: *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, Sanctam, Deo placentem* Denique per amorem, in quantum præualet homo diuina gratia adiutus. Quibus per actis consequitur perfectam vndequaque iustitiam.

Psal. 111.

Ps. 50.

Rom. 12.

Sanctus Bonauentura ex Macrobio lib. 1. in somn. Scip. cap. 8. triplex est iustitia. Prima Politica, quæ vnicuiq; tribuit quod suũ est. Secũda purgatoria, quæ consistit, ad vnam cuiuscumque propositi viam cuiuslibet virtutis officium conseruare. In hoc gradu iustitiæ plus sitiunt iusti iustitiam, existimantes numquam satis se esse iustos, sed semper ardent amore iustitiæ ad modum sitientis, & esurientis. Quomodo cõseruari posit iste gradus iustitiæ, docet Bernardus, his verbis: Si perfectionis aliquid attigisti, te ipsum in te ipso metiri, & dic cum Apostolo: *Non quòd iam apprehenderim, aut perfectus sim, sequor autem si forte comprehendam, in quo, & comprehensus sum. Vnum autem quæ quidem retrò sunt obliuiscens, & ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum ad destinatum prosequor brauium supernæ vocationis in Christo Iesu.* Tertia iustitia est purgati animi, & perfectorum, & hæc mentem in æternis figit, & cum superna sociat, ac seruat cum ea fœdus perpetuũ, illam inseparabiliter immitando. Lege N. Harphium.

S. Bon. de prat. Sanct. c. 37 lib. 5. t. 2.

S. Bern. de vit solit. ad fratr. de mont. Dei.

Ad Phil. 3

Henr. Harph. li. 1. myst. Theol. c. 81.

CAPVT XI.

De Obedientia.

DIctum manet cap. præcedenti debito iustitiæ teneri subditum obedire prælato, cum qua illi communicat suam subiectionem. Sic diffinitur: Est propriæ voluntatis subiectio per corpus certius ostensa arbitrio superioris, ad licita, & honesta. Vocat obedientiã S. Climacus: *Sepulchrum voluntatis*; quia in ea subditus non facit voluntatem suam, sed prælati. Vnde dixit Christus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Non dicit, sequatur suam voluntatem, sed neget. Vnde non est perfecta obedientia, quæ actionibus exterioribus fit, nisi ex corde oriatur, sentiendo benè de illis. S. Bernardus: *Redde reuerentiam prælato, & obedientiam: quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius ob temperare maioribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis.*

S. Clim. grad. 4. Bibliot. P. P. t. 5.

Math. 16.

S. Ber. ser. 1. de Aduent.

Est virtus specialis, quia vt inquit S. Thomas, obedire superioribus est debitum secundum diuinum ordinem rebus inditum, eius actus habet specialem laudem, ex speciali obiecto; vnde cum subditi teneantur obedire superioribus in suis præceptis, speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum, & opus laudabile. Est maxima

S. Th. 2. 2 q. 104 art 2. corp.

ma inter virtutes morales ex eodem art. 3. quia voluntas est præcipuum inter bona animæ, in quantum per volūtatē homo vtitur alijs bonis exterioribus, etiam corporis; ideoque per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam vo luntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum alia bona contemnunt. Vnde Gregorius dicit vltim. mora. quòd obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Idem Gregorius alio loco commentans illud: *Melior est obedientia, quam victima, ait: Quasi dicat: Et si pro excellentiori virtutum gloria excellens bonum quærebas, bonum obedientiæ, quod excellentibus etiam excellit, eligere potius debuisti.* Paulo antè dixerat: *Longè altioris meriti est propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiicere, quam magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare.* Obedientiæ obiectum formale est potestas dominatiua prælati. De excellentia obedientiæ. Lege S. Laurentium.

D Greg. Magn. in lib. 1 Reg c. 15. vers. 22.

S. Laur. Iustin. lign. vit c. 3. de obedient.

Multiplex est gradus obedientiæ. Primus est, religiosi voto solemni adstricti. De hoc agunt D D. in materia de voto. Ad illos remito. Referam doctrinam necessariam pro subditis. Diuus Bonauentura: *Prælato te dedisti propter Deum* (ait) *& propter regnum cælorum, & iam non es tuus, sed eius, cui te vendidisti, & ideo nihil tibi licet agere de te sine eius voluntate. Contractio rei alienæ inuito Domino, furtum est, fur autem cœlo non appropriat.* Seraphicus P. N. Franciscus postquam dixerat fratribus suis, verbum primò præceptum implere, nec expecteris iterari quod dicitur vobis, præuidens pusillanimitatem aliquorum, subiungit: *Nihil impossibilitatis iudicetis esse in præcepto, quia, & si suprà vires ego vobis mandarem, sancta obedientia viribus non careret. Nec considerare debetis, quis, vel qualis sit, qui vobis facienda præcipit, sed solus quod sit prælatus.* Benè quidem, quia iam ius dominandi habet, & possidet. Prosequitur de se ipso, inquiens: *Inter alia quæ dignanter diuina pietas mihi concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter nouicio vnius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discreto fratri. Quanto enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet.*

S. Bona. de inter. hom c. 2.

S. P. N. Franc. collat 4. de obedie.

In testamento, quòd nobis fratribus minoribus reliquit, altius, expressit negationem propriæ voluntatis in rebus obedientiæ, his verbis: *Firmiter volo obedire Generali Ministro huius faternitatis, & illi Guardiano, quem mihi dare placuerit. Et ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim facere, vel ire contra voluntatem suam, quia dominus meus est.* Non dicit, eam, vel faciam contra voluntatem suam, sed, vt non possim ire, vel facere: quasi non esset liber, quia nobilissimè captus, negans posse facere. O admirabilis impotentia moralis liberi arbitrij! O nobilis, & perfecta subditi (aliàs patris, & fundatoris Ordinis) obedientia!

Ad hunc gradum reduci potest obedientia, quam sub voto solent aliqui vouere Magistro spirituali. Laudabilis quidem, & magni meriti, vt patet, sed si fiat prouida maturitate, & consilio virorum spiritualium expertorum, ac discretione pollentium. Solent enim tyrones aliquo sensibili affectuoso affectu moueri, qui posteà refrigescit, & potest esse periculum in adimpletione voti, quia imperfecti sunt, & debiles in virtutibus. Consulit P. Antonius de Molina Chartusianus, quòd simpliciter ei obediant in omnibus propter pericula. Nos Fratres Minores, vnum habemus pro certo ex consilio S. P. N. Nimirum, quòd non permittamus filias spirituales promittere obedientiam nobis: *Nulla penitus* (inquit) *mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam; sed dando ei consilium spirituale, vbi voluerit, agat pœnitentiam.*

P. Ant. de Molin. tract. 1. de orat. ment. c. 2.

Ca. 12. regul.

Secundus gradus obedientiæ, est, cum quis in omnibus superiori obedit, licèt non præcipiat, sed aut verbis, aut nutibus, aut sola voluntatis

tatis significatione ordinentur. De hac Bernardus, de pace, & dispens. c. 9. & Cali. lib. 4. instit. ca. 1. vocatur obedientia conformationis, qua subditus conformatur cum voluntate superioris modo explicato. Tertius gradus, est obedire simpliciter, hilariter, & velociter. Ex sententia PP. hic fuit obedientiæ Abraham in immolatione Isaac, quem diligebat. Genes. 22.

Quartus gradus obedientiæ, est obedientia vnionis, qua quis voluntatē suam tam in volito, quàm in modo volendi, adeò voluntatis, prælatorumque dispositioni liberè subiicit, quòd illorum beneplacitum sit ei summum desiderium, siue prospera sint, siue aduersa, nihil in voluntate sua reseruans sibi. Sic explicat hunc gradum D. Gregorius: Debet ergo obedientia, & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursus in prosperis ex suo aliquid omnino non habere: quatenus, & in aduersis tantò sit gloriosior, quantò diuino ordini etiam ex desiderio iungitur, & in prosperis tantò sit verior, quantò à præsenti ipsa, quam diuidetur percipit gloria, funditus speratur. Hæc ille. Probat exemplo Moysis, qui se excusauit, quando à Deo mittebatur vt prælatus Israel fugiendo gloriam regiminis. Ac testimonio Pauli, qui edoctus à Propheta Agabo, de his quæ passurus fuerat, respondit: ***Ego non solum alligari, sed, & mori in Hierusalem, paratus sum pro nomine Iesu, neque enim preciosiorem facio animam meam quam me.***

S. Greg. Magn. lib. 35. Mor. cap. 10.

Exod. 4.

Act. 21.

Prædicti gradus obedientiæ spectant ad voluntatem. Aliam obedientiam assignant Patres vitæ spiritualis, quam vocant intellectus, quam definit Sanctus Climacus, citatus sic: *Est discretionis dispositio inter diuitias discretionis.* Consistit huiuscemodi obedientia intellectus, quæ cæca dicitur, in omittendo quæ mihi videntur meliora, ac illa quæ iubet superior; includitque actum positiuum iudicii iudicantis esse meliora, quæ omitto, ac quæ mandantur. Hoc est, depositio discretionis propriæ. Perfectam obedientiam dicit Seraphicus P. N. Franciscus est: *Quando subditus viderit meliora, & viliora animæ suæ, quam ea quæ suus prælatus percipiat suam voluntatem sacrificat Domino.* Ista renunciatio proprii iudicii in melioribus, in qua propriæ opinioni valedicitur, Subdit: *Sunt multi religiosi, qui sunt specie videndi meliora, quam quæ sui prælati præcipiunt, aspiciunt retro, & ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ sunt, & propter mala sua multas animas perdere faciunt.* Decipiuntur proprii sensu errore. Vndè benè Gregorius: *Tunc dignum est, quod impendit, cùm impendens iustus est virtute obedientiæ, & diuinæ immensitatis consideratione timoratus, cum se aliud esse non credit, nisi quod maiorum probatione cognoscit.* Lege S. Bonauent. cap. 4. specul. p. 1. Sanctus Laurentius capit. 5. *Nullo vitio tam præcipitem diabolus trahit monachum, aut perducit ad mortem, quàm cùm neglectis consiliis seniorum suo iudicio suaserit, definitionique confidere.*

S.P.N. Franc. c. 3 t. 1. opusc.

S. Greg. Mag. in 1 Reg. c. 10. vers. 8.

Talis obedientia cæca est diues in vera discretione, quia deponitur proprium iudicium, quòd quia in causa propria, decipitur multoties, oditur anima in hoc mundo, vt in vitam æternam custodiatur; sumitur iudicium superioris tamquam diuinum, cui propter Deum, & loco Dei obeditur. De quo Abbas Moyses apud Cassianum collat. 2. inquit: *Nullatenus decipi potest, qui non suo iudicio, sed maiorum viuit exemplo, nec valebit ignorantiæ eius calidus hostis illudere.* Imo hac obedientia serui Dei plurima operari sunt miracula, vt patet in gestis eorum, in Sancto Bonauentura part. 3. stimuli amor. capit. 11. & in collat. Patrum, apud Cassianum multis in locis, & alibi.

Hucusque dicta debent obseruare, qui viam spiritualem elegerunt, ita quod prædictis gradibus obediant Magistro spirituali, de cuius necessitate actum est suprà. Ad hoc enim electus est, & ad idem manifestantur, & debent manifestari affectus proprii, tentationes, imperfectiones, tepiditates animi, virtutum exercitationes, modum viuendi, &c.

Tra. 1. c. 4

N

&c. vsque ad minima. Quid proderit manifestatio horum, si non obeditur? medico infirmitatem, & eius accidētia detegit infirmus propter salutem, cuius obedientiæ subiicitur, aliter illam non consequetur. Narrat S. Climacus cap. 4. grad. 4. in Biblior. P P. t. 5. se vidisse aliquos Monachos in Tebaida secū habere libellos, inquibus vsque ad cogitationes scribebant, vt de illis rationem darent pastoribus suis. Et licèt numquam per obedientiam malum fieri debet, sciant aliquando per obedientiam bonum quod agitur, intermittere. Neque enim mala in paradyso arbor extitit, quàm Deus homini, ne contingeret, interdixit: *Sed vt in melius* (inquit Bonauentura) *per obedientiæ meritum homo benè conditus cresceret, dignum fuerat, vt, & hunc etiam à bono aliquo prohiberetur: quatenus tantò verius hoc quod ageret, bonum esse cognosceret, quantò à bono cessans Auctori suo se subditum humilius exhiberet.* Lege Basili. serm. commonit. ad complex. monast. præpositum.

S Bona. li. 2. Pha-ret. c. 43.

Perfecta quidem obedientia, legem nescit, locis, nec operibus coartatur, pro lege solum habet præcepta magistri, vt explicatum est, alacri voluntate fertur in latitudinem charitatis, ad omne, quod iniungitur, spontaneo, & cæco affectu vigoroso, & liberali animi modum non considerans in infinitam libertatem nobilissimam extenditur. Seruat enim affectum charitatis, non operatur timore pœnæ, sed amore iustitiæ, obediendo magistro, quem vt superiorem elegit, ne furtum committatur.

Felix obediens, qui ad similem obedientiam peruenerit spontanea morte proprij iuditij, & voluntatis propriæ; hic namque securè nauigat, dormiens iter securum conficit. Qui vniuersas cogitationes corde nascentes sincerè magistro suo pandit. Illicò namque, aiebat Abbas Moyses apud Casianum, citatus, vt patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium profeseratur, serpens teterrimus velut à tenebroso subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiù enim suggestiones noxiè dominātur in nobis, quamdiù cęlantur in corde. Vir obediens semper canit victorias.

CAPVT XII.

De Mortificatione.

MOrtificatio est spontanea, liberaque animæ à vita carnali separatio in operibus viriū tā internorum, quàm externorum. Hæc duplex est, vt insinuat Ricardus, explicans illa verba: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, &c.* Prima, qua mortificantur omnes vires hominis, & obseruantur mandata, euitando omnia peccata mortalia, & venialia. Sed ista pertinet ad munditiam cordis, & puritatem conscientiæ per exercitia virtutum necessaria in vita spirituali: Vt iam in præsenti tractatu actum est, ad quam exhortatur Paul. ad Galat. 6. & Ieremias, capit. 48.

Ric. Vict. in Cant. c. 9. p. 2.

Secunda mortificatio in præsenti, est qua mortificamur propter amorem Dei, & perfectionis obtentum omnibus licitis, & concessis. De qua multoties meminit sacra pagina, & SS. PP. De ea, dicit Casianus: *Non tam laudabile est, si ab illicitis, quam etiam si à licitis temperemus, & his propter eius reuerentiam non vtamur, quæ ea nobis propter infirmitatem nostram vtenda permissit.* Hinc de se ipso Paulus: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Chrysostomus: *Non de vetitis hoc dicit, illa enim nullo pacto licent: sed de his quæ indifferentia videntur.* Quomodo autem vtendum sit rebus necessarijs ad vitam, ita quòd animus sit dominus in vsu illorum, & nō seruus, explicat Apostolus: *Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Iterū Chrysostomus: *Dominus est comedenti: igitur perser: cùm dominus sis, & caue ne seruus fias alicuius affectus. Qui autem ad necessitatem eo vtitur, ille eius dominus est.* In via ergo mortificationis, vtendū est necessarijs ad necessitatem, non ad delicias,

Casi. collat 21. c. 5.

1. Cor. 6. S Chr. in 1. Cor. c. 6 hom. 17.

cias, vt affectus maneat liber, non captus.

Duæ sunt partes hominis, substantia, & officio distinctæ. Vocantur aliquando caro, & spiritus: *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.* Ad Galat. 5. Aliquando, homo interior, & exterior. Idem 2. Cor. 4. *Licèt is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* Vndè à P. P. duo genera mortificationis assignantur: alterum quoad exteriorem hominem secundum sensus externos, linguam, & membra alterũ quo interiorem hominem cohibemus, & componimus, secundum affectus, voluntatem, & cogitationes, non solum in mortificatione obligatoria, sed etiam inuoluntaria, & de consilio in licitis.

Ioan. 12. Hinc ait Christus: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*; quia nõdũ aptũ inest ad diuina suscipienda: *Si quis* *Luc. 9.* *vult venire post me, abneget semetipsum*; omnia quæ sunt contraria naturæ viuaciter amplectendo, & eis appetitũ secundum moderamen veræ discretionis in omnibus frãgendo: *Et tollat crucem suam*; tam spiritus, quam carnis mortificationem exercitando. Necessariam esse vtrãque mortificationẽ ad mysticam Theologiam omnino indubitatum est.

Ratio est, quia nisi quis à se ipso deficiat, ad eum, qui supra se ipsum est, non appropinquat: nec valet apprehẽdere, quod supra se ipsum est, qui nescit mactare, quod est. Optimè inquit Augustinus, agens de anima prout intendit naturaliter ad sensus: Remouet se ab his sensibus, & corũ motus, quasi per quasdam ferias reparans. Cum ergo vult intelligere diuina, vel Deum, abstrahit se ab omnibus corporis sensibus, quibus non adiubatur, nisi ad corporeas formas, & spiritu, ac ratione contemplatione ad Deum ascendit, Deus verò reuelatione ad eam descendit. Hæc ille. Benè quidẽ, quia oratio est motus sursum animæ ad Deum, motus ipsius animæ ad sensus, deorsum, qui ex diametro oppositus est, neque cum illo cõpatitur. Ac proinde, vt ad Deũ ascendat permyst. Th. debet eleuare se supra se. Hac de causa præcepit Deus Moysi, vt capax esset

Aug. de spir. & anim. c. 32 t. 3.

suæ visionis in rubo, quòd solueret calceamenta de pedibus suis. Lege Bernard li. 5. Epi. & Ricar. Vict. 4. de cõtemp. 23. Animalis nam que homo nõ percipit, quæ sunt spiritus Dei, nec potest intelligere, quæ spiritualiter examin. ntur. Vide S. Prosper. li. 3. de vita cõtemp. c. 1. Expedit ergo, vt vnus homo exterior moriatur per mortificatione, vt viuat homo interior vita cõtemp. & non pereat. Corpus ad seruiẽdũ spiritui datũ est, non vt contradicat, & secundum illud spiritus viuat. Aliter insensibilis efficitur, sola quæ foris sunt appetit, sensibus regitur, sensibusque nutritur, nec gustare valet diuina. *Exod. 3.* *1. Cor. c. 2*

Hacce morte corporis spiritus respirat, & illuminatur diuina luce, dieque cœlesti, & solutus vinculis corporis erit inter mortuos liber, & inter cœcos videns: *Dilectus meus mihi* (dicebat anima Sancta) *& ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Quærit Bernardus, in quo respiratio ista? Respondet: in eo si incipiat spiritus vicissim concupiscere aduersus carnem. Huic si repugnas, respiras, Si spiritu facta carnis mortificas, respirasti. Si hanc cum vitijs, & concupiscentijs suis crucifigis, respirasti: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Vox est respirantis, imò quia iam respirarat. Prosequitur: vade, & tu fac similiter, vt te respirare probes, vt diem denuò inspirantem tibi noueris illuxisse. Sicque homini exteriori mortuò per mortificationẽ congruenter applicat illud: *Et nox illuminatio mea in delicijs meis.* Concludit: *Quid ni clarius videat, nube, vel potius fæce corporis euolutus? erit sine dubio vinculis solutus corporis inter mortuos liber, & inter cæcos videns.* Manet quidem in luce inter tenebras huius vitæ, sicut olim Israel inter densas tenebras Egypti; in luce erat, & videbat, oculis Egyptiorum caligati. *Cant. 2.* *1. Cor. 9.* *Ps. 138.* *Exod. 10.*

Necessitatem mortificationis corporis insinuat Bonauentura, vt interior homo capax reddatur rerum diuinarum, & reformentur sensus animæ interiores, quia ex Greg. 10. mor. c. 9. si exterior euagatione sensus clauditur, interior sensus aperitur; & mens audiẽdi Deum aures habet: rationem reddit Hugo de arca Noe, vbi dicit: men- *S. Bona. itiner. 6. etern. dist. 4.* *Hug. de S. Vict. lib. 3. de arc. Noe cap. 1 & 2.*

Eccles. 38. Mentes, quas curæ carnales exagitant, non cōpræhendunt sapidā sapientiam, sed qui minoratur actu, ipse inuenit eam, quia dum animus ab exterioribus ad interiora abstrahitur, ad se ipsum colligitur, & robustior ad contēplanda cœlestia eleuatur, & cum à delectatione exteriori abstrahitur, necesse est, vt aliquid spiritualis gaudij gustare incipiat; fit ergo diuina gratia inspirante, vt mens sic abstracta quadam insolita lætitia perfundatur. Sic Bonauentura. Lege Cassian. collat. 9. c. 5 & Ricard. Vict. in Ps. 118. Nunquam tamen fidendum est in carne, quamuis eius stimulus videatur quiescere, & quasi promittere securitatem; semper namque timenda est, quia vt legimus:

Psalm. 40. *Homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Rudis testa diu, & saporem, & odorem, quibus primum imbuta est, seruat.

Homo interior mortificandus in multis. In primis in amore creaturarum, quia omne quod aliqua amplectitur amore, cor imaginibus impingit, præsertim tempore, quo nos ad Deum conuertere voluerimus, & cor nunc distrahitur, atque turbatur, & impurum, ineptumque redditur ad Dei contemplationem, & vnionem. Vndè diligendæ sunt propter Deū, & in Deo puro affectu. Eadem ratio est de omni affectu cogitationū huius seculi, & rerū externarū inutiliū. Ac deniq; de omni affectu terrenarū rerum, & pura intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare, vt optimè prosequitur Gregorius super illud Iob:

S. Greg. li 4. Moral. cap. 28. *Qui ædificat sibi solitudines.*

Tunc mens sic purgata lumine contemplationis, oculos liberè in Deum figit, eique vnitur. Sic sanata ab sponso introducitur ad diuina colloquia, ac intimos amplexus, & introducta reficitur: quia in pace vtriusque hominis media mortificatione obtenta factus est locus eius. Ac proinde anima dicit cum Propheta: *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam.* Ab hac fœlicitate omninò alieni sunt immortificati, nam teste S. Dionysio:

S. Dion. de diuin. nom. c. 11. *Obscuris quibusdam pacifici desiderij simulacris detinentur, dum perturbationibus variis aguntur, quas imperitè sedare desiderant, & arbitrantur pacem habere, si continuò fluentibus voluptatibus hauriendis insistant, & perturbantur, si rebus iis, a quibus ipsi deuicti sunt, frustrentur.* Alligantur vmbris passionibus, non mortificatis, & quia sine mortificatione imperitè sedare desiderant; manent perturbati, & oppositi luci diuinæ contemplationis, quia sunt in regione dissimilitudinis. Oborta in eis inaniū cogitationū turba, ita in diuersa mens rapitur, vt ipse quoque naturalis discretionis ordo turbatur. Quid erit in supernaturali? Deformatur quidem Dei similitudo in mente, quoties sectatur passiones, per errores ducitur, & ignorantiæ caligine tenebratur animus. Nam sicut qui adhæret Deo, vnus spiritus fit, ita qui adhæret passionibus, vnus efficitur cum eis, ac fruitur vtendis, quod pessimum est.

Haud dubium laboriosa est mortificatio, sed necessaria, vt dictum est, ad mysticam Theologiam, sed vtilissima, nā cum illa mens absoluta vinculis passionum, & Deo effecta similis, veluti aquila nobilissima vitta ala in Deum ascendit per cōtēplationem, & vnionem, ibique nidū suū collocat, & veluti manet in arca interiori cum sponso, & si aliquando exit, cito reddit & facile, eo quod non requiescit, nec figit pedes in aliquo, quod diuinum nō sit. Quærit, & inuenit, pulsat, & aperitur, & pleno pane reficitur. Vbi est libertas mentis, ibi dulcedo contēplationis, & vnionis diuinæ, & vbi cubat sponsus, cognoscitur, & experitur. Ac denique spiritualis status stabilis est.

Mortificatio tam interior, quàm exterior, perpetua debet esse in viro spirituali, & de minimis. Ratio est clara, quia caro semel mortificata (idem de spiritu suo modo) iterum virent sensus, & passiones contra rationem, ac maiori impetu. Propterea dixit Paulus: *Persecutionem patimur, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circunferentes.* 2. Cor. 4. Sic quacumque hora venerit sponsus inuenit animam vigilantem, & dignam diuinorum. Lege Sanctum Prosper. 1. de contemplat. capit. 1. & Cassian. collat. 18. & 19.

Deindè, quia secundum Bernardum, praui mores facilè transeunt in consuetudinem. Quid posteà non esset consuendo? Quid non assiduitate S. Ber. li. 1. de cons. c. 2.

du-

durat? *Paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in auersionem.* Timendumque ne transeat ad insensibilitatem, & medicina sit difficilior. Vulnere neglecto, callus obducitur, & eò insanabile, quò insensibile fit. Aptis exemplis explicat Cyprianus, dicens: Propheta Hieremias sic hortatur. Nolite serere in spinis. Abscindenda sunt de agro nostro cuncta quæ pungere, & lacerare consueuerunt, ne animus agriculturis in possessione sua malignis sentibus inseratur. Amputanda sunt omnia nobis, quæcumque igniferi fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat; ne vel tenuis quidem scintilla seruata, maiora conflet incendia. Quod Salomon manifestat, dicens: Abscintilla vna augetur ignis. Hæc Cyprianus. Propterea nihil parum est in negotio mortificationis. Imo conueniunt PP. quamcumque minimā mortificationē amore Dei factam maius opus esse, quā miracula patrare, atque omnia, quæ operātur gratiæ gratis datæ, nam hæ non sunt vitæ spiritualis fructus, & inueniri possunt in peccatoribus, isti accipiunt à Deo, mortificatio autem fructus est vitæ spiritualis, & Deo tribuitur; atque adeò beatius est dare, quàm accipere.

S. Cypr. de singul. cleric. post. medi. *Hier. 4.* *Eccle. c. 11*

Cùm diuersi sint status incipientium, proficientium, & perfectorum, cuilibet correspondet mortificatio propria. Incipientes, quibus adhuc mundana sapiunt mortificare se debent ea suppeditando, quibus se occupare voluntas naturalis, vel sensualitas per oblectationem assolet, siue sint exteriora, vel interiora, in vestibus, cibis, & similia, vel alijs oblectationibus sensuū exteriorum; ac etiam in incautis conuersationibus, leuitatibus, & in priuatis affectibus, vnicuique proprium remedium applicantes diligenter. Hoc est initium veri profectus. Mors ista amara est tepidis, & insipidis, sed regnum cælorū vim patitur, & dulcia non gustat, qui non gustat amara.

Proficientes, non solum inuigilare debent mortificationi sensuum exteriorum, & vitium interiorum, ac affectus erga mortales creaturas omnes, & oblectationes earū non attēdāt, sed quandā resignationē facient sui ipsorum in omni oblectatione spiritualium donorum, & gratiarū, scilicet, in actuali amore, spirituali sentione, & degustatione, nudè dumtaxat amore nudo, nudo Deo fideliter, & dulciter innitentes: nec in donis quibuscūque, sed in omnium largitore quieta requirentes. Et hic facile quis inuenit, qualiter in omnibus se natura quærit, etiā induuinitsimis exercitijs. Quod si propellitur ab vno, concitè æternisse fraudulenter immiscet, ita quod vix in hac parte inuenitur Deo fidelis. O quantæ in futuro reperientur occultæ fallaciæ naturæ, eo quod ipsa non fuerit in intentione, & amore purificata, ac deiformis effecta per veram mortificationem.

Perfecti autem inuigilare debent plenissimæ abnegationi voluntatis in liberam Dei voluntatem, præsertim in omni substractione diuinarum gratiarum, & influentiarum quieta mente sine omni anxietate diuinam visitationem reexpectantes, atquè contenti, siue dare voluerit, siue non. Difficillima mors hæc est, sed sine illa nunquam perfectio attingi valet vndequaque perfecta. Submittere debent vim irascibilem diuino beneplacito per veram resignationem in omnibus aduersitatibus, angustiis, tentationibus & pressuris (nam vellit, nolit homo natus de muliere breui viuens tēpore repletur multis miserijs) dicētes & sentientes cum Christo: si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamē non sicut ego volo, sed sicut tu. Similiter anima in omnibus deffectibus spiritualibus, quos extirpare nōpotest, quantumcumque laborauerit, & tunc deffectus illi cooperabuntur in bonū, scilicet, propriā vilificationem, humilitatem, & despectum. In hoc statu abnegationis, & mortificationis erat Paulus, cū dixit: *Viuo ego, iā non ego, viuit verò in me Christus.* Peroptimè ad intētū Chrysostomus: *Vide* (inquit) *exactā vitæ rationem, atque beatā illā animam admirare. Non dixit, viuo ego: sed viuit in me Christus. Quis ausit hāc vocem erumpere? Quoniā enim se ipsum Christo domino, ac cruci præbuerat, cūctaq; reiecerat tēporalia, & ad illius voluntatem faciebat omnia, non dixit viuo Christo, sed quod lōgè maius erat dixit, viuit in me Christus. Quēadmodū enim peccatū, si vicerit, ipsū est, quod viuit in*

Galat. c. 2 *S. Chrys. ibi.*

mine, animum ad quæ vult pertrahens: ita si illo mortuo (per mortificationem perfectam) *quæ Christo sunt placita fiant, nec humana deinceps est eiusmodi vita, videlicet ipso Christo viuente in nobis, hoc est, agente, & dominante.* Nullum verbum omittere potui.

CAPVT XIII.

De Discretione.

DIscretio sic describitur: Est spiritualis prudentia, qua in his, quæ ad interiora spiritus pertinent, vera à falsis, bona à malis, meliora à minoribus bonis discernimus, & his repudiatis, acceptãtur quæ magis congruunt vitæ spirituali. Addit discretio supra prudentiam (de qua suprà) penetrare intima spiritus. Insinuat Gregorius, explicans illud Iob: *Indica mihi, si habes intelligentiam, &c.* Loquens namque de effectu discretionis in habente, ait: *Iste per discretionem spirituum in factis subtiliter mentes conspicit.* Vndè prudentia debet habere comitem discretionem veram, vt homo valeat intima spiritus penetrare. Comparatur Verbo Dei, de quo Apostolus: *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Hoc tract. c.4.

S Greg. Mag. lib. 28. Mora. cap.6.

Ad Heb. c.4.

Quibus verbis, inquit Cassianus, manifestissimè declaratur, nullam sine discretionis gratia perfectè posse, vel perficere, vel stare virtutem. Et ita tam beati Antonii, quam vniuersorum sententia definitum est, discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes conseruet illæsas, cũ qua ad consummationis excelsa fastigia minori possit fatigatione conscendi, & sine qua multi etiam propensius laborantes perfectionis nequierunt culmen attingere. Omniũ namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est. Hæc ille, & alia multa Et cap.5 narrat miserabiles ruinas aliquorum propter deffectum discretionis spiritualis. Hæc namque non solum lucerna corporis, sed etiam sol ab Apostolo nominatur, secundum illud: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Hæc vitæ nostræ gubernator dicitur, iuxta illud: *Quibus non est gubernatio, cadunt vt folia.*

Cassi collat. 2. c. 4

Ad Ephes. 4.

Nec mirum est, necessariam esse discretionem ad virtutes exercẽdas, augmentandas, & conseruandas, quia teste Gregorio: *Ipsa hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur vnde deprimatur. Quia, & si semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Et si iam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operationibus modò malorum memoria, modò seductionis caligine, modò intentionis suæ interruptione fuscetur.* Plura adducit, in quibus pericula inueniuntur in ipsis virtutibus, & donis supernaturalibus, ad quæ requiritur discretio spiritualis, ne pereant per indiscretionem.

S Greg. Mag. li. 8. mor. c. 3.

Vndè optimè Bonauentura: *Ergo* (inquit) *ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ vtique mater est virtutum, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum doceat, nequid nimis, vel minus fiat. Nam qui nimius est, fructum operis abscindit, sicut qui tepidus est, minus facit.* Paulò infrà ex D Bernardo, vt magis se explicet: *Virtus siquidem discretionis absque feruore charitatis iacet, & feruor vehemens absque discretionis temperantia præcipitat.* Cum discretione vir spiritualis via regia ambulat, cunctas, singulasque valet moderari voluntates, ne natura, vel opinio versipellis fallat, ne decipiat sermo versutus, nec Angelus Sathanæ in Angelum lucis transfiguratus, nec quod malum est, bonũ, nec quòd bonum est, malum esse credatur. Ac denique omnibus virtutibus modum imponit subtiliter, ne fiant vitia. Qui verò discretionem non habet, licet sit magnæ sanctitatis, similis est homini in altũ respicienti, & vbi ponat pedem suum non videnti, qui de facili ruere potest. Lege Ricard. Vict. de stat hom. inter. cap. 26. p. 1. & N. Harphi. lib. 1. myst. Theol cap. 31. S. Bernardi, Senens. serm. 4. de tripl. affect. cap. 7. tom. 2.

S. Bona. Meditat. vit. Christ c.44.

S. Bern. ser. 23. in Cant.

Gradus discretionis, sic describit Bona-

nauentura: Discretionis altus gradus est, secundum ordinem Dei vti donis temporalibus. Altior: secundum ordinem Dei vti donis naturalibus in corpore, & anima. Altissimus, vti secundum ordinem Dei donis gratuitis in anima. Item altus gradus est, seruare præcepta scripturæ. Altius, seruare cōsilia Scripturæ. Altissimus, seruare doctrinas Iesu Christi. Item altus gradus est, regere se secundum exempla sanctorum. Altius, secundum exempla Christi. Altissimus, secundum mores Dei. Item, altus gradus est, in omnibus cautum esse coram sæcularibus, ne scandalizentur. Altior, cautum esse coram religiosis, vt ædificentur. Altissimus, coram Deo iudice cautum esse, ne offendatur. Hæc omnia diiudicat, qui exercitatos habet sensus discretionis spiritualis.

S. Bona. de grad. virt. c. 16, to. 2.

Satis discretè Gerson alios gradus discretionis insinuat, & magni momēti in vita spirituali, nimirum, quòd discretio permittit sæpè passiones aliquas vitiosas succrescere: dum plantādis virtutibus curam impendit. Non quia placeant, aut pulchrę sint: sed ne deteriores inualescant passiones: sicut retunditur clauus clauo, & dolor est medicina doloris. Docet parabola Euangelica, de non extirpandis pro omni tempore zizaniis, ne simul eradicetur, & triticum. Præsertim, cū primum sit, quod animale est secundum Apostolum, deinde quod spirituale. Hoc præcipuè necessarium est in principiantibus, quia nōdum purgati sunt. Rursus discretio, sicut permittit passiones aliquas vituperabiles: sic aliquas laudabiles, præsertim feruidas, & sublimes quandoque cessat inducere, si in deteriorem exitum eas versum iri cognouerit.

Gerson. de passi anim consid. 22. p. 3.

Nihil quidem sublimius, sed nihil periculosiùs in tentationibus magis expositum, quàm ambulare per viam affectionis amorosæ, dum vehementiam in se habet: sic amor, vti zelus domus tuæ, vehementissima est passionum. Quod tunc placet discretioni, est sobria mens, & modestia: si tamen solicita est ambulare cum Deo in via mandatorum, & consiliorum vitæ spiritualis: tanquam si iumentum sit apud Deum, & tanquam asina, quam agitat Iesus in Hierusalem. Plusquam placet talis quędam ruda mens, & arida terra sine aqua, quàm si reiecto fræno discretionis quæreret ductu propriorū affectuū in mirabilibus super se per prærupta mōtiū contēplationis, per alta, & sublimis sapiētiæ: per desideria flāmantia, quibus accenditur: fœliciter quidem si discretioni semper inhæserit, saluare se in monte. Illic despectis imis iubilare Deo in decachordo psalterio cum cantico in cythara: & cum Propheta Habacu. dicere ex sententia, super excelsa mea deducet me victor cum psalmis canentem.

Quàm magna penetrat discretio! Benè ait S. Laurentius: *Inter præcipua conditoris dona illius erogata militibus discretionis gratiam esse, asseuerare non dubito.* Notat tamen Ricardus, quòd aliquando Deus suspendit lumen discretionis, relinquitque mentē in caligine & obscuritate mærore affectam: *Nouit hoc, qui dixit, quòd gaudiū mihi esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Oritur enim sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur; quia veritatis intelligentia modò datur, modò subtrahitur, & post subtractionem iterū eadem quæ prius gratia recuperatur.* Sic sustinet alternantes vicissitudines. Hoc fit tempore desolationis, præcipuè quando laborat vir spiritualis spiritu vertiginis, vt infrà dicetur. Est enim tempus flendi, & tempus ridendi.

S. Lau. Iustin. de inter. cōflict. ca. 2.

Ricar. à S. Vict. de stat. inter. hom. ca. 27. p. 1.

Hæc sufficiant pro præcipuis virtutibus vitę actiuæ, quibus mens rectificatur, fit deiformis, & disposita ad mysticam Theologiam suscipiendam, ac experiendam; quia secundum Apostolum, qui non laborat, non manducet. Quid enim nobis prodest, si in Deo cognoscimus bonitatem, & maiestatem, & non operamur virtutes? Non facit perfectum cognitio veritatis, nisi sequatur habitus virtutis in exercitio. Etsi de intimo diuinæ contemplationis secreto reticemur, quid nobis cū afferre possumus, nisi lumen exemplaris omnium virtutū? Quo pacto mens fit Hierarchica, & benè ordinata ad percipiendum Dei purgationem, illuminationem, & perfectionem, quia purgata est actiuè per virtutes exercitas.

TRA-

TRACTATVS SEXTVS.

DE VIA PVRGATIVA supernaturali.

COnueniunt vniformiter Ss. PP. & DD. dari triplicem viam in ordine supernaturali, & infusso, quas vocant viam purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam. Prima est incipientium, secunda proficientium, tertia perfectorum. De his agit Dionysius, dicens: *Non temerè diuinus Moyses expiari primum ipse iubetur, ac deinde à nō expiatis seggregari, & post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros, ac multiplices radios iacientia: postmodum à multitudine separatur, & cum electis Sacerdotibus ad summum fastigium diuinorum ascensuum pertingit.*

S. Dionys. Areop. ca. 1. mystic. Theol. Exod. 19.

Per purgationem illam Moysis designat animam, quæ ad vitæ interioris apicem tendit, priùs purgari à peccatis, & motibus inordinatis carnis per mortificationem omnium horum diuina gratia superueniente. Et quia iste est primus gradus vitæ spiritualis, spectat ad principiantes, vocaturque via purgatiua. Per lumina autem, & sonos via illuminatiua intelligitur, in qua à Deo anima patitur varias illustrationes diuinas, & in via Dei proficit, ac paulatim à multis seggregatur, dum exercitio virtutum à creatis omnibus affectu seiungitur. Quòd autem Moyses, cum selectis Sacerdotibus ascendit montem, solusque caliginem ingrediatur, denotat viam vnitiuam, quæ paucorum est, qua charitate mystica, & occulta Deo vnitus fuit, ideò addit Dionysius: *Et in omnimodè intactili, & inuisibili hæret, totus existēs ipsius, qui est vltra omnia, secundū meliorem partem copulatus*. Nēpè vnione. Vndè Dionysius historiam Moysis introducti in caliginem, in qua erat Deus, accommodat mystico Thologo, qui semota intellectuali cognitione propria, in mysticæ vnionis signum recipitur.

Ipse Dionysius postquam dixerat; quòd diuini principatus illustratione purgatur, illuminatur, atque perficitur atque omnem Hierarchiam in virtutes primas, & medias, & posthumas distributam esse, addit: *Hoc quoque non immerito possum addere, quamlibet cælestem, & humanam mentem seorsum proprios in se continere, & primos, & medios, & vltimos ordines, atque facultates, quæ eodem modo, quo superiores singularum Hierarchiarum illustratione eluceant, quibus vnaquæque mens pro suo captu, quàm nitidissimæ purgationis, copiosissimi luminis, absolutæque perfectionis fit particeps*. Ac si dicat, quilibet spiritus humanus tres habere potest status vitæ spiritualis, purgatiuum, in quo purgatur ab omni peccato, & macula, sicque pro suo captu participat puritatem diuinam, omnia purificantem. Illuminatiuum, in quo eodem modo fit particeps. Luminis diuini omnia illuminantis: ac denique vnitiuum, in quo participat maiorem perfectionem. Per has igitur anagogicas Hierarchias ascēsionesq; quæ in purgatione, illuminatione, & vnione consistūt, fit mens creata participatrix, & imitatrix, puritatis, & luminositatis, perfectionisque sui creatoris, in quo sunt perfectissimè, tanquam in abysso infinitæ perfectionis, in mente autem passiuè communicatæ.

S. Dion de cœlest. Hierar. ca. 10.

Ordinem trium harum viarum colligit D. Bonauentura, ex primo loco S. Dionysij, inquiens. Cum enim dicit B. Dionysius in hierarchia Angelorum, quòd triplex sit Angeli officiū, scilicet purgare, illuminare, & perficere: opportet, vt anima quæ vult ascendere ad illum altissimum panem in præsenti, in quo mentes Angelicæ absorteantur in gloria, vel vt eorum imitatrix, primò purgetur, secundo diuinis fulgoribus illuminetur, tertiò in suppremo apice affe-

S. Bon. c. 1 myst. Theo.

affectiuè constituta vnitiui amoris culmine perficiatur. Lege Hugonem Victorin. c. 3. cœlest. Hierar. lib. 4. & de. claust. animæ cap. 9.

CAPVT PRIMVM.

A quo principio incipere soleat via purgatiua supernaturalis.

DEus, qui substantialiter bonus est sua beneficia hominibus porrigit, & omnibus creaturis pro captu suo. Quemadmodum (ait Dionysius) sol, corpio, quòd est, illuminat vniuersa, quæ quoquo modo lucis eius sunt capacia: Sic etiam ipsum bonū (quod non secus præstat soli quam primæua species imaginæ obscuræ) ipsamet substantia sua, rebus omnibus, pro cuiuscumque captu, totius bonitatis suę radios effundit. At cùm placet aliquos viros seggregare, etiam ex vtero matrum suarum, vt de se ipso loquitur Paulus, ad altiora potiori lumine illustrat mentes eorum, & vt infrà ipse Dionysius: *Omnem ignorantiam, & errorem ex omnibus animis, in quibus est eiicit, & ipsis omnibus lumen sanctum impertit, eorumque oculos mentales à caligine ex ignorantia circunfusa, repurgat: & liberat, & excitat, atq; aperit multa grauitate tenebrarum compressos, & clausos.*

S. Dionys. Areop. ca. 14. de diu. nomin.

Ad Gal. 1.

Itaque via purgatiua supernaturalis procedit à speciali luce diuina, qua principiantes relicto sæculo, & tenebris peccatorum, repurgantur ab his, & viam spiritualem fortiter aggrediūtur, & viriliter, inflammaturque volūtas ad diligendum Deum. Exemplum habemus in Maria Magdalena, & D. Paulo in principio suarum vocationū. Et quia hæc lux non est communis, sed specialis vocatur via purgatiua supernaturalis, prout distinguitur à cōmuni luce diuinæ vocationis, licet hæc sit etiā supernaturalis quoad substantiam. Quòd si vocati operentur illo lumine, & degustato appetant, plusque diligant Deum, augetur lux, vt diuina cognoscant Sic sentit idem Dionysius subiungēs: *Datque primum* (Deus) *mediocrem splendorem, deinde, tanquam degustato lumine, & oculis iam post degustationem lumen appetentibus, magis se impertit & copiosius fulget, quia dilexerunt multum, ac super eas vlterius prouehit proportione studii earum ad aspiciendum sursum.* Sic suos trahit ad se, si fideles inueniat, ac ea, quæ Dei sunt, & suæ salutis operantur penes mensuram, & gradum illuminationis, & gratiæ infusæ. Vnde Paulus inquit; *Quæ retrò sunt oblitus, ad ea verò quæ priora sunt, extendens me ipsum ad destinatum, prosequor ad brauium vocationis supernæ.* Sicut qui pedes tanquam currentes, reliquo corpore anteuertere studens, seipsum in ea, quæ à fronte sunt extendit, & manus quoque protendit, vt etiam amplius quiddam vltra cursum efficiat; quòd quidem fit ex magna alacritate, & feruore.

Luc. 15.

Ad Philip. 3.

Vocatur gratia, hæc à mysticis sensibilis, quod benè explicat N. Harphius: Nam primo, diuina gratia pro fluis irriguis influens inferiorem partē hominis, scilicet, sensitiuam intrinsecus excitat, & stimulat, & cum toto corde, totisque viribus sursum trahat, exigens cum Deo amatoriam conficere vnitatem: quem tractum sentit in corde, in vnitate virium sensitiuarum, & præcipuè in vi concupiscibili: quia tactus huius negotium agitur in inferiori parte hominis, quàm priusquam ad altiora tendatur, emundari necesse est, & igniculo charitatis superpositā sursum agi. Sicut enim sol oriens mox in occidentalem partem mundum illuminat, & cuncta calore viuifico refocilat. Sic sol iustitiæ suprà spiritus inhabitās inferiorem hominis partem, cor scilicet cum omnibus sensitiuis potentijs subito motu illuminat, & accendit, cor liberum reddens ab omnibus, & omnes simul animæ vires in virtute sui spiritus illuminat, & accendit. Sic purgatur pars inferior hominis modo supernaturali, quæ plena est sensibus, & potentijs in mortificata. Lege Rusbrochium.

Henr. Harphius lib. 3 myst. Theo. co. 12. p. 2.

Rusb. li. 2. de ornat. spir. nupt. lib 2. c. 4. 6. & 9.

In hacce purgatione communicatur à Deo profunda contemplatio humilis peccatorum, ita vt pudeat animā, & quasi à se ipsa fugiat. Dicebat Dauid: *Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Conueniunt Patres hoc dixisse eleuatum contemplatione diuinā ex vi cognitionis Dei bonitatis, & peccatorum suorum, ac propterea iudicabat se proiectum à Deo. Putatem tamen, quòd Vates regius in sua eleuatione in limpidissimo speculo Dei, se ipsum adulterij, & homicidij attactū, ta-

Psalm. 30.

taliter perspexit, vt meritò à sui ipsius fœditate confusus se ipsum effugerit; Natura namque oculorum est repræsentare imaginem. Sibi appropinquantem, eo modo quo in se est, vel formosa, vel fęda. Vidit se Dauid in oculis Dei peccatorem, & ideò pudore nimio affectus fuit. Congruit dictum Aristotelis: *Pudor enim in oculis est, nec respicere valent, quos pudor tenet.*

Arist. sect. 3. Problem text. 3. Ista contemplatio sic explicata prouenit à dono intellectus Spiritus Sancti. S. Bonauentura: *Donum intellectus primò facit nos penetrare velamina, siue tenebras mentis nostri, donec ad notitiã propriam perueniamus: Donec se videre quid sit, incipiat, & in hoc diligenter se exerceat.* Subdit ex Ricardo: *Hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur.* Spectat ad primum animæ celum, de qua suprà, tract. 2. cap. 7. & 8. Ex eodem Bonauẽtura de timore dono Spiritus Sancti, cap. 3. similis contemplatio oritur à dono timoris, & dono sapientiæ. Multoties mens in hac contemplatione constituta sentit præsentiam sponsi, quo pręsente innouatur, sentit intelligentiam spiritualem, fidei illuminationem, spei augmentum, amoris incentiuum, iustitiæ zelum, & aliqualem delectationem virtutum: habet cum Deo familiare colloquium, audirique se sentit. Incipit hac noua die offerre se holocaustũ, vt purè operetur, sine mixtione carnis suas virtutes, quia in ipsis se cognoscit imperfectam.

S. Bonau. de don. intellect. cap. 3.

Ric. Victor. lib. 2. de cõtemp. ca. 6.

3. Et quia mens tenebris assueta erat quando claritatem diuinæ contemplationis recipit, quasi trementibus, & palpantibus luminibus vim insoliti fulgoris, non sustinens ipsis primis aspectus radijs reberueratur: & apparet illi quasi tremulum lumẽ increatum: & moueri videtur ipsum lumen cùm potius illius tenebræ moueantur, & fugiant pręsentia luminis. Et videtur motus luminis hic esse, cùm sit tenebrarum fugentium lumen. Et post motum ipsum procedit lumen contemplationis ad cognitionem Dei, quę stãtibus tenebris fieri non poterat, manet que anima illuminata, & in luce viuificata; ac simplificata ad lumen paternum conuersa ipso Patre luminum in se ipso eodem permanente. Vndè S. Dionysius inquit: *Omnis à Patre motæ illustrationis emanatio, in nos beneficè exundans, denuo, ceu vnifica vis, ad supera nos reuocando simplificat, & conuertit ad congregantis Patris vnitatem, & ad deificam simplicitatem, quoniam ex ipso, & in ipso sunt omnia.* Sic bonitas diuina misericordissimè reducit ad se gratia sensibili, animam vagantem, & dispersam per multa vana, ac mundana desiderijs cordis sui ambulantẽ in tenebris.

S. Dion. ca. 1 de cœl. Hierar.

CAPVT II.

De alijs effectibus internis, gratiæ sensibilius.

EX lumine supernaturali intellectui communicato per prædictam gratiam, de quo cap. præcedenti, oritur in voluntate præcipuus actus viæ purgatiuæ, qui est intima contritio, & dolor de peccatis proueniens ex cognitione intima illorum, medio dono intellectus, & sapientiæ. Hæc contritio est vera, & plena, & ipsius superioris partis rationis, ac dissensus, & displicentia volũtatis ab ipso peccato actuali, & habituali, sine fine. Nec solum cũ detestatione ab his, sed etiam ab omni illo, quod est impediens, vel nõ purè ducens in Deum, aut cuiusvis conuersationis in Deum pura, & totalis causa Deus non est, solùm amplectẽs purum, & amabile bonum, quod Deus est, vel ad Deum purissimè ducens, paratus semper ad depurandum omnem affectum minus ordinatum, & omnõ intentionem ad se ipsam reflexam. De nobilitate illius, hęc dicit, Ricardus: *Scimus, quia cordis intima nihil adeò purgat mentis munditiam, nil adeò reparat: nihil sic ambiguitatis nebulas detergit: cordisque serenitatem nil melius, nil citius adducit, quàm vera animi contritio quam profunda, & intima animæ compunctio.* Lege Cassianũ diuersis motiuis fit, ex D. Gregorio. *Ric. Victor. lib. 4. de cõtemp. c. 6. p. 1.*

2. Odit tunc paruos defectus, quos anteà tolerabat. Pura approbat, impura reprobat, & gladio contritionis rescicat, non solùm peccata, & voluntarias imperfectiones, sed etiam habitus vitiosos ex illis generatos repetitione actus doloris contritionis. Testis est Bonauentura: *Quia sicut lima* (inquit) *operatur in ferro, vt in qualibet ipsius sin-*

Cas. collat. 9 cap. 27. S Gregor. Magn. 23. mor. c. 21.

S. Bon. myst Theol. ca. 1 de mod. purgat.

singulari fricatione aliquid de ipsius ferri rubigine expellatur, sic qualibet cōpunctio, vel gemitus aliquid de rubigine peccati, etiam post infusionem gratiæ relictum eliminat. Habitus quidē per actus oppositos eliminantur. Quo pacto anima magis, ac magis purgata dispofita manet ad alia diuina recipiēda. Quarè docet Gerson: *Cognitio Dei per Theologiam mysticam melius acquiritur per pœnitentem affectum, quā per inuestigantem intellectum.* Item ex Gregorio homil. de ceco: *Per pœnitentiæ lamenta mentis phantasmata depelluntur.* Dormit natura, & vigilat mens, & in contemplatione Dei libera conquiescit. Et vt alter Iacob vno pede claudicat, quia vi doloris Deo adhæret, & duobus pedibus, hoc est desideriis, incedere nescit in mundo, & disponitur ad vnionem cum Deo.

Gers. 3. p. Centilo. 28 consid.

Gen. 32.

Talis contritio non solum est displicentia rationis, & voluntatis, sed etiā passio affectionis in sensitiuam partē redundans. Sequitur affectionem, & affectio experimentalem cognitionē. Ex quo prouenit, quòd homo sensibiliter dolet de peccatis in corde. Atq; ad talem gradum ascendere potest, vt non solum deleantur peccata, sed etiā plenariè, remittatur pœna eis debita. Exemplum est in B. Magdalena, de qua Euangelium: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Vis replicat remissionem, vt notatur in verbo, *remittuntur*, prima respicit culpam, secunda pœnam, ideò subiungit: *Vade in pace.* Idem contigit in latrone, cui Christus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Lege S. Bernardinum Senensem serm. 12. de ver. contrit. c. 2. & 3. tom. 1.

Luc 7.

Luc. 23.

Inuenitur etiam in hoc statu amor vehemens sensibilis in corde, qui durum cor liquefacit, & spiritum inflāmat ad bona, & operationes virtutū, cum fortitudine. Dicit Sacer textus: *Et lapis solutus calore in æs vertitur.* Vbi Gregorius: Tunc lapis calore soluitur, cùm cor durum, atque à diuini amoris igne frigidum eodem diuini amoris igne tangitur, & in feruore spiritus liquatur: vt ad sequentem vitā desideriorum æstu ardeat, quam prius aud'ens insensibilis manebat. Ex quo ardore; & emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem: & sicut priùs durus fuerat in amore sæculi, ita & postmodum fortem exerat in amore Dei. Lapis ergo solutus calore, in æs vertitur: quia dura mens superni amoris igne liquefacta, ad veram fortitudinem commutatur: *Qui confidūt in Domino, mutabunt fortitudinem.* Hæc Gregorius, & alia. Tunc mens amplexans cordis sui amoris amplexu Christum Iesum, totum hominem propter hominem assumptum, totum Deum propter assumentem Deum, incipit eum non iam secundum carnē cognoscere, quamuis eum, nec secundum Deum planè possit cogitare. Verè est mutatio hæc, dexteræ excelsæ. Occidit; vt viuere faciat. Prouenit hic amor à dono sapientiæ. S. Bonauentura.

Iob. cap. 28
S. Gregor. li. 2 . mor. cap. 17.

Isai. 40.

S. Bon. c. 5. de don. sapient. 10. 1.

Concomittantur huiusmodi amorē ignitæ aspirationes, suspiria, & gemitus, quibus exardescit ignis ipsius amoris; atque adeò illicò languet anima, & nihil ei sapit præter Deum, ipsum vnū diligit, ad ipsum anhelat, sitit, & concupiscit, in ipsum suspirat, in ipso requiescit, solum est, in quo reficitur, ex suo satiatur. Nihil dulcescit, nisi hoc vno condiatur. Quidquid se vltrò offert, citò reijcitur, si suo affectui non militat. Nihil satisfacit desiderio, quæ quid sat desiderium ardentis cordis non satiat. Sitit, & bibit, nec tamen sitim suam extinguit; sed quò amplius bibit, eò amplius sitit, auida eius sitis non sedatur, sed irritatur pro voto suo, dum voto fruitur. Vocatur amor sensibilis, quia sensibiliter tangit, quem concomitatur timor filialis, proueniens à dono timoris spiritus S.

Inuenitur etiam quædam delectatio spiritualis, & dulcedo admirabilis mentis, quæ excedit incomparabiliter omnes delectationes, & dulcedines humanas huius sæculi, fitque, eo quod tyro iā diuina gratia appropinquat Deo, à quo illuminatur, & cum suo dulci affectu vnitur, vt dictum est. De quo ait Iob: *Deprecabitur Deum, & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo, & liberauit animam suam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucē videret.* Et: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et, *fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant 2. Non solum sensibus animæ, sed etiam cordi, dulcis est, & suauis. Proueniēs ex amore sensibili

Iob. cap. 33

Psalm. 83

S.

S. Bonauentura secutus Ricardum vocat hunc amorem charitatem vulnerantem, iuxta illud: *Vulnerata charitate ego sum.* In quo mens resistere, non potest, quin vulneretur, nam igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque transuerterat, in tantum, vt desideriũ, siue æstum cohibere animo nõ valeat, desiderio ardet, affectu feruet, anhelat profundè ingemiscens, & longa suspiria trahens, vultus pallet, atque tabescit, subiungit: *In primo isto gradu spiritus iste intrat super mel dulcis ad animam, inebriat eam in tantum, vt habere dicatur mel, & lac sub lingua eius.* Agit de amore tyronum, nam concludit: *Hic est ille cibus cœlestis, qui egredientes de Aegypto solet reficere, & per solitudinem ducere, & pascere. Hoc est illud manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, non per doctrinam, sed per experientiam, & hic est ille dulcor suauitatis spiritualis, & tenera suauitas, quæ solet lactare, & alere, & ad maturitatem paulatim perducere.*

S. Bon. itiner. 4. æternit. dist. 5. artic. 2. Ric. Vict. de quatu. gradib. viol. Charit.

Apoc. 2.

Noster Harphius bene agit de hoc amore lib. 3. mystic. Theolog. p. 2. c. 12. & cap. 16. explicat quare dicatur sensibilis, vel sensitiuus, nimirũ, quia negocium suum principaliter exequitur in inferioribus animæ viribus, quibus, scilicet, anima corpori counitur. Vndè etiam, quam maximè sensibili deuotione, & oblectatione confouetur, & inflammatur. At ne decipiantur in hoc gradu amoris principiantes: nã interdum plus afficit minus diligentem, & minus perfectiorem. Nõ enim tantum diligit quisque, quantum hũc sentit, & quantum ab illo sibi diligere videatur; sed quantum in virtutibus, & charitate benè fundatus extiterit, & in seruandis mandatis fidelis inueniatur, quatenus in eo formetur Christus, & vultus eius amplius in diuersa non mutetur, vt dicere valeat, tenui eũ nec dimittam, donec introducam in domũ matris meæ, quæ est vita æterna, in qua recipiat benedictionẽ propter fructam totius vitæ suæ. Amplius infrà, dum de periculis gratiæ sensibilis agitur.

Hen. Harph.

Accidere autem solet in hoc statu igniri animam tam vehementissimo amore, ac vulnerari, vt more febricitantium, nunc fortius vratur, nunc actionibus Marthæ aliquantulum recreetur, sed paulatim cauterium amoris vires frangit, & debilitat; sed à spiritu diuino suauiter vngitur, confortatur, & roboratur, vt ipsi adhęrere possit contemplatione & amore. Audiamus iterum Bonauenturam agens de hac vnctione: vnctio est velut quidam roseus liquor, qui per totam animam se diffundẽs ipsam erudit, corroborat, & confortat, disponens eam suauiter ad veritatis luculentias suscipiendas, atque pariter contemplandas. Hac cœlica vnctione perlinitus fuerat, qui dicebat: vnxit me vnctione misericordiæ suæ. Et, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Ros montis huius descendit in contemplatiui viri mentem, ipsius præcordia, tàm irrigãdo fœcundãs, quàm fœcundando irrigans, & calorem primi gradus leniter temperans, ne plus ardeat, quàm oportet.

S. Bona. de 7. grad. cont. prin. tom. 2.

Psal. 132.

Quòd enim purificat ignis concremando, hoc vnctio mulcet suam pinguedinem perfundendo, vt capicitior sit diuinorum, & pulchrificorum radiorum, ab æternaliter oriente aurora ditissimè emanantium. Et his radijs illuminatus homo cognoscit profundè se ipsum, suaq; peccata, & quia clarè videt, seipsum odit, vt inimicũ crucis, ac desiderat carnem suam crucifigere cum vitijs, & concupiscentijs, & vt omnes vitam suam pecaminosam videant, etiamsi necessum esset, eam vocibus publicare per vicos, & plateas totius orbis.

CAPVT III.

De effectibus externis gratiæ sensibilis.

SAnctus Bonauentura expresius alijs agit de hac materia, atque adeò ex ipso transcribo, quòd de effectibus externis gratiæ sensibilis nos docuit, quodque omnes DD. mysticæ Theologię fatentur. In primis ex iubilo spirituali interiori animæ cum Deo, orto ex contemplatione, & vnione, & est quodam spirituale gaudium cordi repentè infusum totum cor concutit ex sui vehementia, & quoddam tremore commouet, & delectabiliter cruciat: quia motus gaudij consolatur, sed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur:

S. Bona. de profect. Relig. lib. 2. c. 72. to. 2.

tur, & aliquando per risum, aliquando per quosdam clamores, aliquando per aliquos gestus, & singultus, quasi euaporando erumpit, non valens se intra se tacitum continere. Hoc ineffabile gaudium (ait Gregorius) nec abscondi potest, nec sermonibus aperire: tamen quibusdam motibus proditur, quamuis nullis suis proprietatibus exprimatur. Vndè Propheta: *Beatus Populus qui scit iubilationem*. Non ait, qui dicit, sed qui scit, quia sciri quidē iubilatio potest, sed dictum exprimi non potest.

S. Gregor. Magn. lib. 24. Moral. ca. 6. & li. 28. ca. 14. Psalm. 88.

Eodem modo ex vi amoris, & deuotionis sensibilis, quasi ex vini fortitudine feruor spiritus hilarescit, quod se intra se cohibere non valet. Hinc Apostoli æstuātes feruore Spiritus S. musto pleni dicebantur. Iob: *Venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpat*. Nouas dicit, infunditur namque in cordibus incipientium, qui noui sunt in via spiritus, vel nouas, quia talis feruor spiritus nouis, & nondum exercitatis infusus minus se valent continere, quin erumpat per inusitatus gestus, voces, vel singultus, sicut vinum nouum in vase ebullit, quod inueteratum quiescit.

Act. 2. Iob. 32.

Quandoque etiam corpus quasi obrigescit, & membra inhabilia, & inflexibilia fiunt ex subdita feruoris influentia. Hoc potest esse, quia spiritus omnes accenduntur affectu cordis inflammato, quia extensione neruorum, & obstructione viarum spiritualium membra amittunt habilitatem officiorum suorum: vt lingua loquelæ, manus operationum, & pedes, & crura gradiendi: quousque feruor iterum remittatur, & viæ spirituum apertæ fiant, vt prius. Cùm enim scriptum sit: *Deus noster ignis consumens est, & Deus charitas est*. Non mirū si feruor diuinæ charitatis cordi infusus totum hominem commoueat. Sicut si vitro fragili, & vasi fictili bullientem licorem, vel ignem ardentem infundas, crepitationis fragorem excitas. Cor namque diuini amoris iaculo sauciatum, & inflammatum, in se dilatatur, & extenditur, & quasi intra angustiam pectoris, se capere nō sufficiens, quodammodo erumpere conatur, vt flammam, quam intus patitur, foras eructet, & ardoris sui refrigerium qualecumq; inueniens euaporet. Quod cùm non potest, vel humano pudore non audet, mirabiliter in semetipso cruciatur, & corpus valdè ex talibus motibus debilitatur; quia virtus diuini amoris intolerabilis est imbecillitati suæ, sicut qui ignem in vitro immittit. Sic legitur in Actis sanctorum virorum.

Deuter. 4. 1. Ioan. 4.

Consonat per omnia N. Harphius, lib. 3. myst. Theol cap. 12. p. 2. & addit: cor intrinsecus vulneratur, & amoris læsionem patitur, sed non tristitiam: quia amoris vulneratio est dulcissima passio, & grauissima pœna. Est etiam verissimum signum post futuræ sanitatis; causans pariter gaudium, & dolorem, sicut si feriretur subtili acu, nunc magis, nunc minus intimè. Alio loco exemplum adducit in fra Bernardo primo socio P. N. Francisci.

Henr. Harph.

Li. 2. myst. Theol. c. 41 p. 3.

Deinde ex calore amoris oriuntur lachrimarum fontes in oculis, quia lachrymæ suaues sunt. Huius generis fuerunt lachrymæ Mariæ Magdalenæ, in domo conuiuij, quando dilexit multum, & D. Petri post trinam negationem, proueniunt que à Spiritu Sancto, cum his computat Bonauentura Dauidem dicentem: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Has lachrymas anxiè petebat à Domino Augustinus, dicens: *Da mihi irriguum superius, & irriguum inferius, vt sint mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte: Da mihi gratiam lachrymarum, præcipuè ex multitudine amoris tui*. His proculdubio promissio facta est: *Beati qui lugent, quoniam consolabuntur*. Et: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*.

S. Bonau. Diet. salut. ti. 7 de oratione 3. to. 1. Psal. 118. S August. lib. de med. cap. 36.

Quia ex amore procedunt, inuenitur in mente desiderium, & quædam anhelatio cœlestis patriæ, & amplexus; cum Deo. Sic Dauid: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dū dicitur mihi quotidie, vbi est. Deus tuus?* Vndè sunt indices interni amoris. *Da mihi* (dicebat Augustinus citatus loquens Deo) *euidens signum amoris tui irriguum lachrymarum, fontem iugiter manentem, vt ipsæ quoq; lachrimæ tuum in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantū te diligit anima, dū præ nimia dulcedine tua nequit se à lachrymis continere*. Vide Cassianum collat. 9. c. 27. Tali abun-

Psalm. 41.

O dan-

dantia, & continuatione aliquibus cōmunicat Deus donum hoc, vt cæcutiant. In lect. 5. officij diei octaui Pat. nost. Francisc. dicitur: *Circumsedentibus filijs coram pauperum Patriarcha, cuius iam caligauerant oculi, non senectute, sed lachrimis, &c.* Istæ spiritum contritum lauant, ipsum deuotum eleuant, spiritum malignum necant, terram cordis irrigant, sitim concupiscentiæ sedāt, orando efficaciter impetrant. Quos effectus benè probat ex sacra pagina S. Bonauentura proximè citatus.

De prophetu Relig. li. 2. c. 76. Et alio loco docet in expertos experiri multa supernaturalia in sensibus externis, vt mirabiles fragrantias odorum, ineffabiles suauitates saporum, & hymnidicas melodias vocū, & sonorum, & tactu perceptibiles experiētias indicibilium suauitatum. Quæ cum verè sint à Deo, possumus æstimare, quòd aut dentur quibusdam nouis, & rudibus, qui spiritualia nondum lucidè intelligunt, vt saltem per sensibilia consolentur à Domino, qui res purè spirituales non cognoscunt, in quibus maior vis est, & certior veritas, & fructuosior profectus, & purior perfectio. Lege Cassian. collat. 4. cap. 5. De gustu in sacra communione. B. Angela de Fulgino experta inquit: *Ca. 10. suæ Vit.* Quando communico, consecrata hostia descendit ex ore ad pectus integra tota, nec saporem panis habet, sed alium saporem, quem nescio comparare alicui rei huius mundi Descenditque suauitate tanta, quod, si ego non audieram ab alijs, quòd celeriter rapienda est, & intus traiicienda, libenter conseruarem eam in ore meo longo tempore: & sic descendit illo sapore incognito, & facit me totam contremiscere. Quando signo me, & pono manū supra cor, aiens, & filij, sentio ibi vnum amorem, & consolationem, ita vt mihi videtur illum ibidem reperire. Hæc illa. Vide V. P. Ioan. à Cruce, in Ascens. Mont. Carm. cap. 21 & Didacum Albar. ex Societ. Iesu, libr. 5. de gradib. cont. p. 3 cap. 16. to. 3. de orat. & S. Bernard. Senensem ser. 2. de spiratio. variet. c. 4. to. 3.

S. Gregor. Magn lib. 24. Mor. ca. 7. Denique testatur Gregorius: *Quòd sæpè conuersi quique in ipso adhuc aditu inchoationis suæ, vel tranquilitatem pacatissimam carnis, vel dona prophetiæ, vel prædicamenta doctrinæ, vel signorum miracula, vel gratiam curationis accipiunt.* Gaudent etiam reuelationibus, & visionibus corporeis, & imaginarijs spectantibus ad primū gelum animæ, de quibus egimus latè tractat. 3. ca. 1. & 6 Item habent extases ad eundem cęlum spectantes, de quo actum est, tr. 4. ca. 3. & de prophetia, c. 1. supra dictis modis purgat Deus passint incipientes, vt ad vlteria possint ascendere.

CAPVT IV.

De periculis quæ inueniuntur tempore sensibilis gratiæ.

SÆpè tyrones abutuntur dictis donis capitulis præcedentibus, quia se ipsos inordinatè amant, & quærunt in bonis operibus, appetunt sensibilem gratiam, deuotionem, visiones, & similia, in his plus quærentes vtilitatem propriam, quam diuinum beneplacitum. Bona sua magna reputant, cadunt in superbiam propriæ complacentiæ, & vanæ gloriæ. In auaritiā spiritualem, semper affectantes maiorem dulcedinem, deuotionem, reuelationes, & visiones. In gulositatē spiritualem fruendo ipsis in voluptate naturæ, incidunt in adulterium spirituale, scilicet, quòd in tantum se dant ad acquirenda illa à Deo, & ad fruendum, & quiescendum in ipsis, vt Dei, & beneplaciti illius obliuiscantur.

Audiamus Bernardum dicentem: *S. Bern. ad frat. de Mont. Dei.* In quo, proh dolor! plurimi falluntur, quia cum pascātur pane filiorum, iam se esse filios arbitrantur, & deficientes, vndè proficere debeant, ex visitatione gratiæ euanescunt, arbitrantes se aliquid esse, cum nihil sint, & dè bonis Dei, non emendantur, sed indurantur, & fiunt, dè quibus Psalmista dicit: Inimici Domini mentiti sunt ei, *Psalm. 80.* & erit tempus eorum in sæcula. Et cibauit illos ex adipe frumenti, & dè petra, melle satur auit eos. Pascuntur enim à Patre Deo aliquando dè præciosiori gratiæ substantia serui, vt affectent esse filij: ipsi verò gratia Dei abutentes, efficiuntur inimici: vt enim abutantur etiam scripturis sanctis in peccatis, vel in concupiscētijs suis red deuntes ad eas per orationes, dicunt sibi illud vxoris Manue: Si Dominus voluisset nos occidere, non susce-

cepisset sacrificium de manibus nostris. Hæc ille. Vndè subtractis his donis sunt valdè impatientes, inquieti, tædiosi, & voluntarij. Et quærunt tūc solatium in creaturis, in actibus, verbis, affectibus, vel cogitationibus.

Multi etiam decepti à diabolo, iudicant apparere sibi Christum, vel eius sanctissimam matrem, amplexarique, & osculari, & indecentibus actibus demulceri. Vide hoc suprà tractat. . capit. 2. Appetunt etiam signa, & miracula tentantes Deum. Nesciunt, quòd melior est infirmitas conscientiæ, signorum vanitate. Et quod Paulus docet nos relinquere, quæ retrò sunt, & extendi ad anteriora, ad virtutum, scilicet, profectum, non ad gloriam miraculorum, & signa: signa enim dantur propter infideles, vt per hoc conuertantur ad fidem: Sed virtutes animæ requiruntur à fidelibus, nā sine illis non est salus. Signa verò interdum facta sunt à reprobis, vt ab Alexandro Macedone, & Iuda proditore, & alijs, qui ad damnationem hoc faciebant. Interdum fiunt per dæmones; imò etiam per ipsos communicari possunt gratiæ gratis datæ falsæ. Hinc Ricardus postquam dixit: inter fideles, & maximè spirituales huius temporis, signa meritò suspecta esse, subiungit: *Sunt his diebus aliqui (iuxta Apostolum) qui attendentes ad quosdam spiritus errorum, à Veritate quidem auditum auertunt, ad fabulas autem, & rumores nouorum conuertuntur: quia miracula quædam, siue à dæmonibus facta, siue à quibusdam, quibus contingere videntur conficta, magis quam morum perfectionem, & virtutes mirantur, & attendunt.* Hi retrocedunt, vt non abeant de virtute in virtutem, ad quod datur sensibilis gratia.

Ric. Victo. in Cant ca. 21. p. 2.

Sanctus Bonauentura sic loquitur: *Consolationes, sicut non sunt necessariæ saluti, etiam suspectæ sunt, & sæpè falsæ, fictæ, & deceptoriæ, vt visiones, reuelationes, prophetiæ, sensuales consolationes, oblectationes, miraculorum operationes, maximè modernis temporibus, licet quandoque reperiantur veræ, sed in paucis.* Multi etiam vigilias sensuum obseruāt, qui multarum cogitationum immissionibus, quasi quibusdam reuelationibus suo iudicio se putant abundare, vel etiam miranda per somnia videre. Sed quia sensuum negocijs intendunt vulnera charitatis nesciunt; & sani ægriùs elanguescunt, quia Angelus Satanæ lumen quoddam phantasticum infundit intrinsecus, à quo sentiunt, veluti sacco penitus obuolutos. Et quia ad tales nouitates, & reuelationes aspirant, in hoc lumine multa mirabilia per imagines phantasticas percipiunt. Atque adeò aduertens inimicus hos miseros fatuos vanis visionibus, & reuelationibus delectari, vices multiplicat, visiones, & reuelationes ingeminat, vsque ad miserum statum illusionis perducat, de quo sola diuina misericordia educere valet. Experientia didici, non enim locum dant consilijs, & veritati; imò opponuntur, & solum acquiescunt in dictis, quæ suæ illusioni fauent, de alijs irrident, & veluti ignorantes in via spirituali reputant doctos, & spernunt superbia diabolica intellectus, licet alias voluntas disposita sit ad bonum. Vide suprà, tract. 3. ca. 16.

S. Bon. pro cess. 3. Reli.

Periclitantur etiam multi in hoc statu, quia affectant oculis exterioribus videre Angelos, æternam vitam, infantulum in Sacramento, & similia, vel cantantes Angelos audire, aut externam in Sacramento dulcedinem experire, & similia in omnibus sensibus, idem optant intrinsecus in omni notitia, quę recipi potest in visionibus, in imaginibus, in formis, in similitudinibus, in spirituali intelligentia, & in supereminenti agnitione Dei. Isti in his, suas affectiones, & oblectationes constituentes, multum gratis laborant, atque periculosè ambulant, vt decipiantur à dęmone, vt proximè dictum est. Lege N. Harphium. Multoties etiam patiuntur deceptionem, quando deuotè orant pro alijs iudicantes exauditos esse à Deo, quia sensibiliter, sentiunt deuotionem, ac dant pro facto, quod desiderant. Sicque illuduntur. Ricardus: *In oratione falsè consolatur interdum simplex aliquis: dum secundum quod alacritatem spiritus sentit exauditionis conijcit inditia, de corde suo prophetans: & quod cor suum loquitur, hoc Dominum loqui arbitrans.*

Henri. Harph. li. 2. mystic. Theol. cap. 10.

Ric. Victo. in Cant. ca. 17.

In sapore etiam spirituali solent etiā periculum habere, quia cū sint noui, & nou-

nondum perfectam munditiã cordis possident, extolluntur, & vbi se diuites reputant, indè parum vident, & veram cognitionem non habent. Si verè illuminati essent, plus cognoscerent, & immensitatem suauitatis huius apprehenderent, & humiliarẽtur: quia exiguum intelligerent, quòd de hac percipere poterant. Hoc erit signum veri, vel falsi saporis. Item, quia verus non est impetuosus, carnem nõ titillat regulariter, sed carnis motus compescit, & mitigat. Modestus est, tranquillus, lenis, dulcis, pacatus, spiritum roborat, & accendit. Cumque parum est, quòd habet, sicut semper se egenum reputat, ita humiliter de se sentit.

Quia autem adhuc imperfecti sunt, & infirmi in eis periclitatur gaudium dulcis affectus, quia de minus mundato corde procedit. Cooperatur enim in eis, vel naturalis leuitas, vel prosperitas aliqua, vel tentatio peccati occulta. Tales per dulcedinem interdũ deuoluũtur affectum ad gaudium carnalitatis. Horum affectus cum in Deũ dirigitur, contingit interdum, vt ex occasione locorum flatus leuior factus, in carnalem mutetur, & cum spiritu ceperint, carne cõsummant. Vnde aliqui in tali statu carnis motum, vel majorem fragilitatem patiuntur. Istis dulcis affectus vertitur in peccatum. Vndè cum carnis motum sentiũt, statim se retrahere, & aliquod bonũ conuertere deberent. Talibus magis expediunt amara, quam dulcia, labor pœnitentiæ, & pugnæ contra oblectamenta carnis, vel propriæ voluntatis. Per dura itaque, & labores falsa delectatio gaudij extinguitur, & requies mẽtis acquiritur.

Ratio est, quia dulcis in Deum affectus teste Ricardo, quodam modo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum, potius, quàm gratiæ, cordis quàm spiritus, sensualitatis, quã rationis; ita vt magis accedat aliquando ad minus bonũ, & minus ad maius: & ad aliquod, quod sapit magis, quã quòd expedit. Hoc affectu errabant discipuli, & carnaliter Deum diligebant, cuius præsentia carere nolebant. Vndè etiam non diligere arguebantur, quia quod delectaret magis, quam quod expediret, amplectebantur. Sic affectuosè interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur: nõ quòd valdè diligat, sed quod dulcedinem gratię degustat: quæ quantum durat, tantum iubat: quandiu durat dulcedo, durat, & dilectio. Sed non cognoscitur in bonis amicus. Præsertim namque ante annos 40. inconstans est natura, & affectuosa, quærens sæpius in suis exercitijs commodum spiritualis saporis, & oblectationis, ipsa tamen ignorante natura. Sicque talium conuersatio, non est pura, sed affectionibus naturalibus, & diuersis imperfectionibus admixta, & infecta. Et vbi vitam cœlicam, & spiritualem fouere se putant, ibi propriam, & immortificatam voluntatem, & nudã naturam pascunt, & cõfortant. Et à propria natura lætãtur, vel delectãtur, vel tranquilli sunt

Ric. Victo. in Cant. c. 6. p. 2.

Non desunt deniq; pericula in exercitio aspirationũ. Accidit enim, quod ex violento, & affectuoso impulsu sentit homo in principio suæ conuersionis circa cor magnum, validumq; motum: quia cor saliat in pectore velut piscis in aqua. & tunc repentè sensitiuę vires colligũtur in vnum, & in vna affectione liquefiunt. Cor etiã in corpore non solum saltat, sed etiam aperit se, & claudit ad modum ianuæ, ita vt plerumque audiri possit. Ex hac magna cordis agitatione sæpè venit in caput validus ventus, ac si gladio caput perceuteretur: quia impulsus cordis adhuc sursum ascendit, quòd si caput sit debile, diu durat ipse ventus, si fuerit fortè, minus.

Similimodo contingit ex isto vigoroso, impetuoso, ac stimulatiuo exercicio, quod sanguis circa cor propter nimium calorẽ, & pressuram bullire incipit, præsertim in illis, qui natura impetuosi, & studiosi sunt, & affectione stimulatiui, aut impulsiui, qui licet sentiant talem calorem circa cor, aut sanguinis ebullitionem, nihilominus instant se per suum exerciciũ, semper pergendo, sine discretione: sæpè que se ipsos perducunt in magnam tribulationem, quia sanguis ex continua ebullitione circa cor valdè ingrossatur, & inhabilitatur. Et cor hominis, quod naturaliter se aperit in omni iucunditate, & affectuositate, in omni actuosa deuotione, & sensibili amore, naturaliter se claudit, eo quod non vult recipere grossum sanguinem iacentem, iuxta cor, ingrossatum ex nimio calo-

lo-

calore, qui euenit in exercitatione, & tunc spiritualis iucunditas vertitur in mœrore, quia naturale est, vt clausum cor tristetur, & triste claudatur.

Hæc autem clausura cordis frequenter, tàm firma efficitur, vt nullo modo iterum velit aperiri. Tunc priuantur omni deuotione sensibili, aut experimentali, & sensibili amore: tūc conqueruntur se à Deo derelictos, & in pusillanimitatem deueniunt, & penè in desperationem, cùm tamen verè hoc sibi ipsis fecerint per indiscreta exercitia, quibus naturam inhabilem fecerunt ad seruiendum spiritui. Et quanto amplius laborant cum violentia pro deuotione recuperanda, tantò magis ab ea elongantur. Etiam per impatientiam, & inquietudinem cordis magis indispositi efficiuntur, obtenebrantur, obdurantur, & peruertuntur in seipsis, perducūtque se ad ineffabilem angustiam, & tribulationem. Ita Harphius Doctor expertus. Pro aliis periculis in visionibus, & reuelationibus corporeis, & imaginariis, vide suprà, illo tractat. 3. capit. 2. & pro indiscretione principiantium in exercitiis pœnitentiæ, tract. 5. c. 4. de prud. & ca. 13. de discretione. Applicentur etiam dicta, ibi dulci affectui, & gaudio, hisque aspirationibus. Pro denudanda mente ab omni re sensibili, tract. 3. ca. 3. & 4. ne actu agamus, & cap. 7. Item Gers. de dist. ver. visio. à falsi. & V. P. Ioann. à Cruc. Ascens. mont. Carm. capit. 16. 18. vsque ad 27. ibique libr. 2. c. 11. & 12. Deniq; pro imperfectionibus horum, in noct. obscur. libr. 1. à cap. 1.

Henr. Harphium lib. 2. mystic. Theol. p. 2. cap. 62.

CAPVT V.

De desolatione animæ à Deo.

EX sententia Gregorii duo sunt modi conuersorum ad Deum, inchoatio, & medietas: *In inchoatione inueniuntur blandimenta dulcedinis, in medio, certamina tentationis. Prius illos dulcia suscipiunt, quæ cōsolentur, postmodum amara, quæ exerceant.* Probat exemplis: Nam sponsam suam vir quisque priùs dulcibus blandimentis fouet, quàm tamen iam coniunctā asperis increpationibus probat, probatā verò securibus cogitationibus probat. Plebs Israelitica, cùm desponderetur Deo ad sacras mentis nuptias ex Ægypto vocaretur, quasi arratum vice priùs accepit blandimenta signorum: Coniuncta autem probationibus exercetur in eremo. Antè in miraculis gustauit, quòd appeteret, postmodum labore tentata est, si custodire voluerit, quod gustasset. Ita vitam vniuscuiusq; conuersi, & inchoatio blandimentis permulcet, vt dictum manet cap. 3. & aspera medietas probat, de quo præsens agit, & in quo conueniunt Ss. PP. & DD. myst. Theologiæ. Quodque oculari exemplo naturali, explicat ipse Gregorius. Quia, & nos, cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque in terra coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit.

S. Gregor. lib. 24. Mora. cap. 7.

S. Gregor. hom. 29. in Euang.

Prima probatio est, quàm Deus facit per seipsum vniuersam gratiam sensibilem, & refrigerantem subtrahendo, ita quòd manent obnubilati, desolati, & quasi pœnitus à Deo derelicti, & reprobati, tanquam vulnerati dormientes in sepulchris: de quibus Ecclesiæ concinit: sicut aurum in fornace probauit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit eos in æternū. Lege N. Harphium, & Ricard. Vict. lib. 2. de contemp. c. 13. p. 1. Tunc adimpleri videtur illud Isaiæ: *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* Dicunt cum Tobiâ: *Quare gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœlorum non video?*

Psalm. 3.

Henric. Harph. lib. 1. mystic. Theol. p. 3. cap. 25.

Isai. 5.

Iob 5.

Ambulat anima sicut depingit Bernardus dicens: *Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in teporem, atque in defectu quodam spiritus positi, ambulant tristes vias Domini, corde arente, & tædente accedunt ad quæcumque iniuncta, frequenter murmurant, longos dies, longas conquerūtur, & noctes, loquentes cum S. Iob. Si dormiero dicam, quando consurgam? & rursum spectabo vesperam.* Despiciunt spiritualia exercitia, oratio, communio sacra, & iuxta illud: *Abominabilis ei fit in vita sua panis*, ac manent perturbati, vt dixit Dauid: *Auertisti faciem tuā à me, & factus sum conturbatus.*

S. Ber. ser. 32. in Cāt.

Iob. 7.

Iob. 33.

Psalm. 27.

At verò, quia diligūt Deū, & sua protectione occultâ proteguntur, ipsū quærūt, nec quiescūt, nā amor sanctus suā inquietudinē habet, qualē legimus apud

Isai. 62. Prophetam: *Non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus, & saluator, vt lampas accēdatur.* Sic inuenimus in illa, quæ dicebat:
Cant. 3. *Per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Inquisitione protectio gratiæ, & aliquod solatium animæ propter spem inueniendi, in non inuentione, nusquā refrigerium, nusquam consolatio, sed vbique tribulatio, dessolatio, & afflictio.

Quid faciendum sit in hac desolatione, tribulatione, & afflictione, docuit ipsa anima dessolata, afflicta, ac tribulata: *Circuibo* (inquit) *ciuitatē, quæram quem diligit anima mea.* Circuitus iste non est euagationis, sed inquisitionis, non vitiosus, sed aureus, & necessarius. Ciuitas est ipsa anima, de qua magna dicta sunt, quia Dei ciuitas est. Tunc in circuitu ambulat, cùm repetit continuo motu exercitia spiritualia, mortificationē, virtutes, & orationem. Motus circuitus perfectus à quo incepit, reddit, toties quoties fit, & si eodem modo repetitur, semper nouus est, & in suo genere perfectus, si in medio non quiescit. Sic anima tota in circuitu ambulat intus renouata de die in diem repetitione suorum exercitiorum spiritualium, quia virtutes per actus extenduntur, & perficiuntur. Atque adeò in via Dei progreditur. In vera substantia spiritus, & non in accidentarijs gaudijs, & cōsolationibus.

Deinde amorosè loquatur cum Deo in oratione, & omni tempore: Domine posuisti me quasi extraneam à te, & facta sum mihimetipsi grauis, derelinquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Bona mea, bona tua sunt: Ideò mihi incumbit desolatio, dum à te separari contingit. Tu virtus mea, tu lumen oculorum meorum, tu mihi ipsum, tu mihi totū, & omnia mea. Anima mea sicut terra, sine aqua tibi. Audi me in die afflictionis meę. Ita Domine suaue videtur tibi miseram mortaliter torquere animam. Si maiestas deabducit, misericordia inclinet. Afflicta sum, & humiliata nimis. Vbi nunc multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? Diù, & nimis diù continuerunt se super me Ancilla tua
Genes. 43. ne dicam sponsa, absentis desiderio in dolorem se fundit, & tu te contines? Ego me totam ad quærendum impendo, & tu te suspendis. Pater? Ioseph malè meritos de se miseratus fratres, non poterat se continere, sed cōmota sunt viscera eius, & quis esset, blandè innotuit. Et quidem maior esse solet amor patris, quàm fratris. Tu mihi pater, imò & frater. Magis sibi respondent amor, & humilitas, quàm amor, & maiestas. Paululum maiestatē obliuiscere, vt misericordiæ recorderis. In te omne desiderium meum, & amor meus. Absconditus est à te gemitus meus, qui totus est per te? Dissimulas, & differs, & auertis faciem tuā à me, & facta sum conturbata. Tu differs, ego quidē diutius non fero; sed circuibo tamen ciuitatem per circuitum virtutum, & quęram quem diligo. Cæterum, quia ex meo non habeo, nisi mē datium, & peccatum, tua auxilia humilitèr peto propter temetipsum, & meam indigentiam.

Anima desolata, alia habes ex Bernardo, quæ vtiliter loquaris cum Deo tuo: *Trahe me post te, in odorem curremus vnguentorum tuorū.* Fessa sum deficio, noli me deserere, sed trahe me post te, ne incipiā vagari post amatores alios, nec curram quasi in incertum. Trahe me post te: quia satius est mihi, vt me trahas, vt scilicet, vim qualencumque mihi, aut terrendo nimis, aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore malè securam derelinquas. Trahe quodam modo inuitam, vt facias voluntariā. Trahe me torpentem, vt reddas currentē post te, qui exultas, vt gigas ad currendum viam, & cuius verbum currit velociter. Dic cum Paulo sauciato à Iesu, in terram proiecto, & humiliato, & cœco: *Domine, quid me vis facere?* Si ste in hac resignatione humili, & totali, sic non deseret Dominus, nec irrita faciet vota tua. S. Ber. ser 21. in cāt Cant. ca. 1 Psal. 18. Psal. 147.

Persiste denique sustinens sponsum tuū paciētia muta, sicut ouis ad occisionē, sine intermissione orando, petēdo, & pulsando, quia veniet. Necessitatem hāc cognouit Bernar. in tyronibus desolatis, ex casu Apostoli in sua vocatione. Inquit sacer textus: *Et erat ibi tribus diebus, non videns, & non manducauit, neque viuit.* Audi Bernardum: *Quòd triduo Paulus, sine cibo manens persistens in oratione, ad eos maximè pertinet, qui nouiter sæ-* Actor. 9. S. Ber. ser. 1. de conu. Paul.

cu-

culo, ab renunciantes, nec dum cœlesti respirant consolatione. Nota summam desolationem, illis verbis: nec dum cœlesti respirant consolatione. Prosequitur: *Sustineant ergo, & ipsi Deum in omni pacientia.* Insufficiens videtur consequentia. Ex quo antecedenti. Quia principiantes sunt, & omni cœlesti consolatione destituti vsque ad respirationem? Ideo, quia necessaria pacientia resignata est tunc. Concludit; orent sine intermissione, quærentes, petentes, & pulsantes, quia exaudiet Pater cœlestis in tempore opportuno, veniet, & non tardabit. Si triduo sustinueris eum, nec habes quod manduces, confide, quia miserator Dominus ieiunum non te dimittet. Hæc Bernardus. Sic fac, & viues. Si non potes, desidera facere, quia desideria pauperum exaudit Deus.

Verumtamen est, quod sponsus venire multoties differt etiam quæsitus modo explicato ab anima. At non diffidat, neque relinquat quærere. Hoc namque duplici de causa fit. Prima, vt desiderium crescat, & probetur affectus, & dilectio sit pura. Non grauabor iterum adducere Bernardum dulcem, ac magnum Magistrum in mystica Theologia. Explicans textum illum: *In lectulo meo quæsiui per noctes quem diligit anima mea*, inquit: *Non est reuersus sponsus ad vocem, & votū reuocantis. Quare? Vt desiderium crescat, vt probetur affectus, vt exerceatur amoris negotium. Sanè ergo dissimulatio est, nō indignatio.* Hac de causa, anima sancta cupidior quærit, quem in lectulo non inuenit, per plateas, & vicos ciuitatis, nec pericula noctis, nec labor nec sponsæ verecundia auellere potuerunt ipsam ab inquisitione. Vndè fraudata diuturna, & pertinaci defraudatione, tædiorum nutrici, suspitionū fomite, nouerca amoris, & desperationis matre, non destitit auidius quærendo, donec inuenit, sicque factum est amoris negotium.

S. Ber. ser. 75. in Cāt.

Pro secunda causa, vt scilicet, dilectio sit pura, notat per optimè sanctus, quòd hæc anima iusta, non dixit de sponsi inquisitione: quem diligo, sed quem diligit anima mea, quòd verè, & propriè ad solam pertineat animam illa dilectio, quæ spiritualiter diligit, non carnaliter, idest, non cibos, vestes, honores, &c. sed sponsum nudè: *Hoc pro ea quod (ait Sanctus) sponsa minus vsitatè, sed non minus propriè animam suam sponsum diligere dicit, monstrans proindè spiritum esse sponsum, & a se non carnali, sed spirituali amore diligi.* Lege Abbatem Guillebert. serm. 44. in Cant.

Huic animæ sic perseueranti in oratione tempore desolationis, & magis dispositæ amore nudo, sponsus miseratus occurrit, tuncque experientia ipsa cognoscit anima, quòd dixit Hieremias: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Sed & Angelus eius custos condelectatur, & conuersus ad Dominum, ait: Gratias ago tibi Domine maiestatis, quia desiderium cordis eius tribuisti ei, & volūtate labiorum eius non fraudasti eam, in tempore desolationis non cessat solicitare animā assiduis suggestionibus, & monere, dicens: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Expecta Dominum, & custodi viam eius. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ad Dominum autem. Sicut ceruus (inquit) desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te Deus meus. Desiderauit te, & desiderat in nocte suæ desolationis, sed, & spiritus tuus in præcordijs eius: de mane vigilauit ad te. Tota die expandit ad te manus suas. Dimitte illā, quia clamat post te. Cōuerte aliquantulum, & deprecabilis esto super eam. Respice de cœlo, & vide, & visita desolatā, & mærore confectam, fidelis paranymphus discurrit medius inter dilectum, & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illum. Sicque istam ad Deum adducit, & Deum ad illam, siquidem domesticus est, & notus in palatio, nec veretur repulsam, & quotidie videt faciem patris, vsque dum anima habeat, quem desiderat per intimum illapsum cœlitus communicatum. A quanta tunc amaritudine liberatur, atque vnctione diuinæ misericordiæ, & oleo lætitiæ perfunditur.

Psal. 20.
Psalm. 36.
Abac. 2.
Psalm. 41.
Psalm. 87.
Matth. 15.
Psalm. 79.



CA-

CAPVT VI.

Causæ desolationis per abstractionem gratiæ sensibilis.

VArias, ac multas causas substractionis huius gratiæ assignant SS. PP. & Doctores. Aliquando fit propter aliqua peccata. Vndè Dauid. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodiui legem tuam.* Solent agricolæ siccitatis tempore terrā rigare, ne nimia siccitate, nequeat cōmendata seminia multiplicare. Ad quorum immitationem Dauid ymbre gratiarum tardante descendere, non negligit infundere lacrymas. Sed quæ causa substractionis gratiarum cœlestium? Respondet Ricardus: *Puto, quod aliqua eius culpa hoc exigente mandauerat, tunc temporis Deus nubibus suis ne pluerent: & idcirco præ siccitate cuncta aruerant, in tantum, vt dicat alibi: Aruit tanquam testa virtus mea. Non ne internæ infusionis ymbrem tunc spectabat, quando cum gemitu clamabat: Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Fac tu similiter vir desolatus, & cum illo quando supernæ gratiæ infusæ ymbrem non sentis ad votum tuum, purga culpas lacrymis, & compunctione cordis, cum his e præcedenti dictis. Vide eundem Ricardum.

Ps. 118.

Ric. Vict. in Ps. 118. p. 2.

Aliquando fit desolatio ob humilitatem, qua vir spiritualis à superbia spirituali liberetur, videns suam paupertatem, Gerson: *Fit quandoque, & sæpius ob humilitatem, vt retundatur superbia vel quæ præfuit, vel ne surrepat prouidetur.* Habemus thesaurū diuinarum rerum in vasis fictilibus, & vir etiam sanctus solet superbire ipso ignorante, quia tempore gratiæ sentit in se quandam quasi complacentiam in exercitiis spiritualibus, & satisfactionem. De se ipso expertus Bernardus ait: *Currebam benè, sed ecce lapis offensionis in via: impegi, & corrui. Superbia inuenta est in me, & Dominus declinauit in ira à seruo suo.* Nota, quòd dicit inuentam esse in se superbiā, quia insensibiliter generata est, & non est cognita, nisi iā habita. Prosequitur statū desolationis suæ: *Hinc ista sterilitas animæ, & deuotionis inopia quam patior. Quomodò ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua: Nec compungi ad lacrymas queo: tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat: meditationes solitas non inuenio. Vbi illa inebrietas spiritus, Vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto?* Optimè depingit statum desolatorum. Anteà dixerat: *Iam luo pœnas, iam acerbissimè vapulo.* Lege S. Climac grad. 4.

Ricar. li. de erudit. hom. inter c. 19. & c. 20.

Gers. myst. Theol. pract. consid. 6.

S Ber. ser. 54. in Cant.

Hanc causam cognouit S. Laurentius: *Prona (inquit) quidem mens est, dum deuotionis gustu tangitur eleuari de munere, atque in propriæ soliditatis virtute virumque confidere. Propheta de se ait: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Sed se qualem esse agnouerit, ex amotione gratiæ, mox intulit. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* In abundantia spiritualium periculum inuenit confidentiæ propriæ. Peroptimè Gregorius sic loquitur: *Plerumque virtus habita, deterius quàm si deesset, interficit: quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit. Cùmque eam quasi roborando viuificat, ad interitum pertrahit, quàm per spem propriam ab internæ fortitudinis fiducia euellit.* Vir ergo spiritualis suam desolationē patienter ferat, humilitatem seruet, & augeat, ceterasque virtutes; dicatque corde sincero ac pleno *Qui cæpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Sic desolatus manū leuātis quærat, & spectet, induaturque gradu fortitudinis: purgatorio, de quo suprà.

S. Laur. Iust. faci. amor. c. 16.

Psalm. 29

S. Greg. Mag. li. 7. mor. c. 1. 9.

Iob. c. 6.

Tract. 5. c. 7.

Sed proh dolor! quam multi sunt, in quibus diuina consolatione substracta, charitatis, & perfectionis feruor infrigescit, ita quod in virtutibus protinus labefacti, carnis mollitiem, & corporis quietudinem etiam extra discretionis regulā concupiscunt, ac exercent. Pusillanimes, & tenelli sibi videntur, & ideo quicquid humanitatis, & solatii suo corpori quiuerint exhibere, totum sibi necessariū suspicantur. Sed meminere debebant quia Dei sapientia non habitat in terris suauiter viuentiū. Et licèt mortale vitiū non cōmittāt statim, ardor deuotionis minuitur, & sapor virtutum obtunditur. Plerumque in stabilitatis ægritudine labo-

Iob. 28.

laborantes diuersis inordinatis appetitibus agitantur. Hodie modum vnum eligunt viuendi, cras alium, sicque infinitis circumferuntur inconstantijs. Ratio huius est, quia cordis intentione, & industria se quærunt plus, quam Deo inhærere per charitatem, & nudum exercitium virtutum. Et quia plus volunt sapere, quàm oportet sapere, nescientes se exhibere Deo, hostiam sanctam, & rationabile obsequium.

S. Bonau. Process. 4. Relig. cap. 10. Sanctus Bonauentura quatuor causas assignat substractionis huius. Prima est purgatio peccati, quia fortè per alia exercitia minus purgatus est, vel aliqua habet delicta, quæ non recolit, & vt dignus per hanc purgationem accedat ad Eucharistiam, & amplius purgetur à peccatis, in hoc punitur, in quo magis dolet, & quo dolor grauior, eò purgatio efficacior. Secunda, vt ex hoc eruditior in gratia fiat, quod à Deo fit, non ab homine, cùm non potest homo pro voluntate sua habere, sed Deus, qui dat ex se, quando vult infundit, & quando vult abstrahit ad suum beneplacitum. Itē quia ex gratia dat, non pro meritis; sicque cognoscit homo, gratiam non possidere quasi iure hæreditario.

Tertia, nam tempore sensibilis gratiæ multoties libertas mentis obruitur, dum quasi per violentam extorsionem accelerat affectus deuotionis exprimere: sicut qui botros in torculari, vel oliuas in prello subitò comprimit vehementer, liquor magis turbidus, & insipidus fluit, quàm si paulatim, & moderatius compræssisset; quò enim liberior, eò pinguior est deuotionis affectus. Quarta potest esse meritum maioris gratiæ, & gloriæ, dum desiderium non adimpletum affligendo purgat animam, & patientia desolationis, & humilis sufferentia mæroris, quasi lima reddit animam clariorem, & magis susceptibilem splendoris diuini, & amplioris gratiæ, gloriæque capacem. Quia igitur afflictio lima est animæ, quæ rubiginem vitiorum abradit, vt deterso peccato, quod sua obscuritate radios diuini luminis, & fulgoris velut obex animæ inhæserat, lumen gratiæ recuperet; purgat Deus animam passiuè per substractionem sensibilis gratiæ, vt sic purgata aptior fiat abundãtioris luminis in præsenti, & gloriæ in futuro. Huiusque Seraphicus Pater.

Quamuis hoc verum sit, quandoque sua communicatur tenuis, vt cum ea vir spiritualis ambulet vias Domini, sed animo humili, ne superbiat. Fatetur de ipso Bernardus maximè in initio suæ conuersionis in via purgatiua. Non omitto, quia grauis eius sententia est, & doctrina consolatoria, & necessaria desolatis. Sic ait: Frequenter ego ipse (quod fateri non vereundor) maxime in initio conuersionis meæ, corde durus, & frigidus, & quærens quem vellet diligere anima mea, nec adhuc enim diligere poterat, quem nondum inuenerat, aut certè minus quàm vellet, diligebat, & ob hoc quærebat, vt magis diligeret, quem nequaquam quæreret, nisi etiam aliquatenùs dilexisset. Cùm ergo, eum quærerem in quo recalesceret, atque requiesceret spiritus meus, vtique torpens, & languens, nec vlla de parte occurrerit, qui succurreret, per quem videlicet pruina rigens, quæ sensus stringebat interiores, dissolueretur, & vernalis illa suauitas, ac spiritualis amænitas reuerteretur, tunc magis ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea præ tædio, tristis penè, & desperans, & mussitans secundum illud: à facie frigoris eius quis sustinebit? Cum subitò fortè ad affatum, vel etiam aspectum cuiusdam spiritualis perfecti viri interdum, & ad solam defuncti, seu absentis memoriam flabat spiritus, & fluebant aquæ: & erant mihi lachrymæ illæ panes die ac nocte. Quidnam, istud nisi odor exhalantis vnctionis, qua erat ille perfusus? (scilicet sponsus, qui explicat Sanctus illud: *Oleum effussum nomen tuum.*) Non enim vnctio, quæ ad me, nimirum nisi homine mediante non pertingebar. Ea propter, & si gaudebam de munere, confundebar tamen, & humiliabar quod sola ad me tenuis exhalatio, & non pinguis aspersio peruenisset. Odoratu quippè delectatus non tactu, indignum me proindè cognoscebam, cui per se ipsum dulcescere Deus. Et nunc id ipsum, si accidat aliquis quidem suscipio munus indultum, gratumque habeo: sed dolens, doleo per me ipsum non meruisse, atque (vt dicitur) de manu in manum minimè accepisse, cùm obnixè id peterem. Hæc ille, & alia.

S. Ber. ser. 14. in Cant.

Ps. 147.

Cant. 1.

Ger-

Gerson citatus, alias numerat causas ex Patribus. Nimirum: Ad desiderium vehementius igniēdum, quēadmodum ignis flatu compræssus erumpit ardentior. Aliquando ad inueniendum viscera pietatis super aliorum desolationem. Aliquando, ne deserat homo pro contemplationis super erogatione, obligationem diuinæ iussionis. Aliquando, quia anima iunior non posset sustinere ebrietatem spiritus, si iugiter introduceret rex eam in cella vinaria, propterea clauem gerit, nunc claudens, nunc aperiens. Fit etiam vt prouocet te Deus, sicut aquila pullos suos ad volandum, & mater filium ad ambulandum. Mater deserit filium, vt derelictus clamet ad eam: vtque regrediens cautior sit adhærere illi; & cautior ne cadat, & vt per se sciat ambulare, & fortior fiat. Consule Cassianum, & vener. P. Ioan. à Cruc. lib. 1. noct. obscur. à cap. 1. vsque ad 7.

Cassi colla. 13. c. 6.

Denique N. Harphius docet causam desolationis esse, quia Deus nequit sustinere, quòd anima in alium per amorem tendat, vt recreationem quærat, siue consolationem, præterquam in ipso solo. Certum namque est Deum velle puriorem amorem in illis, quos ad se trahit. Vt cognoscat anima, quod in sensibili amore, & deuotione non consistit vera sanctitas perfecta, nec vera charitas; sed in prompta voluntate se ipsam resignando in beneplacito diuino, & in abnegatione sui ipsius in omnibus propter Deum, ac in exercitio virtutum, sciens sic oblita, omnis oblectationis sensibilis in paupertate voluntaria spiritus cum D. Paulo abundare, & penuriam pati. Et vt cognoscat per experientiam, si iā profecerit in exercitijs spiritualibus, ita vt Deum sequatur desolata omni sensibili gratia, & quasi ab illo repulsa. Sicque discat descendere desolata, sicut Angeli descendebant in scala Iacob; quæ descensio non est præcipitatio, sed vt melius ascendat, vt dictum est, & non præcipitetur.

Henr. Harph. li. 2. myst. Theo. c. 47.

Ad Phil. 4.



CAPVT VII.

De tentationibus, tempore desolationis.

Dictum, est quomodo manet anima desola per abstractionem omnis gratiæ sensibilis, nunc agitur de tentationibus, quas paritur in hoc statu desolationis, vt quisque possit scire causas, quæ occasionem possint esse ruinæ spiritualis, quia ignorantiæ multa sunt mala, sub ipsa iacet ratio, discretio periclitatur, fugatur pax, disperditur gratia, & virtus perit, ac vbi dormit custos, præualet inimicus. Vnde admonet Apostolus: *Surge qui dormis & illuminabit te Christus.* Verū autem est, varias, & multas esse tentationes, & teste Bonauentura difficilè queunt discerni, quia si nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates, & dolores potest cognoscere, quanto minus spirituales morbos tentationum, & passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis plenè discernere? Tamen de principalioribus agemus, & de regulis ad eas vincendas cum diuino auxilio.

Ad Eph. 5.

A quatuor principijs procedunt tentationes, à Deo, à dæmone, à mundo, & carne, ex eodem Bonauentura. Tentare aliquos Deum dicitur, cùm aut flagellat eos in præsenti ad probationem, & profectum eorum, & aliorum exemplum: Sicut Iob, & Tobiam, aut cùm probat eos aliquibus arduis virtutum exercitijs; sicut tentauit Abraham, iubens eum immolare vnigenitum suum, hæredem diuinæ repromissionis: vt ostenderetur magna deuotio obedientiæ Abraham, & fidei ad Deum: quia neque hoc modo hæsitauit de eius promissione, quin impleret eam de occiso, sicut pollicitus erat ei. At quia Deus tentat ad vtilitatem, non ad ruinam, propterea dicebat Dauid: *Proba me Domine, & tenta me*; ideò dicitur in Sacra Scriptura, neminem tentare: *Deus enim neminem tentat*; quia tentatio est pugna, vel impugnatio quædam qua quis ad malum patrandum allicitur, quòd in Deo inueniri non potest.

S. Bon. pro cess. 4. Relig. c. 2. t. 2.

Genes. 22.

Psalm. 25.

Iob. c. 1.

Gen. c. 22.

Optimè Ambrosius super illud: *Et factum est post verba hæc, Deus ten-*

S. Ambr. lib. 1. de Abrah. c. 8.

tentauit Abraham; Aliter (inquit) *Deus tentat, aliter Diabolus. Diabolus tentat vt subruat, Deus tentat vt coronet.* Vnde in Deo prior est proba, tio iusti, quæ respicit eius profectum & exercitium virtutis, posteà tentat, vt patet ex illo Dauid: Proba me Domine, & tenta me. Ecce distinguit probationem à tentatione, & illa est prior, ista posterior; At probatio est vera, & rigorosa, tentatio verò Dei non ita, sed impropria, vel metaphorica. Ideo concludit graui sententia Ambrosius postquam ostendit probationem Abrahæ ante tentationem: *Hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis tentatur autem compositis, & fictis. Non enim volebat Deus immolari à patre filium, nec impleri hoc munus volebat qui arietem pro filio immolandum obtulit, sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, si paternæ pietatis contemplatione vim deuotionis inflecteret.*

S. Bern. in exclam. t. pag. mihi 1013. Ex hoc docet Bernardus quid debeat facere vir spiritualis, desolatus, probatus, & tentatus à Deo sic exclamans: Et tu igitur si vocem Domini audieris intus, & dicatur, tibi vt offeras Isaac, tuum quodcumque est gaudium immoles Deo (interpræt atur enim Isaac gaudium, seu risus) fideliter, & constanter obedire ne timeas. Nimirum, & si rem grandem tibi dicit, tacere debes, & obtemperandum ei per omnia, etiam si oportuerit ipsum Isaac iugulari. Nunc autem quicquid affectio propria iudicet, securus esto: non Isaac, sed aries morietur, non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cuius vtique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest. Tentat enim te Deus tuus, nec mactabitur Isaac, vt opinaris, viuens viuet, sed eleuatus est vtique super ligna, vt in sublime gaudeas, nec in carne propria, sed in cruce Domini glorieris, per quem nimirum crucifixus, & ipse es, sed crucifixus mundo: nam et viuis. Hæc ille. Sic operando purgatur passiuè mens nuda ab omni gaudio sensibili contemplationis, & vnionis, sed mutatur in melius, disponitur ad maiora, denudatur ab affectibus propriis, exercetque virtutes probationis diuinæ, fitque Deo gratum holocaustum iuxtà beneplacitum suum, quod intendit ipse Dominus.

Post hoc purgat Deus seruos suos permittendo, vt diabolus tentet eos varijs, & grauissimis tentationibus; quod quidē grauis crux est, maximè, quia desolati sunt. Sæpe tot tentationes obsident, vt ipsa numerositas penè in lapsum desperationis incliner. Mens ruituram se per momenta timet. Eius oculos obscuritas obsidet, & cum visum tenebræ tentationum semper impediant, mæsta mens nihil aliud quàm tenebras videt, & irruentes tentationes sentit, ac aliquatenus refrigescit. Ignorat namque esse illā, de qua loquitur Ezechiel: *Pone eam super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius.* *Ezec. 24.*

In primis diabolus tentat in exterioribus. Patet in Iob, qui traditus fuit Sathanæ flagellandus, & plagandus in omnibus bonis suis, in prolibus, in seruis ancillis, similiter cunctis membris suis à planta pedis vsque ad verticem, dummodò animam eius nō attingeret. Deinde tentat grauibus doloribus ad corporis purgationē. Multoties obijcit visui horrenda spectra diabolica in somnijs, & in vigilia apertis oculis, etiam, & clausis. Quandoque isti audiunt tremendos fragores, vlulatus, rugitus, grunitus animalium ferocium. Aliquando olfatus sulphuris, & fætoribus infernalibus diù vexantur. Neque aliquandò reperiunt saporem in cibo, nec in potu. Denique tactus varijs modis cruciatur: nunc verberibus Dæmonum multiformiter: nunc per membra corporis bestiæ fætidissimæ subeunt, vti serpentes, bufones, & similes cum magna sensualitatis abominatione, & repugnantia, non solum in particulari tactu, sed etiam in generali tactu totius corporis. Non omnibus æqualiter in numero, substantia, & duratione, sed prout disponit Deus ad purgationem passiuam omnium sensuum externorum.

In aliquibus permittit Diabolo diuina prouidentia grauissimam tentationem, de qua agit B. Angela de Fulgino dicens de seipsa: *In locis verecundiis tantus est ignis, quod consueui apponere ignem materialem ad extinguendum illum ignem concupiscentiæ, donec confessor mihi prohibuit.* *Ca. 12. suæ Vit.* Expertus fuit Sanct. P. N. Franciscus, quan-

quando in niuem, & rubum nudus se proiecit, & S. Benedictus in vepres. Alia magna lege in lib. mulieris fortis, aliàs Mariæ de Vella, 1. p. 2. & 3. per multa capita. Solum experientia credere potest etiam in puris virginibus Deo sacratis. Addens inimicus malitiam ad malitiam, solet post hæc immittere suggestiones, vt credant se esse prægnatas, quia se ntiunt accidentia, & signa prægnantium, vt sunt stomachi, & ventri intumescentis; vt sic turbet earum mentes. Deus autem permittit, vt vir spiritualis semper paratus sit ad militiam, & laborem tentationũ, secundum illud: *Accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.* Nõ dicit ad requiem, sed ad tentationem. *Eccl. c. 2*

In hoc statu quandoque videtur menti derelictum esse hominẽ à Deo absque auxilio diuino, præualuisseque inimicum Iob: *Dissipauerunt* (maligni spiritus ex Gregorio) *itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium.* Hæc est afflictio maxima animæ diligentis Deum, propter quod cruciatur, & licèt ad modicum sit, vt constat ex Isaia: *Ad punctum in modico dereliqui te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te;* tamen longum tempus existimat. Optimè Gregorius: *Plerumque iusti tribulatione depræhensi tardam manum subuenientis æstimant, cùm se per sequentium immanitas paulò longiùs angustat. Et concita quidem sunt ereptoris remedia, sed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolenti tardum videtur.* Ideo dixit Iob: *Et non fuit qui ferret auxilium.* In hac voce, ipsa vis passionis exprimitur, quia supernum auxilium, & si adest, deesse tamen creditur, quantum ad concita vota pacientis. Paciantur ergo humiliter suam purgationem, scientes, quòd si ad modicum derelinquuntur à Deo, in misericordia sempiterna misertus est eorum, & in miserationibus magnis congregabit eos, quia non derelinquit, quos amat, & illum quærunt. *Iob. c. 30.* *Isai. 54.* *S. Greg. Magn. lib. 20. mor. c. 19.*

Et quia aliquando permittit Deus tentationes diabolicas externas, non propter aliqua peccata iusti; sed ad maius meritum ipsius, & exemplum aliorum. Loquitur Deus ad Diabolum: *Iob. c. 1.* *Tu autem commonuisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* Mouet dubitationem Gregorius, quomodo possit dici Deum afflixisse Iob frustra, cum sit ipse Deus iustus, & verax, & respondit: Actum est, vt vires eius cunctis immittandas, ipsa vis percussionis ostenderet, & flagella proderent, quod in tranquillitate latuissent. Eisdem flagellis creuit virtus pacientiæ, atque ex dolore verberis, aucta est gloria remuneratoris. Concludit: *Beatus Iob, & non frustra percutitur, quia augetur meritum: & tamen frustra percutitur, quia nullum punitur admissum. Frustra enim percussus est, cui culpa nulla reciditur, & non frustra percussus est, cui virtutis meritum cumulatur.* *S. Greg. Magn. lib. 3. mor. c. 2.*

Amplius Gregorius cap. 3 ad solatium afflictorum à Dæmone notat, iustum esse in manu Domini ad protegendum, ne succumbat intentationibus, iuxtà illud: *Non rapiet eas quisquam de manu mea*: & esse in manu Diaboli solum ad exercitium maioris meriti, secundum illud: Dixit Dominus ad Satham: *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua. In ipsa ergo* (inquit) *iustitia permissionis permiscetur quædam libra pietatis: quatenus in vno eodemque certamine, & seruus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat.* Et paulò infrà: *Verum tamen animam illius serua*; patenter priùs adiutor innotuit: quia tenuit quem concessit, & dando non dedit, quem aduersari sui iaculis eiiciens abscondit. *S. Greg. ibi.* *Ioan. c. 10* *Iob. c. 1.*

Audiamus Bernardum aientem: iucundum iudicium, vt superbus ille humiliũ malleator, iisdem ipsis nesciens fabricet coronas perpetuas, impugnãdo omnes, & omnibus succumbendo. Siquidem vbique, & semper iudicabit Dominus populos suos, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Vbique, & semper defensabit suos, propulsabit nocentes, & tollet virgam peccatorum desuper sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Eritque tandem cùm ex toto arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Hæc Bernardus. Sic Diabolus facit volunta- *S. Ber. ser. 17. in Cant.* *Ps. 44*

tem diuinam contra suam deprauatã, & Deus suam. Leg. Ricardum.

CAPVT VIII

De tentationibus Diaboli internis.

ANte primum peccatũ non erat permissum Dæmoni tentare hominẽ tentationibus internis, quia teste D. Thoma: *Diabolus minimum potestatis habebat in homine ante peccatum: & ideò non potuit eum interiori suggestione, sed solum exteriori tentare.* Erat tũc Primus parẽs spirituali mẽte prædi tus. Ideò tentatio fuit per serpentem symbolum concupiscentiæ, & per mulierem, in qua significatur pars inferior hominis. At post peccatum comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, & ideò maiorem potestatem Deus permisit, vt tentare possit suggestionibus internis per sensibiles species. Conueniunt tamen PP. non posse immutare immediatè animã per aliquas species. Ratio est, quia solũ ei permittitur tẽtare secũdũ modũ naturalẽ animæ pro hoc statu in corpore degẽte; & cùm hic modus sit medijs sensibus, ideo per illos solos operari potest. Vndè relinquitur, vt fit per sensus externos, de quo cap. præcedẽti, vel per imaginationẽ, & phãtasiã; supra quã multa facit, vt dicemus.

S.Th.2.2. q.165. art. 2. ad secun.

Hinc Bern. ait: illud autem scitote, nullũ creatorũ spirituum per se nostris mentibus applicari, vt videlicet nullo mediãte nostri, siue corporis instrumẽto, ita nobis immisceatur, & infundatur, quos eius participatione docti, siue doctiores, vel boni, siue meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarũ hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Cõcluditque: *Seque stretur proindè prærogatiua hæc summo, atque in circunscripto spiritui, qui solus cũ docet hominẽ instrumentũ, non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infũditur, per se innotescit, purus capitur à puris. Solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotẽti voluntate sufficiens.*

S. Ber. ser. 5 in Cant.

In primis diabolus tẽtat immitendo turpissimas imaginationes, quãdoq; subitas, ita quòd ante deliberationẽ mẽtẽ præoccupat; & quasi in instãti repræsentãtur substantia, & circũstantiæ libidinosæ, ita vt si homo vellet per se per aliquod tẽpus formare, non possit, & hoc est signũ, tentationẽ diabolicã esse. Sæpè propter hoc sacra pagina vocat tẽtatores dæmones aues, quia tãquã auis veniũt velociter, subito, & improuisè. Vndè conquæritur Propheta dicẽs: *Posuerũt morticinia sanctorũ tuorũ escas volatilibus cœli.* Sæpè autẽ tam in tãta festinatione mens in turpes imagines inuoluitur: vt priusquã aliquid indè deliberare possit, in delectationẽ rapitur, patiturque homo inordinatus motus sensuales, vsque ad effusionẽ venereã cũ maxima delectatione. Fatentur experti; & aliqui dicũt maiorẽ esse, ac est coniugatorum in vsu matrimonij licito. Fit hoc astutia diaboli applicantis actiua passiuis ad talem delectationem sentiendam.

Psalm. 78

Huiusce modi motus inordinati cõtra rationẽ inueniuntur in homine post peccatũ, quia teste vniuersa Theologia vnus ex iustitiæ originalis effectibus, erat subiectio appetitus ad voluntatẽ rectæ rationi conformẽ, vndè sensualitas erat etiã cõformis rationi, ita quòd nulla carnis desideria rationi deformia fuissent subsecuta. Tostatus in illa verba: *Erat autẽ vterque nudus Adã, & Eua, & nõ erubescebãt*, inquit: *Dicendũ ergo, quòd nõ erubescere nõ erat propter ignorantiã, sed ex conditione status; quia in statu originalis iustitiæ non erat aliquis motus deordinatus mẽbri, propter quẽ erubescerent; quia talis pertinebat ad pœnalitatẽ, ideò nũquam fuit, quo vsque peccassent.* Lege ipsum in c. 3. Gen q. 417 vbi rationes dat ex sacra Scriptura. Hac de causa fecerũt sibi perizomata de folijs fici: *Quid indicant* (ait Augustinus) *folia fici, quibus non Deo auctore, sed peccato, pudenda mẽbra texerunt, nisi quendã pruritũ libidinis turpẽ, ex quo secuta est carnis tẽtatio.*

Gen c. 2. Tost. ibi. q. 29.

S. Aug. in Hiponomic

Hunc lachrymabilẽ primæ prævaricationis statũ viuacius describit Paulus, inquiens; *Scimus enim quia lex spiritualis est, Ego autẽ carnalis sum, venũdatus sub peccato.* Quasi obitus animæ & spiritus, à carne totã suã accipit denominationẽ. Sic exponit Chrysostomus: *Vna enim cũ morte, & affectuũ turba intrauit, cùm enim corpus mortale effectũ est, tum denique necessariò admisit concupiscentiã, iracundiam, &c.* Totus itaque quasi carnalis factus est propter carnis motus. Cõsonat glossa: *Non indecenter* (ait) *hoc etiã de se ipso dicit Apostolus, secundum carnem quamdiu hic viuit propter carnis motus. Et hoc benè dicit omnis sanctus.* Idem denotant illa verba: venundatus sub peccato, scilicèt primorũ parentũ, per quos genus humanũ incurrit re-

Ad Ro. c. 7

S. Chry hom 13 c. 7. ad Roma.

Gloss. ordinar.

Nicol. de Lyr.

rebellione carnis aduersus spiritum. sic Lyra N. Quod autem venditur, ementi, traditur velut domino, & in illius redigitur seruitutem, & dominium, eo modo quo traditur, & venditur. Per peccatum venundatus fuit Adam, & omnes alios vendidit,

Hos motus patitur anima sæpè contra suam voluntatem, nec reprimere valet, quia inter partes corporis, nulla est, quæ ita repugnet imperio voluntatis, sicut pars venerea propter concupiscentiam illius fortem; alias namque partes mouet homo, & regit principatu dispotico, idest, liberali, vt sunt pes, manus, &c. partes autem venereas, nō qualiter vult, sed qualiter potest rogando, & suadendo. Lege Ricard. Victor. Beniam. maio. lib. 2. capit. 17. p. 1. Multò minus valet voluntas supra delectationes consecutas ex motibus inordinatis, nam hæ sunt effectus naturales, & necessarij ex ipsa natura; quas patitur vir spiritualis, vellit, nollit propter coniunctionem animæ cum corpore in memoriam primæ præuaricationis, licèt verecundè. Vndè dicit Cluniacensis: *Vult Damascenus, quòd spina rosæ coniuncta, sit insignum, & memoriam præuaricationis primæ, eo quod verecundus, pruritas conscientiam pungens, voluptati, & delectationi coniunctus sit.*

Cluniac. ser. 1. de concept.

Huiuscemodi motus, & rebellio carnis contra rationem in via ista purgatiua sunt militum Christi colluctatio, quia vellatores sunt virtutum, & debellatores vitiorum. Pulchrè dicit Augustinus: *Non expugnat concupiscentia malum, nisi continentia bonum.* Qui legem Dei nesciunt, malas concupiscentias, nec in hostibus deputant, eiusque miserabili cæcitate seruientes, insuper etiam beatos se putant satiendo eas, potius quàm dominando. Audi magnum Paulum bellatorem virtutum de se loquentem, vbi suprà: *Mente seruio legi Dei; carne autem legi peccati.* Sic commētatur Augustinus relatus: *Quomodo carne legi peccati. Nunquid concupiscentiæ consentiendo carnali? Absit. Sed motus desideriorum illic habendo, quos habere nolebat, & tandem habebat, sed eis non consentiendo, mente seruiebat legi Dei, & tenebat membra ne fierent arma peccati.* Cōsolentur ergo cū Apostolo, & sicut ille operatus est bellādo virtutes, & debellando vitia, operentur, & ipsi. Tunc dicere possunt cum eodem Paulo: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Iterum Augustinus: *Vbi enim (ait) non ego, ibi fælicius ego, vt quando secundum Dominum reprobus vllus motus exurgit, cui non consentit, qui menti Dei seruit, dicat etiam illud: iam non ego operor illud.*

D. Aug. li. de continent. c. 2. to. 4.

Sciant tentationem carnalem non esse peccatum, nisi sit consensus voluntarius, nec motus inordinati, nec delectationes, licèt eis videatur animā possessam esse violenter ab illis, & captam; quod prouenit, quia intellectus obscurus est, & quia sentiunt motus, & delectationes, non ita resistentiam voluntatis, eo quòd manu tenentia diuina secreta est, vt patiantur. Ricardus explicans illud Dauid: *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes*, inquit: *fortes proculdubio tunc irruerunt, quando violentæ tentationes animam opprimunt, & corruptionis suæ ruinam violenter impellunt, vt veraciter possit dicere, Domine vim patior, responde pro me. Et forte animam iam captam, sed necdum tamen spiritum tenēt: quando mentem hominis iam per prauam delectationem, necdum tamen per prauitatis consensum possident.* Hoc locum habet siue tentatio, & motus inordinati proueniant à principio intrinseco, scilicet, à rebellione carnis, vel ab extrinseco, nēpè, à Dæmone per suggestionem media imaginatione, vel omnino suggestione extrinseca, vt videmus in Christo tentato in deserto à Diabolo ad gulam, & inanem gloriam, quæ tētatio extrinseca solum fuit, quia integram perfectionē Iesu dedecebat habere intra cogitationes, aut phantasias aduersus spiritum, quod quidem graues Doctores concedunt B. Virgini, quæ passa est maximas tentationes ab extrinseco ad maiorem coronam, eo quod multa habuit, in quibus tentata fuit, licèt non habuerit in carne rebellionem.

Ric. Vict. in Ps. 90.

CA-

CAPVT IX.

Prosequitur tentatio sensualis carnis.

NOn grauor extensius agere de ista tentatione, quia satis necessarium est ad solatium illorum, qui similiigne purgantur, experiunturque illud Sapientiæ: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena in habitatio deprimit sensum multa cogitantẽ.* Ratio periclitatur hoc pondere corporis in tentationibus carnis; & teste Bernardo: *Infirmitas carnis ex vitio primæ originis sæpe offendit, sæpe cadit, sæpe lædit grauiter, & læditur mente interius dolente, & patiente potius quam agente, quod perperam foris geritur, nec tamen charitatem perdente: sed charitate gemente, & clamante ad Deum: infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Vnde dicit Apostolus: Ego seruio legi Dei, carne autem legi peccati.*

Sapient. 9

D Ber. de dignita. & nat. amor. diuin c. 6.

Rom. 7.

Cæterum licèt hoc verum sit, iudicant hi tribulati consentire, quia sentiunt turpissimos motus, &c. dicuntque graui er peccasse. Falluntur, quia sentire tentationem, non est consentire. Illud est effectus naturæ, illud effectus voluntatis. Aliud nãque est, quod animus detestatione carnis patitur, aliud verò quod obligatur per delectationis consensum. Plerumque enim cogitatione praua pulsatur, sed resistit; sic cogitatio immunda nequaquã inquinat, cum pulsat, sed quando consensus tribuitur à voluntate. Hinc prædicator gentiũ dicit: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Humana tẽtatio est, qua plerumque in cogitatione tangitur voluntas etiam nolente, quia vt non nũquã, & illicita ad animũ veniunt, hoc vtique in nobis metipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam verò Dæmoniaca est, & peccaminosa, & non humana tentatio, cùm ad hoc quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum animus adstringit.

1. Cor. 10.

Pro certo ergo habeat vir spiritualis non consentire, quia tentationem sensit, non solum in carne: sed in cogitatione praua, dummodo non cõsentiat voluntas; cùm tunc gemit et charitas (vt aiebat Bernardus) quia si gemit, viuit: *Itaque*, prosequitur melli fluus Doctor citatus) quisquis ille est, sicut dicit B. Ioannes secũdũ hoc quod natus est ex Deo, idest, secũdũ interioris hominis rationẽ, in tantũ non peccat, in quãtũ peccatum, quod corpus mortis foris operatur, odit potius quã approbat, semine spiritualis natiuitatis quo ex Deo natus est, cum interius cõseruante. Paulo infra: sic dicebat *B. Ioannes: omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Notãda vis verborum. Non, inquit, peccatũ facit, quod patiatur, potius quam facit, qui natus est ex Deo.* Hoc pacto non nocet flamma tentationis, sed sicut alii tres pueri in camino ignis ardentis illæsus euadit; in cuius figura fertur in Exodo, rubũ quem viderat Moyses vnde quãque ig ne superfusum, non vri, quia in medio eius erat Deus. Optimè ait S. Bernardinus: *Nota quod tentatio est vita hominis super terram: nam mortuus non intelligit tribulationes, sed viuus illas sentit: vndè sentiens tribulationes, viuus est.* Bonum ergo est sentire tentationes carnis, & illis grabatus animus gemere, quia signum est charitate viuere, & quia sic debellator est alterius tentationis diabolicæ, de qua agit Gerson, dicens: *Nonnunquam gratis de carnis voluptate cogitationes menti offert aduersarius, dicens non esse periculosum illis (dummodo consensus absit) immorari paululum: atque hoc modo in tantum hominem succendit, & inflammat, vt eas à se vix excutere possit. Itaque nihil est salubrius, quam illis initio intercludere additum.*

1. Ioan. 3. & 5.

1. Ioan. 3.

S Bernardin. Senes. ser. 5. Sabbati post ciner. c. 3.

Gers. tra. de diuers. tent. Diabol p. 3.

Adhuc isti non acquiescunt his veritatibus, quia propter pressuram tẽtationum, & intellectum obtenebratum iudicant, non solum sentire tentationem carnis, sed etiam consentire, quia vident quoddã velle circa huiusce modi oblectationes, quòd si clarè inspiciatur tale velle non est voluntatis, sed naturæ. Optimè Gerson dicit, ac probat sic: duplex enim voluntas est in homine, siue duplex lex: sicut dicit Apostolus: lex carnis, & lex spiritus. Vndè idẽ Apostolus dicit se concupiscere secundum legem carnis, & carnaliter delectari contra spiritus voluntatem. Sed quia illud quod concupiscebar, nolebat: & contra voluntatem

Gers. de remedi. pusillamini in princip. tract. p. 3.

hoc faciebat: imò, vt magis propriè loquamur, non faciebat illud: sed magis patiebatur, ideo dicebat: Ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatū. Hinc addit consolationē, & quid faciendū est ex nobis cū diuina gratia, vt non imputetur peccatū: itaque qui cumque tentaris carnali concupiscentia, desperatione, ira, rancore, inuidia, aut aliquo alio peccato: quādiu ratio tua non vult huiusmodi, sed vt potest reluctatur, & libenter exonerari velle ab impugnatione tam pestifera: non tu agis illud, sed magis videris pati. Vndè nec iudicaueris secundum huiusmodi peccati sensum, sed secundum rationis, & voluntatis consensum.

Et quid mirum si duplex in homine reperiatur voluntas, quarum velit vna, & altera quodammodo nolit, cū, & in ipso Redemptore nostro duplicē quoque fuisse voluntatem: vnam qua voluit calicem passionis à se transferre, & aliam, qua iuxtà Dei patris voluntatem voluit pati. Itaque vt non te deijciat voluntas sensualitatis, adhæreat fideliter Deo voluntas spiritus, & rationis in te. Tene super hoc exemplum mulieris nequam, quàm numquam cogere ad hoc voluit vir suus vt taceret: nam proiecta in scenum, siue lutum, & quasi tota inde cooperta, & conclusa inquireretur à viro, an tunc silere, conuersa ad eum voce procaci, prout poterat, respondit: non adhuc sileo. Ita ergo, & tu cum totus inuolutus luto fueris tentationis: noli credere, neque victum te reddere, sed corde, & ore clama contra impugnantes te tentationes, & dic: adhuc non sileo adhærendo Domino meo Deo, & retinebis innocētiam, sicut mala illa mulier retinuit suam nequitiam. Sic ille. Nihil potui ommittere ad propositum.

Matth. 26. Hug. de S. Vict. erudit. Theolog. de quat. volunta tib. Christ. tom. 3. Ipse Christus in agonia constitus dixit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Vbi Hugo: spiritus promptus erat per voluntatem rationis dispositionem diuinæ voluntatis in passione carnis suæ sequendo. Caro infirma per naturalem prouidētiam, quā malum suum odire acceperat, passioni renitendo. Addit: *Secundum volun tatem carnis, secundum quam naturaliter in quantum homo, eandem carnem suam quia odio non habuit, pati nolebat. Neque in hoc tamen diuinæ voluntati contrarius fuit; quia, & in hoc ipsum quod noluit eum nolle, diuina voluntas facit.* Liceat (quāuis improportione infinita) ad nos applicare. Voluntas carnis nostræ non se odit, imo, & amat, & naturaliter, quod suum est operatur, & ideo inclinatur ad actus venereos, ad quos impellit tentatio, & in hoc fit voluntas diuina ad purgationem animæ desolatæ. Sit ergo spiritus promptus obediendo Deo, licèt caro infirma sit; iudicans in hoc nullum esse peccatum, quia malum est pœnæ, & naturæ, non verò culpæ, & voluntatis, dum nō consentiat, licèt sentiat voluntatem carnis; sic namque non operatur spiritus, sed caro.

Celebris est textus Apostoli: *Quod enim operor* (ait) *non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.* Rom. 7. Mirabile est facere malum, quod odit: nam odium est fuga alicuius mali facere, est prosecutio; atque adeo non compatiuntur circa idem obiectum. Optimè explicat Nicolaus de Lyra, dicens: quod operor sensualitatem sequens; non intelligo: id est, non intus lego consonans esse dictamini legis naturalis, sed magis contrarians. Nicol. de Lyr. ibi. Non enim quod volo bonum, secundum rationis dictamen; hoc ago: impeditus sensualitatis impulsu Sed quod odi malū, secundū rectā rationem: illud facio tractus per sensualitatem: cōsentio legi, quoniam bona est; quia prohibet illud, quod est odibile, secundum dictamē rationis rectæ. Nūc autem iam non ego operor illud: quia non operor illud secundum quod homo, sed secundum quod brutum; sed quod habitat in me peccatum: idest, concupiscentia, quæ dicitur peccatum, quia impellit ad peccandum. Satis abundè ad rem Lyra. Non peccasse Paulum ratione Theologica probat Chrysostomus his verbis: *Vides tum animæ, tum carnis naturam criminibus liberans, omnem culpam in sceleratam transtulit actionem.* D. Chrys. hom. 13. ad Rom. 7 Nam si anima à malo abhorret, liberata illa est: *Et si id minimè perpetrat, liberatur, & corpus ac quæcumque culpa esse potest, ea omnis volun atis est.*

Verùtamen est, qui sentit dictam tentationem manet anceps, an consentiat voluntas, an non. At nolit magis scire quàm Apostolus raptus vsque ad tertium cœlum, sufficit, si sit sicut ip-

ipse; intelligens ex parte quòd operatur, & ex parte nō intelligens, obseruat S. Bernardus relata verba Pauli: *Quod enim operor, nō intelligo.* Exclamat sic: *O singulare Sancti spiritus organum, si non intelligis quòd operaris, cur alio loco dicis? Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ? tuam gloriam, tuam conscientiam vocas. Sed ex parte intelligit: negligit planè, quia suum supergressus est iudicium: Sed citra iudicium Dei retinetur; vbi proculdubio nescit quid operatur.* Intelligat ita vir spiritualis ex parte non consentire, eo quòd grauatur tentatione, ac desiderat exonerari illa, & gemit charitas, & retineatur citra iudicium Dei, nesciens quid operatur. Lege N. Harphium.

S. Bern. li. de conc. in proleg.

Tunc tentatio est sicut latratus canis, qui molestus est viatoribus, magis latratu, quàm morsu. Latratus quidem molesti sunt, & valent ad custodiam, & cautelam, nam interdum pro nobis latrant, & non contra nos, Deo ita dispensante, vt cautè ambulemus, & ad vigilandum excitemur, ne ob securitatem obdormiamus in morte peccati. Quòd si canes latrant circa domū, numquid ideò non in pace custoditur domus? Legimus in vita mulieris fortis, aliàs D. Mariæ de Vela, habuisse huiusce modi visionem post graues tentationes carnis: cum altera die cogitare de tempestate malorum, quæ fuerat passa, in qua dam extasi monstrauit Dominus, quàm aliena erat eius anima à culpa, & quanta emolumenta adducunt similes tentationes. Vidit formosissimum montem, quem radijs solis attingebant, cuius luce, ac virtute omnes lapides mōtis in preciosissimos lapides conuertebantur; & quòd de vnoquoque tantus splendor oriebatur, vt ad se raperet animæ oculos. Quòd quidem admiratione extatica aspiciens, prospexit in inferiori parte montis vallem, in quo erant tonitrua, tempestates, & obscura grandinis pluuia. Cui Dominus indicauit, quòd ille mons erat eius anima, & lapides, plures virtutes, quas diuinæ gratiæ sol operabatur, & in ea perficiebat. Ac denique reuelauit vallem illum esse partem inferiorem animalem, quæ patiebatur tot, tantisque tentationibus. Significatis in tempestate, tonitrua, &c.

Henr. Harph. li. 2. myst. Theol. p. 3. c. 49.

3. p. c. 26.

Felix ergo anima, quæ peccatum sentiens, peccato non consentit: quam, & si cogitatio inquinat, ratio lauat pugnans; & repugnans legi peccati, Molesta lucta est, sed fructuosa, quia, & si pœnam habet, adhibet, & coronam: imo quod sentientem fatigat, vincentem coronat. Illam Dominus ore proprio prædicat, & prædicit: *Vos estis* (inquit) *qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Illā Dominus potat vino compunctionis, ostendens ei viam duram; quòd si tempore sensibilis gratiæ experitur, quoniam suauis est Dominus; tempore desolationis, & tentationis quoniam Dominus fortis est. Fortis planè, & potēs in prælio, in quo seruum suum, & si premi, non tamen opprimi patitur in multitudine protectionis misericordiæ suæ. Ac proindè anima habebit præmium duplex, vbi non tentata præmium habitura est simplex. Et quantò plus sentit peccati fatigationem: tantò amplius non consentiens, consequetur peccati purgationem in hac vita, ac in futura gloriosius coronabitur.

CAPVT X.

Aliæ tentationes viæ purgatiuæ.

EX substractione deuotionis, aliquando Tyrones vitæ spiritualis tentantur ex difficultate benè operandi, habent voluntatem bonam, at non possunt, sicut volunt; indè affliguntur indiscretè ex dolore tardi profectus, & desiderio vitæ sanctioris. Incidunt in magnam tristitiam; sicque versi in torporem ambulant tristes in vijs Domini: longos dies, & longas conqueruntur noctes. Quidam horror terret eos, cùm cogitant de profectu spirituali. Hinc oritur alia grauis tentatio, scilicet, fastidij, quia fastidit anima omne bonum, tædet eam orare, legere, & meditare, ac virtutes exercere, iuxtà illud Prophetæ: *Omnem escā abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsq; ad portas mortis.* Deniq; multoties sequitur alia grauissima tentatio impaciēntiæ cōtra Deū, quare tā durus, & immisericors sit tribulato, quare tā parcus in tribuēdo egeno gratiā, & tā anxiè petēti, & tā importunè

pulsanti. Quę tentatio quandoque tam valida est, quod quasi insanit homo, & palpitat ex vehementi mærore, & audet dicere Deo: *Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.*

Iob.c. 30.

Qui in huiuscemodi agone constituti sunt à Deo, solatium sumant ex D. Paulo de se dicente: *Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio.* Hoc namque prouenit ex molestia operandi bonum, & insidijs peccatorum. Audi Chrysostomum explicantem eundem locum: *Hic rursus cum dicit, non reperio ignorantiam non fatetur, neque dubitationem, sed molestiam quanda, & insidias peccati, &c.* Quisquis tu es in statu desolationis ora Deum humili corde, & dic: vsquequo Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor vim patiens, & nō saluabis? vsquequo Domine obliuisceris in finē; vsquequo auertis faciem tuam à me? Exurge quare obdormis? exurge, & nō repellas in finem. Ne diffidas, nec virtutes respicias tanquam gigantes; nec timeas desperando magis ex pauiditate, quā ex humilitate. Procerto scito, quod illi perfecti sunt, qui impugna tentationis, & in exercitio virtutis infatigabiliter cōstantes fuerunt in pugna, resistendo malis: & in exercitio insistendo bonis vsque in finem, licèt paulatim, imo, & multoties in perfecti. & impotentes ad magna. Benè D. Laurentius Iustinianus dixit hoc spectare ad diuinam sapientiam, his verbis: *Conantes, quod nequeunt agere, humiles, & ex ipsa eadem impotentia efficiuntur fortes, conualescunt de infirmitate, & de bello fortiores fiunt. Hoc diuinæ sapientiæ magisterum est, quæ virtutis defectum ad Sanctorum suorum facit militare profectum. Hoc de fonte æternæ charitatis noscitur emanere.*

Rom.c. 7.

S.Chrys. ibi hom. 13.

S.Lau.Iust de cast con nub.c 7.

Altera grauis tentatio est à Diabolo, qui persuadere nititur Deum excedere in permissione tentationum, vt anima in ipsum Deum superbiat per iniuriam. Cognouit tentationem istam D Gregorius intentione diabolica in Missa Iob, illis verbis: *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, puerosque consumpsit.* Ac si diceret Iob: illius animaduersionē sustinēs, quem tot hostijs placare voluisti: illius iram toleras, cui quotidie seruiēs insudabas: *Dum enim* (inquit Gregorius) *Deum, cui seruierat, aduersa intulisse indicat, læsum commemorat, in quo excedat; quatenus anteacta obsequia ad mentem reduceret, & frustra se seruisse æstimans, in auctoris iniuriam superbiret.* In quo casu alia tentatio desperationis imbibitur; quia excludit omnem aditum consolationis, & spei animæ, eo quod inuitat Deum, in quo omne refugium, & virtus contra tentationes est, contrarium iniustè. Superantur, & vincuntur huiuscemodi tentationes sentiendo de Domino in bonitate, & humiliando se sub potenti manu eius, tolerando humilitèr diuinā permissionem, ac Deo seruiendo in cordis simplicitate.

Iob.c. 1.

S Greg. Magn. lib. 2. moc. c. 3

Alij tentantur occulta suggestione inducente, vt non accedant ad Sacram Eucharistiam ob reuerentiam, & timorē, vel quia minus deuoti se inueniūt; licèt aliàs sentiant non esse maculatos peccato mortali. Versuta tentatio palio humilitatis tecta, intendit animam priuare fortitudine, quam admirabile hoc Sacramentum tribuit ex opere operato, & gratia, eiusque auxilijs contra peccata mortalia oppugnantibus. Quid faciendum sit tunc disci ex D Bonauentura, dicente: salubre, & vtile est, quòd homo se ad illius medicamenti susceptionem præparet, & quanto deuotius valeat illud percipere studeat, & post receptionem in studio deuotionis se conseruet; sic enim erunt in maiori custodia vitæ suæ, & conscientiæ. Et licèt quandoque tepidè, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedat: quia si se indignum reputat, cogitet, quòd tantò magis æger necesse habet requirere medicum, quantò magis senserit se ægrotum. Non enim est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Nec ideò quæris te iungere Christo, vt tu eum sanctifices, sed vt tu sanctificeris ab illo. Nec propterea prætermittenda est sacra communio, si quandoque non sentit homo speciem deuotionis gratiam, cum se ad illam præparare studet, vel cum in ipsa perceptione, vel post, fortè minus deuotum se sentit, quam vellet. Hæc Seraphicus Doctor, satis efficatia, & euidentia.

S.Bon. de profect. relig. li. 2. c. 77. t. 2.

Matt.c. 9.

Communis tentatio esse solet incipientium indiscretè volentium proficere aliis in vita spirituali cum detrimēto proprio cōtra charitatē benè ordi-

dinata: Cùm enim habeant debiles virtutes, se ingerunt celo charitatis, cum proximis loquendo de Deo; dandoque consilio, & docendo quomodò seruire debeant suo creatori, sicque distrahuntur, & paulatim perdunt dona supernaturalia; deuotionē orationis; fiuntque vani, & exteriores. Audi Bernardum explicātem, illa verba: *Oleum effusum nomen tuum.* Quod tuum est (. it) spargis, & perdis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere contra legē arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens. Concludit consilio optimo: *Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penè simul, & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat sciēs maledictum, qui partem suam facit deteriorem.* Benigna prudensque charitas affluere consueuit; non effluere: Laudantur virgines prudentes in Euangelio, negantes oleum fatuis: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis: ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Quòd si charitas non quærit, quæ sua sunt, profectò quia nō desunt sibi, & quis quærit, quæ habet? Seruat sibi quantum sufficiat; vt nulli deficiat. Alioquin si plena non est; perfecta non est. Lege S. Bonauent. de sept. don. Spirit. S. cap. 1. de don. piet. to. 2. Ricard Victor in Cant. c. 8. S. Greg. Magn. lib. 28. in Iob cap. 6. & lib. 30. cap. 14.

S. Ber. ser. 18. in Cāt.

Deut. 25.

Matt. 25.

Canales multos habemus in domo Dei, conchas autem paucas. Tantæ charitatis sunt, per quos alijs fluenta cęlestia emanant, vt antè effundere, quam infundi vellint, loqui, quam audire cum Maria ad pedes Christi paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, & alijs pręesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt: Ignorant pœnitentiæ laborem, deuotionem, studium orationis, & ocium contemplationis. Insipidi cùm sint diuinæ consolationis, & inexperti diuinorum garruli fiunt. Omne tempus consumunt, nunc scurrilia loquendo, nunc per tractando inania, ocio tabescunt, silētium non custodiunt, disciplinæ morum subesse non patiuntur, anxietate laborant, & absque vlla requie perseuerāt. Nunc ista, nunc quærunt illa, & tanquam profugi super terram, & instabiles noua semper meditantur adinuenire oblectamenta creaturarum, cùm hæc verissima sint de viris, quid erit de mulieribus, quas vulgus beatas vocat, de quibus Apostolus: *Docere autem mulieri non permitto?* Discant ergo cum Dauid, prius infundi, quàm effundere: *Sicut adipe, & pinguedine* (inquit) *repleatur anima, & labijs exultationis laudabit os meum.* Non solum infundi volebat, sed repleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oscitaret de vacuitate, & vanitate. Ideo docet Paulus: *Debemus intendere his, quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus.* Sufficit diligere proximos suos, sicut semetipsos ordine charitatis per Christum promulgatæ. Diliges proximū tuū sicut temetipsum, inquit Euangelium.

1. ad Thimot. cap. 2.

Psalm. 101.

Heb. ca. 2.

CAPVT XI.

De alijs tentationibus huius vitæ.

VArijs modis purgat Deus seruos suos ad maius eorum meritum. Tentantur aliquando graui tentatione fratrum, iuxtà illud: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Sentiunt malè de bonis operibus iustorū; murmurant, & sinistra intentione cōdemnant absque charitate Dei. Ideò anima illa sponsa Christi vocat eos filios matris suæ, sed non Patris, quia non habent patrem Deum, quem offendunt. Sicque periculum est in falsis fratribus, vt aiebat Paulus de se. Idem accidit cum alijs domesticis; quia inimici hominis domestici eius. Hæc est grauis tentatio, eo quod magis sentitur, & durius toleratur. Habemus exempla in sacra pagina: *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Et: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò homo vnanimis, dux meus; & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Ac si diceret. Hoc quod à te patior conuiua, & contubernali meo; id molestius sentio, fero ægrius. Cognouit hoc diabolus quando non potens vincere Iob, tot, tantisque tentationibus incitauit eius mulierem, quasi fortiorem ad tentandum, vt domesticam, & viro suo proximam, veluti notauit Sanct. Gregorius dicens: *Cor-*

Matth. 5.

Psalm. 39.

Psalm. 54.

S. Gregor. Magn. lib. 3. in Iob. c. 6.

mulieris tenuit, & quasi scalam, qua ad cor viri ascendere potuisset, inuenit.

Astuta, & diabolica ista tentatio est. Calidus namque aduersarius, cùm à virorum spiritualium cordibus reppelli se conspicit, vidensque seruitio Dei esse mancipatos, eos, qui ab illis valdè diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiens loquitur, qui plus cæteris amãtur: vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrũpat. Spectare ad diuinam iustitiam permittere viros sanctos à pessimis conculcari, docet D. Dionysius, dans rationem: *Itaque* (ait) *Hoc verè dici potest, diuinæ iustitiæ magis congruere, vt nũquã patiatur proborũ virorũ, virile robur rerũ materialiũ largitionibus eneruari atque emolliri; quin potius, si quis id tentauerit, diuinis auxiliis suffultos in præclaro illo, & inconcusso statu solidare, nec non perseuerantes pro merito remunerari.* Felix iste inconcussus status, quia terrenarum rerum titillationi minimè cedit, neque propter tentationes creaturarum ad temporalia inflectitur. Sagittæ acutæ potentium debilitantur, & spiritus iusti roborarur, & fortior efficitur diuina assistente protectione. Et quid mirum hoste debilitato fortiorem euadere.

S. Dionys. Areop. c. 8 de diui. nomin.

Grauis tentatio hominum malorum, grauior autem bonorum. Sententia grauis est D. Gregorij. Boni erant amici Iob, qui ad consolandum eum venerant, quia iustus non habet amicos intimos peccatores. Recta intẽtione increpuerunt pacientem, quæ increpatio grauissima tentatio fuit inducẽs ad desperationem. Hac de causa Iob suas virtutes narrat, dicens: *Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam diligentissimè inuestigabam.* Non operatur contra illud: *Attendite, ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus, videte ne quis sciat.* Sed teste Gregorio, quia compellatio ad desperationem impellebat, atque sic ad spem recurreret ex bonis suis operibus: *Nam inter tot dolores, & verba desperationis, cùm bona quæ fecit narrat, quasi collapsum verbis, & verberibus ad spem animum reformat. Dicat ergo, bona quæ fecit, vt non cogatur inter tot mala de se desperare, quæ audit.* Apertè cognoscitur grauitas istius tentationis, siquidem non legimus in aliis quas passus est, ad sua bona periculo iactantiæ, & vanæ gloriæ recurrisse. Consonat Ricardus. Lege Henr. Harph. lib. 2. myst. Theolog. cap. 12. p. 1.

Iob. ca. 29.
Mat ca 6.
Mat. ca. 9.
S. Gregor. Magn. lib. 19. in Iob. cap. 14.
Ric. Victor. tr. 3. de exterm. mali ca. 5. p. 1.

Vtitur Deus, saltim permissiuè, creaturis ad humiliationem seruorũ suorum. Sciant ergo humiles esse in humiliatione sua. Multi namq; humiliantur, & humiles non sunt, quia cum rancore, & murmure, & inuiti operantur. Humilis autem est, qui in humiliatione, dicit cum Propheta: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Si sentit in corde, quod loquitur in ore: si orat pro persequentibus, & humiliantibus eum: si cum eodem dicere potest: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis.* Clarius explicatur. Aiebat Apostolus: *Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Optimè Bernardus: *Non dicit* (inquit) *patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quod humiliatur: nec sufficere omnino, vt possideat animam suam tanquam patiẽter humiliatus; nisi, & gratiam accipiat tanquam spontè humiliatus.*

Psal. 118.
Psalm. 7.
2. Cor. c. 12
S. Ber. ser. 34. in Cãt.

Aliquando etiam tentantur à diabolo timore prædestinationis, & argumẽtis de infallibilitate præscientiæ, & decretorum Dei, vt sic turbentur, vel vitam inceptam relinquant. Cõtra huiuscemodi tentationem plura scripsit S. Bonauentura. Aliqua eligo. Responde diabolo: Quidquid sit de me: te certum esse damnatum: sed si ego præscitus sum, & Deum non debeam habere post hanc vitam, tamen viribus laborabo, vt ipsum saltem habeam in præsenti, & ipsum possideam, quãtum possum: ne in vtroque statu caream tãto bono. Momentum temporis de cætero non dimittam, quin secundum meum posse fruar ipso. Quantumcumque me Deus præsciuerit scientia, constat mihi, quod seipsum negare nõ potest. Eum totis visceribus amplexabor, & ipsum stringens fortiter, etiam si aurora apparuerit, & non mihi benedixerit, non ipsum dimittam, & sine me recedere non valebit. Licitũ enim est mihi inferre ipsi violentiam in hac parte, cùm ipse commendet illos, qui Regnum cœlorum rapiunt violenter. In cabernis vulnerum suorum me abscon-

S. Bon. 3. p. stim. amor. c. 13 to. 2.

condam, ibique quietus latitabo, nec extra se inuenire poterit, & expellere non decebit qui dicit: *Eum qui venit ad me, non eiciam foras.* Ad matris suæ pedes prouolutus stabo, & quod propter peccatores mater Dei facta sit implorabo. Nec repulsam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus prædicatur. Quidquid ergo de me futurum sit, à seruitio Dei mei non desistam. Hoc dic, & hoc fac confidenter.

Ioan ca. 6.

Quidam aguntur grauissimo spiritu vertiginis. Iuxtà sententiam S. Bernardini fit astutia diaboli. Cum hoc seducit rationem per ignorantiam operandorum, siue agendorũ. De quo Isaias, cap. 29. mysticè ait: *Miscuit Dominus in medio Aegypti spiritum vertiginis, & errare fecit eum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.* Itaque, *& vertigo nuncupata est* (ait Bernardinus) *vt mysticè innuatur, quod hic spiritus vertiginis confundit intellectũ hominis in operibus suis, ita vt ignoret quid agat, aut quid agere teneatur.* Vertigo secundum Isidorum, est, quotiescumque ventus surgit, & terram in circuitum mittit. Hispanicè remolino. Sic in vertice hominis arteriæ, & venæ ventositatem ex resoluta humectatione gignunt, & in oculis girum faciunt. Hinc laborantes hoc spiritu indigent Galeni medicamentis.

S Bern. Senens. serm. 23. de exercit. spirit. malign. ar. 1. c. 2. to. 3

S. Isidor. 4. Ethicor.

Deindè inimicus immittit homini, sic infirmo innumeros scrupulos reddens illius conscientiam dubiam, atque arctam miro modo: nequid boni audeat efficere, vtquè etiam crebrius delinquat: scit enim eum peccare, qui id facit quod pro certò consciẽtia malum iudicat, quamquam res in se nihil haberet mali. Facit etiam illud hostis ob alium deteriorem finem: vt, scilicet, talis qui deliquit, in desperationẽ delabatur iudicans se reprobatum à Deoque damnatum, quoniam tanta facilitate peccat: nec vllo pacto mandata eius adimplere valeat. Ita Gerson, qui alias tentationes diabolicas scribit.

Gers. tract. de diuers. tent. diab. p. 3.

Hinc horum conscientiam, nec frequens confessio, nec dolorosa contritio, nec rigorosa satisfacio pacificare potest: sed quotidie remanent, quasi vulnerati dormientes in sepulchris, semper trepidi, & nunquam securi. Nã ipsa scrupulositas ducit ad continuam cordis inquietudinem, quandamque melancolicam passionem, spiritum squalore corrodentem, & tabescere facientem. Et hoc propter modicam in Deo confidentiam. Repetunt generales confessiones desiderãtes quietem, & ad illam non peruenientes, dũ exercitium purgationis durat. Hi indigent magistro spirituali, docto, experto, & prudenti, cui obediant: aliter periculo si manent ad desperationis vitium, vel ad periculum cõsciẽtiæ erroneæ, de qua agunt theologi: atque incurrendi in varias dementias, vt esse excõmunicatos, hæreticos, &c. vt multi venerunt miserabiliter.

Notare tamen oportet, quòd aliquando scrupulositas ista ex duobus originem suam sumit. Primò, ex inordinato sui ipsius amore, qui timorem incutit. Secundò, ex remisso, & exiguo diuino amore, qui amor Dei perfectus foras mittit timorem, & confidẽtiam ingerit: à quo, qui deficit, & desipit, pusillanimitatem incurrit. Et hi tertio dono Spiritus Sancti scientiæ contrarij sunt, ex quo nobis profluit vera cognitio nostri, & discretio, quæ potissimum est ornamentum vitæ spiritualis, tàm in agendis, quàm in credendis, & qualiter vnumquodque ponderari debeat. Dimicent ergo cõtra amorem propium, insudent in amorem perfectum Dei, cum diuina gratia consequendum: aliter non possunt quieta contemplatione diuinorum perfrui.

CAPVT XII.

Concludit alias tentationes.

Mirabilis Deus in permissione tentationum, aliquando permittit tentationes carnis, vt sic purget animũ, à vitio ipsius carnis, in quo anteà voluntariè delectabatur. Ita intelligit D. Gregorius illa verba: *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcessere facit.* Lectus in sacra pagina, voluptatẽ carnis designat. Iuxtà illud *Surge, tolle grauatum tuũ & vade in domum tuam.* Sanatus iam portat, hoc est, tentationes voluptatis carnis, vbi in illis infirmus iacuerat. *Quia diuino adiutorio* (ait Gregorius) *ereptus à vitiis, eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cuius*

Iob. ca. 33.

Ioan. ca. 5.

S. Gregor. Magn. lib. 23. moral. c. 15.

prius

prius desideriis requiescebat.

Docent theologi omnes, vitium immediatè purgari, & expelli eius habitum per virtutem eius oppositam immediatè, v.g. habitus vitiosus infidelitatis per actus repetitos fidei. Cùm vero homo resistat tētationibus illis, exerget actus castitatis, qui immediatè opponuntur vitio luxuriæ, & ideò magis purgatur, ac purgaretur per alias virtutes mediatè oppositas. Ex sententia plurium PP. Ecclesiæ tentatione carnis agebatur Paulus dicens: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphicet.* Et petens à Deo, vt ei tolleretur, responsum accepit diuinum: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Perficitur virtus castitatis (ac si diceret Deus) immediatè, resistendo tentationibus carnis immediatè illi oppositis. Ideo addit Apostolus: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Et per consequens peractus castitatis immediatè expellitur habitus ei contrarius. Optima consolatio, si cum Paulo patiaris, & resistas cum Paulo, qui in reuelationibus nō gloriabatur, sed libentissimè in infirmitatibus suis. Quia si obscena, vt dulcia ante animam maculauerunt, iam vt amara dealbant, & tergunt.

2. Cor. ca. 12.

Nec diffidas, si per longum tempus affligeris, nam sæpè tam diuturna sunt tentationum certamina, quàm longa inchoantiū fuerunt blandimenta. Caue tamen ne in aliam tentationem incidas per defectum non sentiendi illā. Plerumque enim ipsi tentationum stimuli, dum in vsum veniunt, dilatantur, & non quidem acriores, sed longiores existunt. Minus dolent, sed magis inficiunt: quia dum menti diutius inhærent, tantò fiunt minus pauendi, quantò magis assueti. Nunquam itaque relaxetur animus, sed semper discretè pausidus existat, ne succumbat tentationi. Quod si Deus permittit diu vno vitio vexari; est, vt omnem eius vim, & naturam, & impugnationis modum plenè cognoscat. Hac de causa permittit nunc vno vitio tentari, nūc alio, atque vt de illis specialem victoriam consequatur; & experientia alijs prodesse possit. Lege Ricardum. Experientia namque magistra est rerum.

Ric. Victo. libr. 2. de erud. hom. inter. cap. 13. p. 1.

Multoties tamen diabolus desinit tentare, vt animus securus sit, ac improuidum posteà aggrediatur, vt vincat; sicut latro relinquit dormire dominum domus ad furandum. Semper verò vir spiritualis vigilare debet, quia nescit qua hora tentatio ventura sit. Sapienter dictum est: *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* Non dicit ad requiem, & ociū, sed ad tentationem. Mater enim negligentiæ solet esse securitas. Quam habere nequit vir spiritualis, quando quidem cursus vitæ spiritualis itineris nequaquam peragitur, sine puluere tentationis.

Eccl. ca. 2.

Sæpè etiam diabolus tentat per humilitatem coram hominibus, vt perdat principiantes, imò & perfectos, per superbiam. Christum aggressus est hacce tētatione, dicens: *Mitte te deorsum* Nō suggerit alta petere, sed descendere, quòd insinuat motum, seu nutum voluntarium. Sed hoc fieri petit in vrbe sancta, in frequentia populorū, intendens illum vincere per superbiā, eo quòd Angeli eum exciperent in manibus suis ruentem, & conseruarent illæsum, celebrareturque à populis, vt sanctus. At inimicus astutus victus remansit, ac confusus abiit. Plures tamen homines per humilitatem cadere, calidè fecit. Cognouit Chrysostomus dicens: *Ars profectò diabolica, vt sicut plures, eo quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inaniius ita, & quia se humiliauerunt: extolluntur.* Concludit ad nostram doctrinam, optima spirituali philosophia; *Humilis es, & cunctis abiectior: noli idcirco inflari: ideò enim te humilias, vt arrogantiam fugias; quod si per hac arrogantiam corruas; melius fuerat nō humiliari.*

D. Chrys. hom. 2. in Epistol. ad Philemo.

Alios etiam tentat, & decipit sub specie maioris boni. Diabolū m istum, vocat Bernardus meridianum, quia diem, & meridiem ad fallendum sesimulat, vt sic sub specie boni, pro bono, scilicet, malum in cauto, & improuido persuadat. Quoties (ait sanctus adducens exempla) suggessit anticipare vigilias, quoad solemnia fratrum illuderet dormitanti? Quoties produci ieiunia, vt diuinis obsequijs eo inutilē redderet, quo inuecillem? Quoties benè proficientibus in cenobijs inuidens, obtentu quasi maioris puritatis eremum petere persuasit, & cognouerunt

runt miseri, quàm verus sit sermo, quē frustrà elegerant: *Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet subleuantem?* Hæc ille, & alia scitu digna. Pro discernendo inimico illo transfigurato in fraudulentam lucem petebat amatrix anima, timens non seduci, diuinam lucem meridie: *Indica mihi vbi cubes in meridie.* Vide Hugonem. Tentatio hec maiorem locum habet in ijs qui singularia quærunt, ad quę naturaliter inclinantur, quia inimicus se accommodat naturis hominum, quas per experientiam, & scientiam cognouit.

Eccl. ca. 4. Hug. à S. Vict. lib. 2. de anim. c. 15.

Ex consuetudine prætereà præterita peccandi insurgunt etiam varię tētationes in principiantibus. Semper enim ad id quod reliquit, consuetudo reflectitur. More quidem fluminis desinentis in alueum hæc reperit, & quā dam necessitatis legem redeundi ad pristina suo imponit possessori. Gratia indigent non medio cri, qui inueteratas cupiunt, & volunt abolere mores. Laborent fideliter contra prauas præteritas consuetudines, tolerent iugum hoc graue, quia consequentur victoriā diuina gratia, quam Deus non denegat facienti, quod in se est.

Denique (vt alia omittamus) aguntur tentationibus varijs in conflictu vitiorum, & virtutum, inter se pugnantium. Superbia inducit, vt se reputēt omnibus maiores, humilitas, vt minores veluti puluerem, & cinerem. Inanis gloria vult omnia operari, vt ab hominibus sancti reputentur, timor Dei vt solum Deo, placeant contemnentes transitoria. Odium dicit: Odi quē in omnibus contrarium habes, & inimicum; dilectio respondit: In homine amanda est Dei imago, & homo renetur diligere inimicum suum ex euangelio. Sic de cæteris. Lege S. Bonauē turam. Hinc est, quòd mens viri spiritualis patitur graues difficultates, & tentationes, eo quod inuenit in regno suo, ac experitur tot contradictiones, tot rebelliones, tot discrepationes: secundum quod cogitationes cogitationibus contradicunt: affectiones affectionibus resistunt, & contrarij motus contrarijs motibus occurrunt. Insurgunt boni contra malos, & mali contra bonos, & diuiduntur contra se ipsos. At in hoc noli mirari, sed dimica contra motus vitiorum, noli terreri.

S. Bon. lib. 2. Pharet. cap. 25.

Etenim ille Deus fortis in prælio non venit mittere pacem in terram, sed gladium, & ignem, vt purgeris, & dispositus ad diuinam contemplationem fias.

Quod magis admirandū est reperiri tentationem in exercitio virtutum, inter quas fit magna contradictio, & vehemens disceptatio, v. g. aliud sæpè vult iustitia, aliud misericordia, & quod vna intendit, ab alia contradicitur. Non patitur sæpè iustitia culpam relaxari, sed ad plenum puniri: misericordia intendit ad totum indulgere. Vndè vnaquæque transgreditur sæpè possessionis suæ terminum, & molitur occupare alterius ius, & contra veram discretionem; non sinunt semetipsas operari. Prouenit similis contradictio ex ignorantia contracta per primum peccatum, propter quod manet omne caput languidum, nec ad plenū potest curari, donec mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem.

CAPVT XIII.

Remedia contra tentationes.

VSque modo visum est, quot pericula patitur vir spiritualis tempore desolationis, tot, tātisque tentationibus afflictus, & impeditus, nunc agēdum venit de remedijs, nam vt benè D. Bonauentura: ea diligentia debet quisque studere remedia animæ suæ perquirere, & sanandis spiritualibus morbis vitiorum iugulare, qui læthali morbo laborans medicum, qui eum curare posset, inquirere. Et tantò diligentius cura animabus curandis adhibenda est, quantò animarum morbus periculosior est, & cura difficilior, & sanitas præstantior animæ, quā corporis morituri. Huiuscemodi remedia varia assignantur à PP. & DD. quędam sunt specialia contra speciales tentationes, quædam verò contra omnes. Paulatim adducemus relinquendo, quæ dicta manent suprà referendo tentationes, vt abundent remedia, vbi abundant morbi, & pericula.

S. Bona. de Profect. relig. lib. 2 c. 7.

Tentatio carnis fit, vel turpis imaginationibus introrsus, vel motibus inordinatis contra castitatem externis, vel sensibus corporis materialibus, ad quæ

quæ omnia inclinant caro, & concupiscentia sæuissimus, & tyrānus munitus exercitus. Qui hæc patitur, consideret quòd nullus in hoc mundo, lege ordinaria reiecit à se simile iugum. Quis tam sobriè, tamque pudicè vixit, vt in eo non haberet imperium? Quis carnē suam adeò ieiunijs attriuit, & fame, vt ipsius carnis illecebram possideret emortuam? Nemo sanctior Paulo, & patiebatur, vt manet dictū suprà. Tolleret igitur infirmitatem carnis paciēter, & humiliter resistendo tentationi, qua resistentia purgatur, & coronā meretur, disponiturque ad contemplationem.

Si tentatio originem habet in phantasia cogitationibus turpis, vincenda est, non tam reluctando, quàm fugiendo à talibus imaginationibus. Confugiendum namque est, ad honestas meditationes, non relinquendo mentalē orationem, & ad vtiles occupationes post orationem. Ratio est, quia si non fugit mens à cogitationibus his, manet in ipsa tentatione, quę in illis consistit, & suam vim habet, vt magis inflammet. Nec cogitet, nunc, an consentiat, an non propter eandem rationem fugiat, quantum possit columbæ pennis, vt maneat in solitudine inimici huius fortis. Lege Ricardum. S. Bonau process. 4. Relig. & Gerson. tract. de diuers. tent. diabo part. 3. Idem faciendum est in tentatione prouenientε à sensibus cordis, declinando per eorum mortificationem ab omnibus obiectis, quæ mouere possunt, & incitare. Quod si senserit discretam quandam indignationem contra hæc, signum est illa odire, & nolle. Cauenda tamen est, quædam securitas aliquorū iudicantium tales tētationes euenire, non propter suam negligentiam, sed quasi ad humilitatis custodiam. Vndè fit, vt contra eas quasi humilitatis custodiam euigilent: & humilitatem putāt, qui se turpiter fœdari non timent: & quasi alium Paulum reputant, cui datus est stimulus carnis suę, ne eum multitudo virtutum, vel magnitudo reuelationum extolleret. Fitque miserabili modo, vt sic superbiant, vt tamen luxuriare non desinant: sicque luxurient, vt tamen superbire non desistant.

Ric. Victor. de qua. gradib. violent charit. p. 1.

Quod si oriatur ex carne immortificata, vtendum est ieiunijs, mortificatione, silitijs, &c. Vt sic caro vires perdat, & attenuet, ac spiritui redigatur, vt faciebat Paulus castigando corpus suum, vsque ad effectum consecutum: *Corpus meum* (aiebat) *castigo, & in seruitutem redigo.* Nod dixit, redigam, sed redigo. Ad hoc consequendum, nunquam relaxanda est pœnitentia. Semper namque rediuiua parat certamina. Est terra semper germinās spinas ex paradyso maledicta. Quantumque virtutibus exornetur, quantumque animi cura purgetur, in ea, quod euellitur, exoritur; quia dictūm est Adæ: terra es, & in terram ibis. Est denique sicut cardus qui natus in via itinerantium pedibus teritur, atque ipso vsu transeuntium eius superficies ne appareat, contingitur. Sed quamuis desuper fructificantes spinæ non appareant, subter tamen radix occulta perdurat. Si autem cessauerit calcatio pedum, mox in superficiem surgendo progreditur, & per spinam prodit in publicum, quidquid in radice viuebat occultum. Aliqua dicta manent suprà, & de discretione seruanda.

2. Cor. c. 9.

Gen ca. 3.

Tr. 5. c. 12

Si verò carnis tentatio non habeat originem in carne immortificata, vt experitur in hominibus, & fœminis debilibus, & infirmis, relinquēda sunt opera hæc penitentiæ. Ratio est, quia corpus per ea deuenit ad maiorem debilitatem, ita quod paucis motibus inordinatis carnis tentatio progreditur vsque ad maiorem & fœdum excessum. Idem erit de alijs medijs indiscretis, iuxtà partes puritatis propter eandem rationem, & quia solum deseruiunt ad fortiorem irritationem. Tentatio ista, vt alibi dictum est, dignoscitur, eo quod oritur immediatè ex imaginatione turpi, quàm sæpè diabolus immittit. In tali casu recurrendum est, ad orationem firma fide de diuina misericordia, fugiendo pericula, & occasiones, quæ incitare possint. Deindè, qui talia patiuntur à diabolo: *Irrideat* (consiliū est Gerson.) *dicentes cū illo patre in vitas PP. in talibus expertο: inmunditia tua super te. Dæmon, Dominus mihi adiutor, non te timebo, quia enim immundus spiritus es, immunditia opus tuum est. Terrores tuos, non timeo, quia eum, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos, deffensorem habeo.*

Gers. trac. de rem. contra pugnam. p. 3.

Denique conuersus ad Deum dic:

Ex

Extendi manus meas ad te, anima mea sicut terra, sine aqua tibi. Sitire tibi possum, & sitio; me irrigare non possum. Abundat mare, inundat, copiosum est, fluctuat, sed amarum est. Discreta est aqua, apparuit arida anima mea, & afflicta, irriga eam, quia velut terra sine aqua tibi. David tuo spiritu actus dixit: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. A tua benignitate peto, & spero mihi benignitatem, vt cum ea resistere possim tentationi ad maiorem gloriam tuam, confusionem inimici mei, & vtilitatem animæ meæ. Pone me iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Tu mihi adiutor, & non timebo, sed despiciam inimicos meos. Modus iste deseruire valet ad cunctas tentationes. Quod si permanserit tentatio, si vt oportet resistis, tibi, reputabitur pro spirituali martyrio.

Considera tentationem esse quodam mysticum baptismum, vt cum illo fortior euadas. Postquam enim fuerit homo baptizatus in aqua, postea baptizatur in igne tentationis, iuxta illud: *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quem mysticum baptismum denotant illa verba Ioannis Baptistæ: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni:* Idcirco Christus Magister noster, post baptismum Iordanis, ductus fuit à Spiritu Sancto in desertum, vt baptizaretur in igne tentationis. Et quidem sufficit Discipulo, si sit sicut Magister, ex quo maximum solatium sumat.

Psalm. 65.

Mat. ca. 3.

Denique sciat per tentationem victam seruum Dei fieri desponsatum que quodammodo cum eo. Audi Seraphicum Patrem meum Sanct. Franciscum, qui noscens quendam ex fratribus præ nimia, & molesta tentatione, quasi desperate, sic natum consolatur: *Nullus fili, se Dei seruum reputare debet, quoadvsque per tentationem, & tribulationem non transierit. Annulus est quodammodo victa tentatio, quo Dominus serui sui animam sibi desponsat.* Paulò post: *Vix enim obiiciuntur certamina fortia, nisi vbi fuerit virtus perfecta.* At tentatio perfectam facit virtutem; nam vt scitè Ricardus: *Non minor est aliquis in virtutibus, cùm à tentatione possidetur. Nam & si premuntur virtutes, tamen non extinguuntur, & quoties quis resistit, quoties coronatur. Cõtingit que, vt anima quæ durius laborauit in tentatione, plenius remuneretur in perfectione. Deuicto enim inimico, virtutes eneruantur, victores spirituales roborantur.* Ratio est, quia per tentationẽ victam virtus habetur in effectu, atq; adeo magis radicatur in subiecto, in quo consistit maior perfectio. Nunc patet profunditatẽ sententiæ D. Francisci: *Annulus est, quodammodo victa tentatio, quo Dominus serui sui animã sibi desponsat.* Nam cùm desponsatio ista spiritualis fiat mediis virtutibus in anima, si per tentationem victã fiunt perfectiores, proculdubio sponsatio erit certa potiori iure, & quodammodo intimior.

Colloq. 28. tom. 3. opuscul.

Ric. Victor. in Cant. ca. 31. p. 2.

CAPVT XIV.

Alia tentationum remedia.

SAnctus Bonauentura, docet optimum remedium ad omnes tẽtationes esse, humiliter, & patienter virgam Domini sustinere: vt esse dignum iudicet afflictione, & labore pugnæ, & patienter toleret, confidens quod ei prouenient in bonum, quia sic citius placabilis ei Deus, & purgabitur à peccatis, emundabitur vitijs, & ditabitur virtutibus, scientia, meritis, & gloria. Vndè Gregorius: Qui appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suę flagella tolerare. Hæc S. Pater. Remedium hoc humilitatis approbat S. Dorotheus exemplo illo: Sunt plerique in mare natantes, qui cùm artem natandi habeant, vbi vndas in se prouenientes aspexerint incuruati illis se subiiciunt, dum pertransierint, atque ita ab eis nunquam læduntur. Idem in tentationibus contingit, cùm aduenientem tentationẽ tolerat cum humilitate, & patientia, illam sine læsione pertransiet: Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Reuelatio extat facta Sanct. Antonio Abbati de efficacitate humilitatis contra tentationes, vt refert S. Athanasius in eius vita. Vide S. Laurentium.

S. Bon. process. 4. relig cap. 6.

D. Gregor Mag hom. 15 in Euangel.

S. Dorothi doct. 13.

S. Laurent. Iust. de vit. solit. c. 14.

Admirabili tamen modo ipsa ten-

tatio docet humilitatem, qua vincitur diuinæ dispensationis protectione. Pulsat namque tentatio, nec frangit: impellit, nec mouet, quatit, nec deiicit; vt de nostra infirmitate sentiamus esse, quòd quatimur, & de Dei munere esse, quod stamus. Subito etiam anxietatis mœrore agimur, & qui nos alicuius esse momenti bona nostra pensando credimus, pulsati paulò amplius perituros nos iam, iamque formidamus, & in humilitate fundamur

Per experientiam tentationis cognoscimus, quàm verum sit, quod Paulus dixit: *Non quod sufficientes*
2.Cor.c.3. *simus cogitare aliquid ex nobis tan-*
Caiet. Ien- *quam ex nobis, sed sufficientia nostra*
tac.4. *ex Deo est.* Bene Caietanus: *Cernis* (ait) *Apostolum distinguere, id quod conuenit nobis, quasi ex nobis, & hoc esse insufficientia; & id quod conuenit nobis ex Deo, & hoc esse sufficientiam.* Quod quidem verissimum est, etiam in viris perfectis. Sumus omnes, veluti est aer, qui ex se tenebrosus est, quidquid autem luminis habet, ex sole illuminante habet. Sic in nobis inuenitur, quod ex nobis nullum habemus bonum, sed defectus, & insufficientiam, & à Deo autem habemus, quidquid boni habemus, & tentati clarè cognoscimus, & cum Hierusalem à Deo humiliata dicimus, & sentimus. *Vide Domine,*
Tren. c.1. *& considera: quia facta sunt vilis.*

Prodest etiam ad vincendas tentationes considerare, habere Christum pro nobis aduocatum apud patrem
1.Ioann.2. in cœlis, vt docet D. Ioannes. Hæc consideratio magnam fiduciam infundit, cum pro se habet anima Christi aduocationem potentem impetrare gratiam ad victoriam. Deinde, quia
Ad. Hæb. teste D. Paulo: *Non habemus Pon-*
c.4. *tificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Quantam consolationem, & fiduciam habere potest, qui tentationibus anxiatur, habere Christum aduocatum, qui scit tribulationes has, & ex hoc, vt expertus compatiatur.
S Chrysost. Audi Chrysostomum dicentem. Non
hom.7.ibi. inquit, ignorat, quæ nostra sunt, sicut multi Pontifices, qui ignorant eos qui in tribulationibus constituti sunt, & neque quid sit tribulatio in hominibus, sciunt. Impossibile quippe est mortalibus scire afflictiones afflictorum, qui experimentum afflictionis non habent, & sensibiliter omnia non sustinuerunt, concludit: *Pontifex autem noster omnia sustinuit. Nam huius gratia primum sustinuit, & tunc ascendit, & possit compati.* Tentati ergo accedamus cum fiducia ad sedem gratiæ eius, vt accipiamus misericordiam, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Accedamus ad Christum, qui sedet ad dexteram Patris, quæ sedes est gratiæ, habebimusque eam in tentationibus, quia tunc est opportunum ad consequendam cum ea victoriam, per Christum; qui etiam & vincendo tentationes suas nostras vincit

Roboretur denique fiducia, & fortitudo contra tentationes, quia Deus custodit nos in introitu illatum, &
in exitu per victoriam. Dauid: *Do-* Psal. 120.
minus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Vbi sic commentatur Au-
gustinus: *Quid est introitum? Quid exi-* S.Aug.ibi
tum tuum? Quando tentamur, intramus: quando vicimus tentationem, eximus. Custodit Dominus introitum nostrum, vt salui intremus, sana fide simus, quando accidit tentatio: & custodit exitum ex hoc nunc, & vsque in sæculum. Qui custodit exitum, vsque ad victoriam custodit. Non in vna, vel altera tentatione, sed in omnibus, vsque in sæculum. Recole sententiam Diui Patris Nostri Francisci alio sensu capit. præcedenti allatã: *Annulus est quodammodo vita tentatio.* Solemus ex accepta veterum consuetudine annulis obsignare, ea quæ fideliter seruata, & custodita volumus. Sic videtur Deus obsignare animam annulo tentationis, vt custodita maneat, & fideliter sibi seruata.

Adsunt etiam Angeli nobis in tentationibus afflictis iuxtà Apostoli sen-
tentiam: *Omnes sunt administratorii,* Hæb. ca.1.
spiritus in ministerium missi, propter Mat c.20.
eos qui hæreditatem capiunt salutis. Planè vt ministri nostri sint immitantes Christum, qui venit ministrare, nõ ministrari. Ad quid hæc ministratio?
Respõdit Propheta: *Angelis suis Deus* Psalm. 90.
mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis Adsunt tibi tentato, nõ modo tecũ, sed etiã pro te in omnibus

vijs

S. Ber. ser. 12. sup. cũ Psalm. — uijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedẽ tuum, portantes te in manibus tuis: *Quantam tibi debet* (inquit Bernardus) *hoc verbum inferre fiduciam pro custodia*. Benè quidem, quia fortissimos nostræ patriæ, & inuictos adiutores habemus in pugna tentationũ, vt super, non infra, aspidem, & basiliscum ambulemus. Prosequitur Bernardus: quoties ergo grauissima cernitur tentatio vrgere, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic: Domine salua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quando quidem dissimulet, ne fortè periculosius ab illis te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustentatum. Acdeindè, ait S. Laurentius: *Prospectant sancti Angeli vestri certaminis exitum, coronas gemmis coruscantes, tenentes in manibus, vt illas perseuerantibus largiantur. Pudeat vos in conspectu cœlestis senatus, & Imperatoris æterni segniter dimicare. Sicut de victoria gaudium, ita duplex vestra erit de perditione confusio, damni, videlicet, & pudoris.* — S. Lau. Iust. fascien. amor. c. 16

CAPVT XV.

Cætera remedia contra tentationes.

TEntationes diaboli retundè sacra Scriptura. Docuit nos Christus tentatus in deserto, qui tribus tentationibus diabolicis, alijs tribus sacræ paginæ locis respondit, & inimicus victus aufugit. Valebat Magister noster illum debellare potestate, & rationibus confutare. Non arcu, & sagita, non iaculo, vel hasta, sed hoc spirituali maluit ipsum gladio iugulare. Quam obrem tu qui certas tentatus, regis tui fretus exemplo, hoc sanctarum scripturarum vtere gladio. Non abs te componas, quod inimicis obijcias, de fontibus Saluatoris scientiam hauri, memoriæque reconde, qua ad versariorum queas retundere pernicatiam. Sic aiebat Dauid: *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis*. Timent prorsus nequam spiritus, spiritualia tela, contra quæ norunt se præualere non posse. Proderunt vtique tibi diuina eloquia in mente seruata, & persequentur aereas potestates, & cordis secreta perlustrando mundabunt. Dicit Paulus: *Est Dei sermo viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens, vsque ad diuisionẽ animæ, & spiritus, compagumque, & medularum, & discretor cogitationum, & intencionum cordis*. Itaque iuxtà qualitatem suggestionis prælian dum est pharetra spirituali diuinorum eloquiorum, secundum dicta, & illud D. Petri: *Cui resistite fortes in fide*. Lege Ricardum. Pro firmitate fidei S. Dionysium Areopagitam de diuin. nomin. capit. 7. & N. Henric. Harph. libr. 3. mitt. Theol. c. 6. p. 1. — Heb. c. 4. — 1. Pet. c. 5. Ric. Victo. in Ps. 16.

Remedium etiam est contra tentationes inimici, considerare, & pro certo scire solum posse tentare ex diuina permissione, quę permissio bona est, & potestas ei data, quamuis maliriosè tentet. Volens tentare Iobum petiuit à Deo: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet*. In quo permissionem quærebat, quia scit ex se ipso nihil posse, & ideo petiuit manum Domini, sine qua nihil contra iustum valebat. Sic D. Gregorius, & addit: *Sciendum est, quia Satanæ voluntas semper iniqua est; sed nunquam potestas iniusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non nisi iustè permittit*. Dicitur in libro Regum: *Spiritus Domini malus irruebat in Saul*. Ecce vnus, idemque spiritus, & Domini appellatur, & malus: Domini, scilicet, per licentiam potestatis iustæ, malus autem per desiderium voluntatis iniustæ. Resignet se ergo in diuina, & iusta permissione, qui tentationem patitur, & non formidet eũ, qui nihil nisi permissus valet. — Iob. cap. 1. — S. Gregori. Magn. lib. 2. Moral. cap. 6. — 1. Reg. ca. 18.

Tum etiam, quia nunquam Deus permittit tentationes supra vires animæ. Hinc Paulus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. De te humiliter time vinci, de fidelitate Dei forti- — 1. Cor. cap. 10.

ter præliare cum dracone, vt auxilio gratiæ munitus de cœlo animæ tuæ exeat confusus. Non superat vires tuas tentatio quæcumque illa sit. Et ipse Deus si eam permittit inimico, eũ refrenat, & admirabili pietatis suæ dispensatione ex tempore dispensaris à tentatione; nec permittit plures coacervari, ne vincaris: vtque diuisas valeas tolerare; & de vna victor, fortior ad alteram maneas. O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iuditia eius, & inuestigabiles viæ eius! De periculis, namque fortior euadit anima, & meritum consequitur; doctiorque in illis. Cuius tàm mira mutatio, dexteræ excelsi est, & doctricis sapientiæ. Atque facientis, vt tentatio via sit ad virtutis perfectionem, & patefacientis diuinæ prouidentiæ thesauros.

Ipse namque Deus thesauro amoris sui, tentatos seruos suos diligit: *Quos amo, arguo, & castigo.* Sanct. Bernardinus super hunc locum, ait: *Tantum quis meretur à Deo diligi, quantum tentationibus contradicit.* Quod si semper ex eis victor euadit, dilectissimum Dei vocat. Alia satis vtilia prosequitur. Ex quo sequitur tentatum resistẽrem tẽtationibus, Deum, etiam diligere, quia dilectus est, & quia propter Deum resistit. Fitque multoties ipsum nescientem (quia insipiens est) recipi in mensa filiorum perfectorum propter meritum. Testis est Ricardus. *Contingit* (inquit) *vt infirmus in pugna spirituali æquetur forti: quia quo inualidior est, eo in resistendo magis laborat: Vnde, quod ille acquirit virtute, hoc iste maiori fatigatione.*

Apoc. 3. S Bern. Senens. serm. 13. c. 1. p. 4.

Ric. Victo. in Cant. c. 18. p. 2.

Constat ergo, quod resistentia vnius tentationis optimum remedium est ad vincendas sequentes. Ratio perspicua est. Resistendo anima Deum diligit, & à Deo diligitur, vt dictum manet. Agit Diu. Dionysius de natura amoris, & dicit: *Amor est virtus vnifica, & connexiua, & distinctiuatque confusè adunatiua.* Rectè quidem, quia est vera extremorum vnio. Ac proindè cum sit spiritualis, teste Carthusiano: Viuificat, diligentes vnit, contemperat, colligat, & in se inuicem transformat, habitareque facit vnius amoris in domo vna concorditer, atque pacificè.

S. Dionys. Areop. ca. 4. de diuin. nomin. Dion. Carthus. ibi ar. 5.

Ex hac amoris natura, quædam deriuatur passio, & proprietas, quæ extasis quædam, & veluti recessus à se ipso dicitur, vt totum in rem amatam transferat. Iterum Sanct. Dionysius ibidem ad rem: *Est præterea diuinus amor extaticus, qui non sinit esse suos, eos qui sunt amatores, sed eorum quos amat.* Adducit illud Pauli: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Prosequitur: *Tanquam verus amator, & qui excessit è se Deo, & non iam vitam suam, sed amati tanquam vehementer dilectam viuens.* Lege Sanct. Maximum, & Carthusianum. Ecce in quo statu manet anima vincendo vnã tentationem, ad subsequentes per amorem. Viuit iam in ea Christus: ac si diceret cum Paulo, secundùm explicationem Chrysostomi: *Nihil geritur à me, quod nolit Christus.* Experientia docet accidere in viro spirituali tentationibus laborante, quod venustè, dicit Ambrosius, commentans illum versum Dauidis: *Defecit in salutare tuum anima mea. Ergo* (inquit) *spiritui adhærens anima, deficit ab eo quod est anima: & fit vnus spiritus, nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus.*

Ad Gal. 2.

S. Chrysost. in Epist. ad Galat.

Psal. 118. S. Ambr. ibi tom. 2.

Migrat totis viribus in Christum, quem sequitur, illum cogitat, ei adhæret, illum personat, & in eum quadam animæ defectione transfunditur. Fitque fortior, cùm infirmatur.

Remedium efficax ad vinc. tentat. est Animæ constantia, fortitudo, et firma in Deum confidentia, qua tentationes quaslibet, licet summe enormes, [illegible] abominabiles et horrendi generis reputet, omne despiciat et spernat [illegible] sic Cornelius à Lapide to. 1. in Exo. pag. 407. et to. 2 pag. 498.

Optimum remedium est, conseruatio omnium virtutum, & earum continuum exercitium. Sic namque viri spirituales efficiuntur bellatores fortissimi contra tentationes ambientes lectum Salomonis. Ratio est, quia virtutes opponuntur vitiis; atq; adeò sunt arma vitæ spiritualis contra inimicos, quorum arma vitia sunt, ad quæ prouocant. Quod si aliqua virtus defecerit, iam inimicus vincet, quia per vitium virtus deperditur, & charitas; atque exarmatur anima viribus ad bellandum aduersarios. Vide Sanct. Gregor. Magn. libr. 8. in Iob. c. 14. & S. Ephrẽ Syr. de morb lingu. Deinde, per virtutes deponitur vetus homo, & renouatur spiritualis, qui se-

Remedia efficacia ad vincend. tentationes sunt vigilare et orare iuxta illud Domini et Redemptoris nostri: Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem, id est, ne tentationi cedatis. Cui addit ipse Dominus: Spiritus quidem promptus est ad tentandum et incitandum ad peccandum; caro autem est homo infirma ad resistendum sine auxilio. Lessius de iust. lib. 2. c. 37. d. 4. n. 20. Matthaei. 26. v. 41.

secundum Deũ creatus est, super omnia Deo opposita. Lege S. Bernar. de vit. solit. Ac labore magno, & studio perseuerante virtutes transeunt in affectum, & mentem bonam, in quo cõsistit propinqua Dei similitudo: in qua Deum imitatur animus, & per quam fit cum Deo vnus spiritus, non tãtum vnitate volendi idem, sed expressiore quadam vnitate virtutis à diuino fonte participata.

CAPVT XVI.

Prosequuntur cætera remedia contra tentationes.

S. Bonau. process. 4. relig. c. 13

EX D. Bonauentura remedium fortissimum erit, orationi incumbere, & auxilium supernæ virtutis petere, & aliorum suffragia implorare, quia nec nostris meritis, nec prudentia possumus de tot hostibus triumphare, vel sine lethali vulnere transire, nisi protecti in manu Dei, & eius adiutorio confortati. Vndè dicit Psalmus: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Ac hoc enim quandoq; permittit Deus hominem tribulari, vt excitetur ad orationis studium, & confugiat ad Dominum. Sicut paruulus filius positus in periculo currit ad matrem, & ad eius auxilium, quod sine periculo non faceret. Exemplum est S. Chrysostomi, qui cõsonat dictis. Tentatio namque, est veluti quædam antiparistasis diuina, per quam anima à suo contrario fugiens ad locum tutiorem, & suum centrum, quod Deus est reddit, ab ipsoque protegitur, & liberatur ab aduersarijs; quia clamat ad ipsum in tribulatione, iuxta diuinum promissum: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione eripiam eum.* Benè Bernardus: *Hoc (ait) planè est testamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ, & miserationis.* Concluditq; nos scire esse Deum nobiscum in tribulatione: *Ex eo vtique quod in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo?*

Psalm. 49.

S. Chrysost. lib de pæn.

Psalm. 90.

S. Ber. ser. in Ps. Qui habi. serm. 16.

Alterum remediũ est, resistere tentationi in principio, & eius introitu, ac vel sibilum audire, dedignemur. Dũ debilis, & paruus est hostis debet interfici, ne malitia, si non elidatur in semine, abundantius crescat. Audi Bernardum dicentem: Studiosius consideremus, quonammodo malignorum illorum spirituum suggestiones audire, imò quanta indignatione abijcere debeamus, auertentes aures nostras, ne audiamus sanguinem, & sapientiam, quã reuelat caro, & sanguis, paruulos quoque Babylonis, cogitatus, scilicet, mundanos ab ipso initio tenentes, & allidentes ad parietem: ipsum etiam malignũ cũ tentationibus suis à conspectu cordis nostri abijcientes, & deducentes ad nihilum. Hæc ille. Idem faciendũ est in omni genere tentationum in omni vita nostra, quæ militia est hominis super terram. Lege D. Gregoriũ. In humana legimus victorem extitisse Ionatham contra Principes Demetrij. *Quia non dederat eis spatium, vt ingrederentur regionem eius.* Sapiens & fortis modus debellandi inimicos, ac necessarius.

S. Ber. ser. de 7. spirit.

S Gregor. Magn. c. 3 in 7 Iob.

1. Mach. c. 12.

Alia duo magna remedia inuenit N. Henricus suis efficacia, & magistralia. Primum est, vt voluntatem nostrã subere diuinæ voluntati vnificamus, exẽplo Christi, qui sudans in agonia carnis, & spiritus præ horrore pœnarũ, & dolorum, cum non fuerat exauditus, liberè voluntatem suam paternæ voluntati submisit, dicens: Veruntamẽ non sicut volo, sed sicut tu. Et quod cœperat, deuotè perfecit, vt nos in omni pressura tentationis, persecutionis, & desolationis, ad tutissimum orationis refugium recurrentes, diuino beneplacito nos per omnia submittamus. Hæc Harphius. Remedium istud satis efficax est. Tunc namque vnita volũtate nostra cum diuina cõuersa manet anima ad creatorem, & auersa à creatura; & vt talis aliena à peccato, ad quod tentatio impellit; quia peccatum est conuersio ad creaturam, & auersio à creatore. Deinde, in hac libera subiectione, magnum meritum consequitur spiritualis vir, sequens Christum in agonia crucis, & nõ in gloria Thaboris.

Henr. Harph. libr. 1. myst. Theolog. ca. 42.

Secundum remedium, ex eodẽ Harphio in alio loco sic se habet: si volueris vincere omnes tentationes diaboli, carnis, & mundi, omnes fragilitates, ac imperfectiones tui ipsius, labora omni tẽpore gestare internum, & eleuatum animum, & desiderium in Deũ, semper magis sequendo internũ amoris exercitiũ, quam exteriora opera. Nam distractiua occupatio cordis non

Henr. Harph. libr. 2. myst. Theolog. cap. 6.

finit inferiores animæ vires ad aliquã quietam recollectionem sui. Hucusque auctor ille aliquibus relictis. Si hoc fiat, generabitur in anima per consuetudinem quædam facilitas ad ascendendum in Deum oratione, & petitionibus ad bellandum contra tentationũ origines, & fauctores.

Præcipua remedia contra tentationes dessolationis tempore huc vsque assignata sunt. Vnusquisq; eligat iuxtà necessitatem, & determinatam materiam, quæ efficatiora inuenerit, secũdum experientiam, illisque vtatur ex patris spiritualis consilio. Non relinquat exercitia spiritualia, quærat perseuerantes sponsum Christum, ac patienter absentiam tolleret. Sic anima Sancta *Quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inveni.* Nõ enim solet sponsus semper, vel pro tẽpore, vel pro quantitate animæ se quærentis voto respondere, propter dicta superius. Surgat, & quærat in ciuitate per circuitum, quia amor sanctus multum sibi fiduciæ adsumit, licet sit imperfectus, vt est in principiantibus, cõstat ex allato loco; nam dicit sponsa: *Quem diligit anima mea*: non spiritus meus, qui portio superior est, in qua exprimitur perfectus modus amandi, & tamen confidentèr quærit. Per circuitum tamen, qui circuitus, non est peruagationis, sed inuestigationis. Per circuitum aureum ambulat, sed intus ambulat, ac perseueranter, nec in creatura quiescens, quia omnes supergreditur, quia finitæ sunt. Ideò mens quæ circuit, solum requiescit in illo qui finis est omnium, & cuius nullus est finis.

Cant. ca. 3.

Sic quærat, sic ambulet, & videbit Dei fidelitatem, & quàm verum sit, quod docet nos D. Laurentius dicens: *Repentè verbi splendor irradians penetralia cordis, glaciem resoluens insensibilitatis, cunctam immundorum spirituum cateruam, qui irrumpere, iamque mentis arcem possidere cœperant, sua fugat præsentia.* Ita momento temporis immutat animum, illustrat mentem, reparat vires, reasque compescit tentationum potestates. Hoc totum indicauit Propheta, his verbis: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, catuli leonũ rugientes, vt rapiant, & quærãt à Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Promissio illa facta est per Christum, Ioann. ca. 14. *Vado, & venio ad vos.* Tunc in eius aduentu, factus est in pace locus eius. Lege Ricardum, & D Bonauenturam.

S. Laur. Iustin de cast connu. ca. 14.

Psal. 109.

Quod si moram fecerit sponsus in aduentu suo, subsistat paulisper spiritualis vir repetens suum circuitum, vt dictum est. Resistat tentationibus in agone suæ desolationis, hæc que rixa, & pugna coram Deo reputabitur pro victoria: *Siquidem* (inquit Gerson) *non solum, vicisse malum, bonum est sed & pro viribus malum resistere.* Imo, non nunquam melius est diutius pugnam exercere, quàm citò præualere, attendit namque æquissimus, & prudentissimus Rex noster Deus militum suorum, velle potius, quam posse, & sicut posse vincere suum est: ita vincere velle, nostrum est. Et quamuis in vtroque gratia Dei, necesse est, cõcurrat: in velle tamenquam in posse liberum arbitrium hominis sibi locũ vindicat. Vnde iuxtà militum suorum Dominus certamen ad remunerandum pensat. Dignumque, & iustum est, vt qui longius, & laboriosius certauit, præmiũ copiosius percipiat.

Gers. tract. de diuers. tent. diab.

Igitur secundum regulam Apostoli nobis datã, in omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei ministros (obedientes, & resignatos) in multa pacientia, in tribulationibus, tempore desolationis, in angustijs, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in longanimitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris per gloriã, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes: quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Vide S. Chrysost. ibi hom. 11

2. Cor. 6

Hæc sunt studia sancta animæ desolatæ, ad perfectionem tendentis. Hæc faciunt animũ benè ordinatum, quia vnde faciunt, habent.

AR-

TRACTATVS SEPTIMVS

De via illuminatiua supernaturali.

POST tot laborum certamina, post tot tentationum fluctus, quæ vir spiritualis passus est, vt dictum manet in via purgatiua supernaturali, meritò à diuino spiritu ad altiorem statum lucis, qui via illuminatiua supernaturalis dicitur, eleuatur, & inuiatur, secundum illud: *Amice, ascende superius.* Benè ordinatum. Tum quia tempore desolationis humili animo recumbebat in nouissimo loco conuiuij spiritualis ferens patientèr labores, & tenebras, eo quod Dominus inuitans sic ordinauit, & consilium dedit.

Luc. 14.

Tum etiam, quia anima purgatur tentationibus, & exercitio virtutum purgatiuæ vitæ. Exinde, inquit Harphius, sequitur vigorosa quædam consurrectio, partem hominis superiorem, scilicet, suppremas animæ vires illuminans, ad perfectionem deducens, ampliori gratia, & dignitate ditans, ipsiusque Dei maiorem similitudinem imprimens, ita quod in ea Deus fulgentiori claritate coruscans, opulentas influentias donorum suorum ingerit spiritum nostrum stabilientium, clarificantium, & locupletantium. Sed hæc influentia diuina exigit effluxum, & cum omnibus infusis diuitiis, in suam originem petit refluxum, omnia collocata reperens cum vsura, & amplius exigens, quam vlla soluere posset creatura.

Henr. Harph li. 3 myst Theo.c.14. p 2.

De ista luce post tenebras tentationum obtenta loquitur Iob, dicens: *Et videbit faciem eius in iubilo.* Audi D. Gregorium: *Quia verò (inquit) post tentationes, sæpe post immensas amaritudines menti nostræ in occulto gaudio lux veritatis erumpit: benè de hoc tentato homine, & deprecante subiungitur: Et videbit faciem eius in iubilo. Superius dictum est, quomodo Deus innotescendo afficit: nunc verò dicitur, quomodo dum innotescit, exhilarat.*

Iob 33. S Greg. Mag. li. 24 mor. c. 5.


Lux ista, & supernaturalis contemplatio nobilior est contemplatione viæ purgatiuæ duplici de causa. Prima est, quia iam purgata est mens, atque adeò vberior est lux ex parte recipientis. Aptum exemplum habes in D. Bonauentura, dicens: sicut in speculo naturali videmus, quod si sit ibi flatus, vel aliquod obtenebrans, facies humana, quamuis se ei obiiciat, non tamen resultat: sed cùm absterssum fuerit, in ipso facies humana apparet, vt si etiam speculum ratione humana vteretur adinstar spiritus, per illud quod in se ipso recipit, ipsum cuius est similitudo repræsentans cognosceret. Sic cùm à rationali spiritu erit illuminata caligo offuscans, iam ille sol spiritualis gratiæ radios immittit. Concluditque vberiorem esse lucem huius viæ ex parte recipientis, & à parte influentis. Sic Deus ascensiones suas disposuit in via spirituali mystica. *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.*

S. Bona. in myst. Theo. c. 2. de via illum. partic. 1.

Ps. 83.

Secunda causa propter quā nobilior est, quia non fit per recursum ad phantasmata, sed omnino illis caret, omnique imaginaria forma, sed prouenit vel à Deo immediatè, vel à dono Spiritus Sancti intellectus, aut sapientiæ, non secundum primum gradum illorum, qui à formis imaginariis pendet, & celebratur in primo animæ cœlo ad viam purgatiuam spectante, sed secundum medium ad illuminatiuam proprium. De his contemplationis gradibus actum manet suprà tract. 2. à c. 7. vsque ad 9. & tract. 1. c. 10. Appellatur via ista illuminatiua, eo quòd contemplationis ista infusæ lux illuminat principaliter intellectum, licèt accendat voluntatem ad bona consequenda per Dei vnionem.

(!)



CAPVT PRIMVM.

Admirabiles sunt effectus contemplationis huius viæ illuminatiuæ.

IN primis, media hac supernaturali contemplatione vberiori, ac fit in via purgatiua, magis accedit ad Dei similitudinem, nam ex Diu. Dionysio: *Porrò ea quæ Deum decet pulchritudo, vt simplex, vt bona, vt origo perfectionis, nulli omnino est admixta dissimilitudini, sed pro cuiusque merito cuilibet lumen suum impertitur.* Vnde ex maiori lumine communicato, magis accedit ad Dei similitudinem, ac recedit à dissimilitudine. Huncque esse scopum nostræ Hierarchiæ animæ rationalis spiritualis prosequitur, dicens: *Scopus Hierarchiæ est, Dei, quãta fieri potest, assimilatio, coniunctioque quem cum habeat omnis sacræ, & scientiæ, & operationis ducem, ac diuinissimum eius decorem constanter intuendo eundem quo ad potest exprimit, nec non diuinos sui consortes sacra quędã perficit simulacra, speculaque clarissima, quæ primitiuæ lucis, summæq; Deitatis radium excipiant.* Dixi esse Scopum Hierarchiæ animæ spiritualis, quia secundum ipsum Dionysium, c. 10 de cęlest. Hierarch. sicut in Hierarchia Angelorum, sunt qui illuminantur, ita in via spirituali datur Hierarchia illuminatorum à Deo, vt communiter dicũt eius expositores, & alibi diximus. Lege Dionysium Carthusianum.

S. Dionys. Areop. ca. 3. de Cæl. Hierar.

Matt. c. 5.

Dion. Car. ibi art. 7.

Huiusce modi maior approximatio, & similitudo viæ illuminatiuæ figurata fuit in Exodo cap. 19. quando ascendit ad montem Moyses, qui post expiationem facundè illuminatus fuit à Deo. Audi D. Dionysium: *Non enim (ait) temerè diuinus Moyses, expiari primum ipse iubetur, & deindè à non expiatis seggregari, & post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros, ac multiplices radios iacentia.* Per lumina, & sonus, via illuminatiua intelligitur, in qua Dei, & diuinarum rerum contemplationibus supernaturalibus exercentur animæ rationales spirituales, multisque luminibus, ac sonis reuelationum, atque illustrationũ à Deo emissis, & vicissim multis à Deo immissis adaugentur, & in via Dei progrediuntur. Fruitur tunc mens in solita latitudine, & infusione luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorum notitiã, quorum alterum propter nos obscẽ ... dos, alterum propter ædificandos proximos datur. Iam namque maior est illustratio, & charitas magis ignita.

S. Dionys. Areop. c. 1 myst. Theolog.

Alter effectus est reddere, in quantũ potest statum iustitiæ in paradyso deperditæ. Postquam dixerat Iob: *Videbit faciem eius in iubilo.* Vbi loquitur de contemplatione viæ illuminatiuæ, vt paulo dictum est, addit: *Et reddet homini iustitiam suam.* Audiamus D. Gregorium: *Illam (ait) iustitiam reddet Deus homini ad quam cõditus fuit, vt hærere Deo libeat, vt minacem eius sententiam pertimescat, vt serpẽtis callidi blandis iam promissionibus non credat. Quod enim in paradyso egit, hoc quotidie antiquus hostis agere non desistit.* Benè post gratiam contemplationis, iustitiam subdidit operationis. Consonat illud Isaiæ: *Tunc erumpet quasi mani lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuã iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Ex contemplatione enim ista attrahit, & promouet voluntatem, vt Deũ diligat per amorem, proficiatque anima in virtutibus. Ipsamet illustratio diuina expiatio est, & illuminatio ad perfectionem tendes.

Iob. c. 33.

S. Greg. Magn. lib. 24 in Iob c. 5.

Gen. 3.

Isai. c. 58.

Tunc secretiori, & spiritualiori illustratione purgatur, illuminatur, atque perficitur spiritus noster. Radius namque ille lucis diuinæ non permittit eum solitarium lucis, sicut ante purgationem solitarius erat. Sic reducitur perfectius ad suum principium, scilicet, Deum, quantum enim mens nostra à materia recedit, tãtum ad vnum tendit, spiritualiusque attingit, & cognoscit modo magis accommodato, & connaturali ipsi menti, quia spiritualior. Exemplum accipe à lumine solis: sicut enim ibi videre licet: in transparentibus quidem corporibus radiorũ fieri distributionẽ, eoque magis, vel minùs pro subiecti ad lumen excipiendum capacitatem; in crassioribus autem non similiter, sed aut omnino indistributè, aut obscurè. Vndè D. Diony-

nysius, inquit: *Oculorum mentes dissimilitudo facit, vt exundans paternæ bonitatis illustratio, vel omnino cassa sit & propter eorum repugnantiam inutilis; vel eius participationes existant inæquales paruæ, vel magnæ, obscuræ vel claræ, cum vnus sit, & simplex, eodemque modo semper se habeat fontalis ille radius, qui iugiter est expansus.*

Denique, nusquam se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in speculo huiuscemodi contemplationis. Vbi in die qui est, plus, & plus videns quid sibi deest. Emendat in dies similitudine, quicquid deliquit dissimilitudine, similitudine ei appropinquans, à quo longè factus est per dissimilitudinem, & sic expressiorem contemplationem, expressior semper similitudo comitatur. Ex contemplatione namque summi boni diligitur eo gradu, quo cognoscitur, quo vsque amor proficiat in aliquam similitudinem diuini amoris. Diligit etiam anima virtutes, quo vinculo ligatus vir proficiens erigitur (inquit S. Laurentius) fortiter contra se, concupiscentiam motus, voluptatem affectus, animi fluctuationes, cordis hebetudines, innatas passiones, innolitas consuetudines, & cunctas interioris hominis inordinatas affectiones sub rationis contendit deprimere imperio. Nunc prostrata eleuat, nunc clara humiliat, miroque certandi modo huc, illuc se diuertens omnem animi petulantem familiam ad spiritus vnitatem disciplinæ vigore coercet. O grande spectaculum, triumphus gloriosus, mirabile prodigium videre gratiam oppugnare naturam, & animum inniti aduersum se. Hæc ille.

S. Laur. Iust de cast. connub. c. 3.

Ex hac contemplationis luce oritur alius effectus nobilis. Mens illa illustrata, ea quæ leuia propter defectum lucis paulò antè crediderat, mox vt grauia, vel mortifera perhorrescit. Cuncta enim, vel in minimis noxia, quasi atrocissima refugit: quia videlicet per contemplationem grauida, introire ad se iam inania nulla liberè permittit. Nihil quippè eam nisi id quòd interius videt, pascit, atque eò grauiùs tolerat quidquid se ei contra puritatem ingerit, quia illud non est quòd intrinsecus videt. Vndè dixit Ricardus, agens de anima illuminata: *Quamuis mortificauerit peccata, atque vitia: tamen ex accepta abundantiori gratia, magis ad hoc ignoscit, & magis quod reficit, inuenit. Plus illuminata, plus defectus suos cognoscit: & melior facta plus sibi vilescit. Damnat tunc varios defectus, quos prius tolerabat: & tam in verbis, quàm in cogitationibus, multa se commisisse peccata intelligit, quæ minus mala antè reputabat.* Iob de se ipso dicit: *Vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem. Ac si diceret* (inquit D. Gregorius:) *Rectum me quidem inter homines credidi, sed te loquente* (scilicet, Deo) *& ante flagella prauum, & post flagella me rigidum inueni.*

Ric. Vict. c. 34 in Cant. p. 2.

Iob. c. 40.

S. Greg. Magn lib. 32. mor. c. 3

Hinc nascitur alius effectus, nempe, quidam timor discretus deficiendi in operibus bonis, timendo mens cō. mittere mala. Aiebat Iob: *In horrore visionis nocturnæ, stetit quidam, cuius non cognoscebam vultum.* Iterum Gregorius: *Horror* (inquit) *nocturnæ visionis, est pauor occultæ contemplationis. Humana enim mens quò altiùs eleuata, quæ sunt æterna, eo de factis grauiùs treme facta formidat: quia tantò se reum veriùs cernit, quanto se ab illo lumine discrepasse, quod super se intermicat, conspicit, sicque fit, vt illuminata plus metuat, quia magis aspicit à veritatis regula per quanta discordat: eamque graui formidine suus ipse profectus quatit, quæ prius quasi securá nihil videbat.* Contemplatio hæc prouenit à dono scientiæ Spiritus Sancti ex D. Bonauentura, de quo alibi dictum manet. Illa namque illuminatur mens ad benè iudicare secundum regulas legis æternæ; quorum non est determinata via quoad nos, qualiter fieri debeant, eo quod non semper vniformiter fienda sunt.

Iob c. 4.

S. Greg. Mag. li. 5. mor. c. 21

S. Bona. de 7 don. Spir S. c. 1. & 2. de don. sapi. c. 1.

Purgatur ignorantia naturali vir spiritualis. Sæpè namque erramus in discernenda qualitate operum, & in examinanda quantitate. De errore in qualitate arguit Propheta aliquos, dicens: *Væ vobis qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* De examinatione quantitatis redarguit alter Propheta alios, cum dicit: *Mendaces filii hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in id ipsum.* Emissa namque, & accepta

Isa c. 5.

Ps. 61.

con-

impunitũ, nec delinquentem absque digna increpatione. Pœnitentiam, non denegando corpori necessaria ad vitam humanam, honestatem, vtendo tantùm honestis sine superfluitate. Et sic de cæteris virtutibus. Absque luce hac quandoque exercetur misericordia remissiùs, iustitia crudeliùs, humilitas parcius, honestas abundantiùs, quæ licet non desinent esse virtutes, sunt tamen imperfectæ, & multoties transeunt ad vitium, quia carent discretionis medio, & attingunt extremum vitiosum. Quandoque autem mira diuinitatis pietate agitur, vt qui in Ecclesia positi sunt superiores, & à Deo illuminati, vt alios illuminent, desiderantes solitudinem, vt libentiùs Deo vacent per diuinam contemplationem ab ipso Deo occupentur in docendis alijs in via spirituali. In quo ipsi proficiut, eo quod diuinæ voluntati humiliter se subijciunt, & per charitatem alijs proficiunt. Fitque, vt dum se destructos æstimant, indè locupletiores ad cælestis patriæ constructionem assurgant. Exemplum habemus in S. P. N. Francisco, qui dubitãs an melius esset orationi vacare, cuius donũ acceperat à Spiritu Sancto; an exire ad alios edocendo in via Dei, quamuis in hoc non ita gratiam loquendi acceperat; consuluit S. Claram, & alios suos socios spirituales viros. Qui oratione, & contemplatione petentes à Deo, vt suam patefaceret voluntatem; vnanimiter intellexerunt, esse vt priuaretur quiete contemplationis, & ad vtilitatem aliorum exiret. Quod & factum est maximo profectu Sancti Patriarchæ, & ipsorum. *Collat. 14. Opuscul.*

Alter effectus contemplationis infusæ huius viæ est quædam lux proueniens à Spiritu Sancto per Donum Consilij, quæ consistit in cognitione discreta, circa singularia omnia, & cõtingentia, quæ occurrere possunt ad consecutionem beatitudinis, quia cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ, vt dicitur in libro Sapientiæ. Differt tamen contemplatio, proueniens à Dono Consilij, à contemplatione prouenĩete à Dono Scientiæ, secundum D. Bonauenturam: *Quia actus Doni Sciẽtiæ est de talibus benè iudicare, secundum regulas legis æternæ: sed actus Doni Consilij est secundum regulas legis æternæ, bene inuenire, quæ ardua sunt per nos agenda, & quæ fugienda, ad obtinenda ea, quæ conferunt ad vitam æternam, & non præcipitanter agere. Quia sicut dicit Gregorius; Spiritus Sanctus dat contra præcipitationem Consilium, cui opponitur præcipitatio.* Donum itaque Consilij est illuminatio mentis, quæ nos facit cautos, ne in aliquo periculo spirituali præcipitemur, & ad omnia prudẽter, & ordinatè operemur. Vnde Consiliũ rectè dicitur, oculus, & cautio futurorum. *Sap. 9. Sap. 7. S Bon. de 7 Don. Spir. S. cap. 1 de Don. Cons. S Gregor. Mag lib. 2. mor. c. 27.*

Aliùs denique nobilis effectus cõtemplationis huius, est quidam feruens affectus, quo non quiescit mens in virtutibus, sed aspirat ad perfectas vsque ad imitationem Christi, quod est præcipuus scopus viæ illuminatiuæ. Loquens anima de inquisitione, & inuentione sui sponsi ait: *Tenui eum; nec dimittam, donec introducam illum in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Audiamus Ricardum: *Cupit* (inquit) *affectum suum purgari: voluntatem mortificare: ipsum suum deficere, & Christum induere, sicut dicit Apostolus: Induimini Dominum Iesum Christum. Ad hoc iubari se petit, & eousque perficere, quatenus formetur Christus in ea, & viuat iam non ipsa, sed viuat in ea Christus.* Hoc fit exercitio omnium virtutum, ad quas aspirat perfectas, illuminata diuina contemplatione. Nec vult dimittere sponsum, donec ab illo hanc benedictionem accipiat, vt alter Iacob. Hoc desiderat, ad hoc aspirat, hoc petit profundis suspirijs, & gemitibus, manetque suspensa à Deo, sicut radius à Sole. *Cant. c. 3. Ricard. Victor c. 6 in cant. p. 2.*

CAPVT III.

In via illuminatiua reperitur amor.

HAbita contemplatione in intellectu (de qua cap. præcedenti) oritur amor Dei in voluntate. Sicut enim in conuiuio corporali non sufficit cibus sine potu; ita in spirituali mentis non sufficit cibus contemplationis sine potu amoris. Ideo sapiẽtia *Prouer. 9.*

post

post inuitationem ad comedendum amicorum, secundò magis dilectos inuitat ad potandum, dicens: *Bibite vinum, quod miscui nobis.* Sic fit plena refectio spiritualis. Vnde sponsa de se loquens dicit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* D. Bernardus *Planè* (inquit) *cùm ex charitatis abūdantia beatam, & salutarem vini letitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam, non immerito perhibetur vinariam introisse. Cùm enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, & alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, non planè aliūdè quàm è cella vinaria reportatur.* Vinum hoc est charorum, & Regia magnificentia dignum.

Cant. c. 2.

Esth. c. 13.

De natura, & effectibus huiusce modi amoris, hæc ex nostratibus scribit Henricus: Est infusio quædam ignis spiritualis, voluntatem amore iniis spiritualis, voluntatem amore ii- lenti, ac tranquillo penetrans, & accedens, ac magnificis diuitijs, & delitijs inundare faciens. Nam gaudium Sancti Spiritus; & afflatio diuini amoris, ex plenitudine fontis gratiæ riuum eliciunt voluntatem ignea qualitate succedentem, & in vnitatis fauillam omnia redigentem, omnes animæ vires opulentis muneribus ingenuitate præcipua perfundentem, ac amorem quemdam, eò sub timorem, quò spiritualiorem. Calor autem huius ignei amoris tam vehemens est, quod totos nos per ardorem comburere, & inflammare nititur. Et exindè pro tinus anhelatio consurgit, & cōflictio in amoris vnitatem. Nam Spiritus amans, diuinum amorem inuocat, vt in abyssum suæ infinitatis illum deuoret, & cōsummat. E contrà verò diuinus amor in nobis permanens, & nos in ipso, ac omnia bona opera nobis cū operans sine voce, cū intellectuali impressione, clamore valido iugitèr ingerit, dicens: Soluite quod debetis, amate amorem (aliàs amatorē) vos æternaliter amantem. Hæc vox est excitatio, vel agitatio quædam interna in nostro spiritu, omni toni truo materiali terribilior, cuius coruscatio Cœlum nobis aperit, & lumen æternæ veritatis ostendit. Hæc ille, & alia.

H. Harp. lib. 3. Mist. Theol. cap. 14. p. 2.

Sanctus Bonauentura secutus Ricardum, vocat amorem istum ligantem, & languentem. Appellatur ligans, eò quod illo ligatus animus, omnium obliuiscitur, aliud meditare non potest, quia quidquid agat, quid quid dicat, semper hoc mente reuoluit, perenni que memoria retinet, hoc dormiens somniat, hoc vigilans omni hora tractat. De charitate hac ligante dixit Oseas: *In funiculis Adā. traham eos in vinculis charitatis* Adam funiculi sunt Dei munera, in magnis enim creatus est. Vincula charitatis sunt bona naturæ, bona gratiç, & bona gloriæ. His autem beneficijs, debitores obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, & gloriam repromisit.

S. Bona. de 7. itiner æter. itiner 4. dist. 5. ar. 2. Ricar. Vi de 4. gradi. violēt. charit.

Ose. c. 11.

Dicit esse etiam amorem languentem, quia animæ tunc omnino omnia horrent, quæ deseruire non possunt sponso, quem amat. Corpore deficit, corde tabescit, ac languescit, nullam consolationem admittit, *sed cum Sponsa clamat: Nunciate dilecto, quia amore langueo.* In hoc itaque gradu, dum mens à se ipsa alienatur, dum in illum Diuinum Secretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circumdatur, intimè penetratur, & inflammatur, se ipsam exurit, & diuinum quemdam affectum induit, & inspectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transijt. Et in hoc statu anima in illum', quem diligit, liquescit, & in se ipsa tota languescit, vt dicat: *Fulcite me floribus, stipate me malis', quia amore langueo.* Hæc in substantia Seraphicus Pater. Lege D. Laurentium, & Hugon. de S. Vict. lib. 3. de anim. c. 7.

Cant. c. 2.

Cant. c. 2.

S. Lau. Iust. c. 7. de incend. diui. amor.

Oritur languor iste, quia cor inuitatum ad tantarum delitiarum conuiuium, mox toto affectu hiantibus arterijs se dilatat, & expandit, & omnes animæ vires ad pacis, & veritatis vinculum, toto desiderio præparant, sed quia ad votum adimplere nequit, languescit. Sauciatam se sensit anima hoc amore, quando dixit: *Nolite considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Vbi D. Bernardus: *Sol iustitiæ decolorauit me Christus, cuius amore langueo. Languor iste, caloris quædam exterminatio est, & defectus in desiderio animæ, vnde dicit: Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus*

Cant. c. 1. Bern. serm. 28. in Cāt.

Ps. 76.

tatus sum, & defecit spiritus meus. Ergo instar vrentis solis, desiderij ardore peregrinantem, in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit repulsa, & excruciat amantem dilatio.

Perseuerante tamen impacientia amoris nullus vsus creaturæ delectat animę, omnia sustinet parata, vt ad id, quod amat, obtinere valeat. Illa enim amoris impacientia cor amantis comedit, & sanguinem eius bibit, quia validior est cunctis gradibus huius æstus spiritualis, corporalem naturam absque exteriori labore conterēs intrinsecus, & consumens, quia radij diuinæ claritatis plerumque tanto feruore cor impatientis amatoris inurunt, quòd intimum sanguinem faciunt ebullire. Deinde, cor vulneratur intrinsecus, & amoris læsionem patitur, sed non tristitiam, imo summum gaudium, quoniam amoris vulneratio, est dulcissima passio, & grauissima pœna. Tuncque fit multoties, vt cor sic sauciatum, vir spiritualis absolui desiderat à corporis carcere, vt illi, quem amat perfectè vniatur, clamitans cum Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. ca. 7.) Et cùm à patria cœlesti exulem se videat, multisque calamitatibus circumdatum, hinc interdum nascuntur lachrimæ, & gemitus, & anhelosa suspiria, ac desideria multiplicantur. Quæ lachrimæ cor illius ad modicum refocillant, vtiles profectò naturæ ad seruandam valetudinem corporalem, quo facilius amoris impacientia toleretur, vt salus, & vita corporis non amittatur.

(Henr. Harph libr. 3. myst. Theolog. ca. 23. p. 3.) Hoc in statu secundum Henricum anima constituitur in quandam Dei perfectam ignorantiam, velut inter duas mensas, idest, duas agnitiones diuinæ veritatis, quasi fame peritura, dum ad mensam inferiorem inclinare se despicit, vbi Deus in imaginibus (ad viam purgatiuam spectantibus.) Creatis tantummodò tenuitèr, & vmbraticè cognoscitur, & diligitur: ad mensam verò superiorem, vbi Deus in sua nuda essentia cognoscitur, & diligitur adire nō permittitur, ad quam anxiè aspirat cupiens saturari de eius micis, quæ à Domino communicantur. Recipit tamen verbum illum absconditum, de quo Iob: *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea verba susurri eius.* (Iob. c. 4.) Tunc mens Deum diligit tunc modo cupiens infinitè operari, licet virtus sua finita sit. At amor impatiens (vt aiebat Bernardus) nec de impossibilitate solatium accipiens, nec de difficultate remedium, licet sua deficentia labefactus fuerit, vires tamen resumens ad præsumptum opus exequendum, toto spiritu renouatur, quatenus iuxta suā exigentiā, & secundū amoris desideriū diligatur. Ad quod omnes vires in vnam amoris flammeam vniuntur; vt saltim in vnum flammeum amoris cuneum conglutinatæ valeant aliquatenus consumare. Lege alios effectus in Carthusiano. (Dion. Carthus. de font. Luc. cap. 13.) Omnes quidem disponunt animam ad viam vnitiuam consequendam.

Denique in hoc statu fruitur anima admirabili dulcedine, quæ in duobus consistit. Scilicet in contemplatione veritatis summæ, & in satietate internę suauitatis. Ab vno inchoatur: ex alio perficitur. Primum, siquidem est, vt cęlestis sponsi amica, & veri amici sponsa, dilecti sui desiderio accensa, & in eius aduentu suspensa: Primum, inquam, est, vt videat per contēplationem quem diligit anima sua: Secundum est, vt in amplexus eius ruat, & oscula iniungat, secundum quod incessantèr postulat, osculetur me osculo oris sui: vt ad eius deosculationem per amorem dictum hauriat de dulci dulcedinem, & de suaui exprimat suauitatem. Fauus quippè distillans labia eius, & spiritus eius super mel dulcis. Ipse siquidē summa pulchritudo, ipse summa dulcedo.

Pulchritudo ad visum: dulcedo ad gustum. Hæc sola desideriorum nostrorum fatigationem compescit: Hæc sola animum ad veram pacem componit; quia quicquid amplius requirat, non inuenit. Quid enim est, quod amplius requirat, quæ hoc ipsum, quod habet, capere non potest? Hanc sentire potest, sed nullis verbis explicare potest. Hęc est mystic. Theologia experimentalis, de qua actum est suprà. (Tra. 1. c. 11) Ex qua dulcedine oritur quodā

corporalium deliciarum fastidium: & ex intimo affectu exteriorum omniũ rerum, quidam spontaneus despect⁹. Aliud est enim blandienti delectationi resistere, & violenter repellendo ei nolle acquiescere: atque aliud spontaneo quodam intimi affectus nutu fastidire: & quaslibet interim carnis blãditias sibi sapere non posse.

Hacce dulcedine gustata in via illuminatiua, nascitur quædã casta mẽtis, & omnium spiritualium virium voluptas, qua vir spiritualis diuino amplexu circumdatus, ac circumplexus sibi videtur. Enim verò in ista castissima voluptate per sua dona Deus cortanta consolatione, & gaudio sese immittit, ac illabitur, vt cor intus redundat, ac superfluit, & tantum interius de diuina dulcedine sentit, vt quasi totum resoluitur. Versatur tamen discrimen inter delectationes (veluti inter visiones extases, &c.) quæ in via illuminatiua gustantur, & percipiuntur ab his, quę fiunt in purgatiua. Etenim non solum sunt nobiliores, eò quod spiritus magis purus est; sed etiã magis securæ, quia plus elongatæ à sensibus, & formis imaginarijs; sed nõ liberæ à periculis, vt iam dicemus infrà.

CAPVT IIII.

De periculis viæ illuminatiuæ.

PRoculdubio certum est inueniri in via illuminatiua reuelationes, & diuinas locutiones, quod insinuat D. Dionysius, dicens de Moyse: *Non temerè Diuinus Moyses expiari primum ipse iubetur, ac deinde a non expiatis segregari, & post omnem expiationem cernit multa lumina, puros, ac multiplices radios iacẽtia.* Per lumina via illuminatiua intelligitur, in qua anima exercetur contemplatione infusa, multisque luminibus reuelationum, visionum, & locutionũ intellectualibus decoratur nobilioribus illis, quæ contingere solent in via purgatiua, quia animæ vires superiores plùs defæcatæ sunt, ac magis capaces luminis altioris. Vide N. Henricum. De omnibus his, & eorum periculis factum est suprà. Videantur, ne acta agamus. Inueniuntur etiam Prophetia, extasis, & raptus, de quibus etiam satis diximus tract. 3. per totum.

Exod. 19. S Dionys. Areop. c. 1. de Myst. Theol.

Henrr. Harp. lib. 3. Mystic. Theo. cap. 14. p 2.

Tractat. per tot.

Capite præcedenti dictum manet reperiri in hac via amorem, In quo periculum est. Etenim ex abundantia dulcedinis interioris redundant multoties in partem sensitiuam, delectationes sensuales, & motus, sentiuntur que, velit, nolit anima. Iuxta illud Apostoli: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Non dixit non sentietis, seu non perficietis. Primum est naturæ dum viuimus, secundum spectat ad nostram voluntatem, quæ adiuta diuina gratia illis resistit. Pro isto periculo lege suprà dicta. Iacob simul ambulabat cum Esau; in Iacob intelligitur nostra voluntas, in Esau tentatio carnis. Nihilominus tamen liber extitit Iacob, quia ab eo secessit, nec cum illo voluit ambulare.

Tract. 6. c. 4. 8. & 9. Gen. c. 33.

Ratio cur sentiuntur huiusmodi delectationes carnis, est, quia amor trahit secum dulcedinem redundantẽ in corpus, quod sentit eas, quia nõ est perfectè mortificatum. In qua dulcedine quasi sensitiua animæ inuenitur etiam aliud periculum; nimirum, quòd voluntas appetit illum naturaliter propter suauitatem illius, loquiturque sic Deum diligere amore priuato, & non purè spirituali. Hoc notauit D. Laurẽtius de S. Petro amè aduentũ Spiritus S. licet plus diligeret Christũ cæteris alijs Apostolis: *Tenerrimè* (inquit) *antè Domini resurrectionẽ eundẽ diligebat dominum, & ardenti illum amplectabatur amore: non tamen carnali; quia illo per gratiam fuerat euacuatus; neque spirituali, quoniam paracleti gratiam nondum perceperat, sed sensuali, & priuato. Hinc est, quod eo plenus ab ipso domino Iesu nusquam adesse patiebatur. Vbique illum nimia illius captus dulcedine comitari cupiebat.* Multis probat suam sententiam satis vtilibus. Nõ ergo Petrus ad perfectũ amorem domini ascenderat. In hoc casu denudanda est voluntas à gaudio, & dulcedine, vt maneat in substantia amoris, disponaturque ad perfectum, vt alibi sæpè dictum manet. Sicut enim spiritus Prophetarum Prophetis subiectus esse memoratur; ita amor dulcis homini subicitur, vt illo benè vtatur, & absque periculis in ipsius vsu progrediatur, vsque ad per

S. Lauren. Iust ca. 3. fascisc. amor.

Cant. c. 3. perfectum cum sponsa: *Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illũ in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Audi Gillibertum dicentem: *Quod intelligentia inueneris, diligentia tene, & retine, retinentes virtutes, & lubricas species arctiori tibi astringe amplexu, donec vice versa vltro tibi inhæreant, & amplexentur te gratis, & sine studii tui labore teneant, nec sinant, vel longiùs abscedere, vel diutiùs abesse.*

Gilleb. ser. 9. in Cant.

Illa tentio sponsæ non dicit otiositatem, sed nouam inquisitionem sponsi per contemplationem, & vnionem, exercitiumque virtutum per totam vitam. Denotant hoc illa: donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ: Hoc est, vsque ad gloriam. Consonat Sacræ Paginæ. Apostolus inquit: *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et ad Discipulum: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Non modò* (inquit Chrisostomus) *in vitæ rectitudine, ac sanctimonia, verum in synceritate, atque vbertate doctrinæ.* Iterum de ipso Paulus: *Gratiã eius in me vacua non fuit: sed abundantiùs omnibus laboraui.*

1. Cor. c. 6. 1. Thim. c. 4. S. Chris. homil. 13. ibi. 1. Cor. c. 15.

Hæc immediatè militant contra aliquos errores quorundam hominũ, falsò spiritualium à diabolo illusorũ, quos refert Rusbrochius per plura capita, & breuitèr ressumpta sunt, ita ita ex cap. 76. huiusmodi Sectatores manent quieti, & otiosi, absque vlla, vel interna, vel externa exercitatione, quo optata potiantur requie; verum hoc pacto quieti dari, nefas est. Huiusmodi namque quies indducit in mẽtem cæcitatem, & ignorantiam nihil scientem, efficitque, vt absque omnia actione totus homo in seipso subsideat. Nec ista quies aliud est, quam otium remissum. Vndè talis quies falsa opponitur quieti supernaturali; quandoquidem quæ in Deo possidetur est cum simplici quodam in incompræhensibilem claritatem prospectu coniuncta.

Rusb. lib. 2. de ornat. Spirit. nuptiis.

Ex cap. 77. Verum vbi quispiam ociosam prorsus requiem, sine vlla ad Deum amorosa applicatione, & conuersione possidere instituit, is iã facilè in plures poterit prolabi errores; quippè qui à Deo auersus, & ad seipsum amore naturali reflexus, solatiũ, suauitatem, & quicquid libet captat. Est mercatori similis, qui incũctis suis actionibus ad se ipsum reflexus, quietẽ, lucrũ, ac emolumentũ suũ potiùs, quam Dei spectat, & quærit honorẽ.

Ex c. 78. Deindè postquam naturali quispiam requie potitus est, eamq; inerti otio possidet, incunctis actibus suis seipsum spectans, & in proprietate sua obstinato animo inflexibilis perseuerãs, neutiquam Deo vniri potest, eò quòd vitam agat vitiosam, & charitatis expertem. Hic iam tertio modo contrariam ducentium vitam pestis extitit, ac oritur cæteris antè dictis perniciosior. Est autem vitam planè iniusta, erroribus spiritualibus, & omnigena peruersitate abfidans. Hoc genus hominum Dei contemplatores se esse arbitrantur; imò omnium, quos orbis habet, longè sanctissimos esse autumant; cùm tamen reuera vitam agãt contrariam Deo, Sanctisque omnibus obeant, quam experiũtur, & in seipsis otiosi obtinent quietem, liberos se putant, & absque medio Deo vnitos. Neque id tantũ, sed etiam transcendisse, atque subleuatos esse suprà omnem Ecclesiæ cultum, & exercitia vltra præcepta Dei, suprà legem, & actus omnes virtutum, qui vllo exercere possunt modo. Siquidẽ sibi persuasum habent, otium hoc tãtæ esse præstantiæ, vt nullis, quamuis eximijs, & præclaris actibus turbandum sit, eo quòd cunctis præstent virtutibus. Putant si quid ipsi moliuntur operis, opus Dei præpeditum iri. Sedent igitur ab omni virtutum studio, & actione ociosi; idque adeò, vt nec laudes, neque gratias agere Deo, neq; cognoscere, neque velle, neque amare, neque præcari, neque desiderare vellint. Arbitrantur quicquid, vel petere, vel desiderare queant, id omne iam se obtinuisse: atque ita se iam pauperes esse spiritu, vt potè, qui voluntatis expertes sint, & omnibus valefecerint, & absq; vllius dilectionis, vel optionis proprietate viuant.

Putant tamen se expeditos, ac ociosos esse, & transcendisse omnia, iamque obtinuisse ea, quorum causa omnis Ecclesiæ cultus, & exercitia instituta sunt, vtquè ipsi aiunt, nemo prorsus, nec ipse Deus quicquam eis, vel cõferre, vel auferre possit; etenim pro suo iuditio exercitia, cultum, & virtutes omnes exercerunt, & admerum

rum quoddam pertingerunt otium, vbi à cunctis sint virtutibus absoluti. Qua propter libertate gaudere volūt, nec parere Summo Pontifici, Episcopis, Doctoribus, nec suis Prælatis. Quòd si foris obedientiam falsam ostendunt, nulli tamen intus, neque actione, nec voluntate subdicti sunt, ipsi quidem suprà omnes omnino, & Angelorum, & Sanctorum Choros, atque præmium omne, quod vlla ratione mereri quis posit, sublevatos esse se putant. Ideòque nihil se vltra mereri, nullum vnquam amplius in virtutibus profectum facere, sed neq; peccatum deinceps vllum admittere posse. Quippe qui spiritum suū Deo tradiderunt in quiete, & otio. Hinc iam quicquid corpori libet, etiam licere sibi affirmant: vtpotè qui ad statum innocentiæ reducti nullam sibi habeant positam, ac præscriptam legem.

i. Denique ex cap. 79. Præter hos aliud genus hominū peruersum fuit. Isti Deum patientes dicise volunt, & cum superioribus consentiunt, quòd se quoque ab omni actione immunes, & otiosos putant; esseque velut quoddam instrumentum Dei, quo Deus quicquid, & vtcumque velit, agat. Affirmant absque vlla actione merè se pati, eaque opera, quæ Deus ipsis tanquam organis suis perficiat, præclariora, ac meriti maiora esse, quàm cuiuslibet alterius, quæ ipsimet in Dei gratia egerint. Aiunt Deum se pati, & sustinere, nihil seipsos agere, sed actus suos omnes Deum operari. Deindè nullum se peccatum cōmittere posse asseuerant, eo quòd Deus in ipsis agat omnia, ipsi verò planè otiosi sint: & quicquid Deum vellit, id per se ipsos fieri, nihil prætereà. Hi omni actione postposita otio se tradiderunt. Ad quæcumque intùs incitantur, siue virtuti consentanea sint, siuè ab ea abhorreant, omnia putant ab Spiritu Sācto proficisci. Isti viuunt vitam contrariā Deo, & Sanctis omnibus, & sicut prædicti sunt Antichristi. Hæc ex Rusbro quio multis cancelatis breuitatis causa. Huiusmodi falsò illuminati ab Ecclesia damnati sunt: atque ex dictis hucusque satis refutati.

CAPVT V.

Quæ tentationes inueniuntur in via illuminatiua supernaturali.

Concors sententia Patrum, & experientia docent reperiri in via illuminatiua varias, & plures tentationes, sicut in via purgatiua diximus iā. Repentè namque vir proficiens obscuratur, & expoliatur suauissima luce, amoreque dulci, manetque in terribili desolationis statu, & paupertate, qui anteà plenus erat diuitijs spiritualibus. Optimè pingit similem statum Iob, dicens de se ipso. *Ego ille quōdam opulentus repentè contritus sum. Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me quasi in signum. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* D. Gregorius explicat hunc textum de tentationibus, quas patitur fidelis anima ab inimico antiquo. Satis suis vocibus insinuat Iob statum animæ in via illuminatiua desolatæ, & quasi redactæ ad nihilū, & summā paupertatē spiritus & miseriā propter graues tētationes quas patitur.

Iob. 16. *S. Gregor. Mag. li. 13. mor. c. 6.*

Hæc est de qua fit mentio in Canticis, desiderans per exercitia spiritualia virtutum sponsum inuenire, sed nō potens, quia desolata: *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret, teste D. Bernardo: En gratia ipsius multis iam annis castè, sobrièque viuere curo, resisto vitijs, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. In sudore vultus mei comedo panem meum. Cæterum, quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. Quid nisi, iuxta Prophetā, vitula Ephraim sum, docta diligere trituram? Mādata forsan, vt cūq; adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis.

Cant. 1. *S. Ber. ser. 9. in Cant.* *Ose. c. 10.*

Duplex genus tentationum patitur. Primum, partem inferiorem concernit, vt sunt ille de quibus egimus in via purgatiua, quæ sunt spoliatio rerum terrenarum, amicorum, cognatorū, & derelictio omnium creaturarum, & obliuio omnis sanctitatis, & virtutis, quam habet, morbi varij, etiamque fortissimas carnis impugnationes prouenientes à dæmone; sicut legimus in P. N. Francisco, vt refert S. Bo-

Tract 6 c. 7 usque ad 12.

Bo-

Bonauentura lib. 5. suæ vitæ, & alijs viris eximiæ virtutis.

Sanctus Laurentius plures causas refert, ex quibus inueniuntur similes tentationes. Proficentium, inquit, interni motus, & pugnantium pro Christo, & virtutibus (vt plurimū) prouenient insultus, & tentationes ex infirmitate, ex ignorantia, ex consuetudine, ex natura, ex diuina dispensatione. Has latè prosequitur. Reuerà etenim mēs propria infirmitate relabi cō pellitur, quod est pęna originalis peccati. Vnde Propheta voce omniū gemens ait: *Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea* Hinc Apostolus deplorās, dicit: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Benè Bernardus aiebat loquens cū Deo: *Totis innitens viribus sursum tendo ad te summum bonum, sed quanto tendo fortius, tantò retrudor durius in terra, in me ipsum, sub me ipso. Sic respiciens me ipsum, factus sum mihi ipsi de me ipso laboriosa, & tædiosa quæstio.*

S. Lau. Iust. c. 7. de cast. connub.

Psalm. 50.

Ad Rom. c. 7.

S. Ber. c. 2. de amor. Dei.

Tētatio ex ignorātia oritur, eo quod ignorat homo spiritualis, quod ei magis expediat. Nescientia gignit dubietatem, dubietas timorem, timor pęnā; maximè quia mens in statu desolationis manet obscurata, & tenebris comprehensa. Ibi mentis inconstantia, animi pusillanimitas, cogitationum confusio, & perturbatio pacis interioris. Ideo dicebat Propheta: *Doce me facere voluntatē tuam, quia Deus meus es tu.* Quot tentationum bella patiuntur ex cōsuetudine nouerūt ipsi proficientes. Semper enim ad id quod reliquit, consuetudo reflectitur. More quidem fluminis de fluentis in alueum hæc repetit, & possessorem impellit ad pristina. Et quia purgati non sunt habituum malorum, ex omnibus tentationes dimanant, & pugna grauis eorum, adiuuante natura ad malum propensa. Quia rè sicut intus fremunt, vt prosiliant ad opus, ita quoque intus mucrone resistentiæ iugulari debent, iuxta doctrinam Prophetæ: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compūgimini.* Denique tentantur dispensatione diuina supra communem modum, vt illos sua permissione acerrima pugna præceteris gloriosiores efficiat.

Psal. 142.

Differunt tamen tētationes istæ proficientium à tētationibus incipientiū, quia quæ patiuntur incipientes, sæpè dimanant ex carnis petulantia, & nimia mortificatione: proficientium verò qui iam exercitatos habent sensus, à Demonis astutia originantur, eo quod caro magis est mortificata. Præterea incipientibus à rebellis carnis motu inopinatè antè villam animi operationem huiusmodi tentationes solent pullulare. Illuminatis proficientibus se ingerunt in imaginatione tentationes turpes, antè carnis motus. Aliquando ipsa silente carne concutit tētatio imaginationem, totumq; hominē. Hoc euenit, quia in via purgatiua non est animus perfectè purgatus, ideo indiget purgatione passiua, vt diuina cōmunicatio fortis, & magis spiritualis fit, & permaneat.

De secundo genere tentationū, quæ ad spiritum spectant agit doctus Taulerus, dicens: Dominus prosternit, ac deijcit, & deprimit hominem, & hoc est, quod Hieremias ait: *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione repleuisti me.* Quid est cha rissimi hoc? Vbi quis ad intimam peruenit, quietem, & intra se ipsum in fundum suum peruenit, comminatione, & terrore replet eum Dominus, tamquam si vtroque pugno illimine tur. Alter pugnus est, caligo, & tenebræ, & profundum, ac desolatū iter, quæ illi intus occurrunt, ita vt nihil sciat, nihil habeat, & insuper adhuc omne malum, vehementissimæ quoque tentationes, superbiæ, perfidiæ, & aliæ plurimæ, & diuersæ impugnationes. Quæ omnia se iam pridem euasisse, & superasse credebat, rursus in eū irruunt, & fortiter oppugnant. Hinc comminatione, & terrore repletur. Alter pugnus est, horrenda iudicia Dei, quæ illi Deus intus proponit, quibus consideratis non habet iam, quo se collocandum censeat, præter quā in profundissimo inferno. Hi pugni hominem mirabiliter premunt. Hæc ille. De his, etiam actum est in via purgatiua citata.

Taull. ser. 1. de S. August.

Deinde solent hi proficientes tentari nimio, & indiscreto zelo. Qui multiplex est. Quidam enim externę disciplinæ, & ceremoniis, ac obseruātijs nimis addicti sunt, adeo vt illas omnibus rebus postponere videatur. *Qui* (teste Bonau.) *pro vna inclinatione in choro neglecta plus acrè tantur, quā pro lōga*

rum quoddam pertingerunt otium, vbi à cunctis sint virtutibus absoluti. Quapropter libertate gaudere volunt, nec parere Summo Pontifici, Episcopis, Doctoribus, nec suis Prælatis. Quòd si foris obedientiam falsam ostendunt, nulli tamen intus, neque actione, nec voluntate subdicti sunt, ipsi quidem suprà omnes omnino, & Angelorum, & Sanctorum Choros, atque præmium omne, quod vlla ratione mereri quis posit, subleuatos esse se putant. Ideòque nihil se vltra mereri, nullum vnquam ampliùs in virtutibus profectum facere, sed neq; peccatum deinceps vllum admittere posse. Quippe qui spiritum suũ Deo tradiderunt in quiete, & otio. Hinc iam quicquid corpori libet, etiam licere sibi affirmant: vtpotè qui ad statum innocentiæ reducti nullam sibi habeant positam, ac præscriptam legem.

Denique ex cap. 79. Præter hos aliud genus hominũ peruersum fuit. Isti Deum patientes dicisse volunt, & cum superioribus consentiunt, quòd se quoque ab omni actione immunes, & otiosos putant; esseque velut quoddam instrumentum Dei, quo Deus quicquid, & vtcumque velit, agat. Affirmant absque vlla actione merè se pati, eaque opera, quæ Deus ipsis tanquam organis suis perficiat, præclariora, ac meriti maiora esse, quàm cuiuslibet alterius, quæ ipsimet in Dei gratia egerint. Aiunt Deum se pati, & sustinere, nihil seipsos agere, sed actus suos omnes Deum operari. Deindè nullum se peccatum cõmittere posse asseuerant, eo quòd Deus in ipsis agat omnia, ipsi verò planè otiosi sint: & quicquid Deum vellit, id per se ipsos fieri, nihil præterea. Hi omni actione postposita otio se tradiderunt. Ad quæcunque intus incitantur, siue virtuti consentanea sint, siuè ab ea abhorreant, omnia putant ab Spiritu Sãcto proficisci. Isti viuunt vitam contrariã Deo, & Sanctis omnibus, & sicut prædicti sunt Antichristi. Hæc ex Rusbroquio multis cancelatis breuitatis causa. Huiusmodi falsò illuminati ab Ecclesia damnati sunt: atque ex dictis hucusque satis refutati.

CAPVT [illegible]

Quæ tentationes inueniantur in via illuminatiua supernaturali.

CONcors sententia Patrum, & experientia docent reperiri in via illuminatiua varias, & plures tentationes, sicut in via purgatiua diximus iã. Repentè namque vir proficiens obscuratur, & expoliatur suauissima luce, amoreque dulci, manetque in terribili desolationis statu, & paupertate, qui antea plenus erat diuitijs spiritualibus. Optimè pingit similem statum Iob, dicens de se ipso. *Ego ille quõdam opulentus repentè contritus sum. Tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me quasi in signum. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* D. Gregorius explicat hunc textum de tentationibus, quas patitur fidelis anima ab inimico antiquo. Satis suis vocibus insinuat Iob statum animæ in via illuminatiua desolatæ, & quasi redactæ ad nihilũ, & summã paupertatẽ spiritus & miseriã propter graues tẽtationes quas patitur.

Iob. 16.

S. Gregor. Mag. li. 13 mor. c. 6.

Hæc est de qua fit mentio in Canticis, desiderans per exercitia spiritualia virtutum sponsum inuenire, sed nõ potens, quia desolata: *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret, teste D. Bernardo: En gratia ipsius multis iam annis castè, sobrièque viuere curo, resisto vitijs, orationi incumbo frequenter. Vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. In sudore vultus mei comedo panem meum. Cæterum, quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. Quid nisi, iuxta Prophetã, vitula Ephraim sum, docta diligere trituram. Mãdata forsan, vt cũq; adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis.

Cant. 1.

S. Ber. ser. 9. in Cant.

Ose. c. 10.

Duplex genus tentationum patitur. Primum, partem inferiorem concernit, vt sunt ille de quibus egimus in via purgatiua, quæ sunt spoliatio rerum terrenarum, amicorum, cognatorũ, & derelictio omnium creaturarum, & obliuio omnis sanctitatis, & virtutis, quam habet, morbi varij, etiamque fortissimas carnis impugnationes prouenientes à dæmone; sicut legimus in P. N. Francisco, vt refert S.

Tract 6 c. 7 usque ad 12.

Bo-

Bonauentura lib. 5. suæ vitæ, & alijs viris eximiæ virtutis.

Sanctus Laurentius plures causas refert, ex quibus inueniuntur similes tentationes. Proficentium, inquit, interni motus, & pugnantium pro Christo, & virtutibus (vt plurimū) proueniunt insultus, & tentationes ex infirmitate, ex ignorantia, ex consuetudine, ex natura, ex diuina dispensatione. Has latè prosequitur. Reuerberata mēs propria infirmitate relabi cōpellitur, quod est pœna originalis peccati. Vndè Propheta voce omniū gemens ait: *Ecce enim in iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hinc Apostolus deplorās, dicit: *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Benè Bernardus aiebat loquens cū Deo: *Totis innitens viribus sursum tendo ad te summum bonum, sed quanto tendo fortius, tantò retrudor durius in terra, in me ipsum, sub me ipso. Sic respiciens me ipsum, factus sum mihi ipsi de me ipso laboriosa, & tædiosa quæstio.*

S. Lau. Iust. c. 7. de cast. connub.

Psalm. 50.

Ad Rom. c. 7.

S. Ber. c. 2. de amor Dei.

Tētatio ex ignorātia oritur, eo quod ignorat homo spiritualis, quod ei magis expediat. Nescientia gignit dubietatem, dubietas timorem, timor pœnā; maximè quia mens in statu desolationis manet obscurata, & tenebris comprehensa. Ibi mentis inconstantia, animi pusillanimitas, cogitationum confusio, & perturbatio pacis interioris. Ideo dicebat Propheta: *Doce me facere voluntatē tuam, quia Deus meus es tu.* Quot tentationum bella patiuntur ex cōsuetudine nouerūt ipsi proficientes. Semper enim ad id quod reliquit, consuetudo reflectitur. More quidem fluminis de fluentis in alueum hæc repetit, & possessorem impellit ad pristina. Et quia purgati non sunt habituum malorum, ex omnibus tentationes dimanant, & pugna grauis earum, adiuuante natura ad malum propensa. Quarè sicut intus fremunt, vt prosiliant ad opus, ita quoque intùs mucrone resistentiæ iugulari debent, iuxta doctrinam Prophetæ: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Denique tentantur dispensatione diuina supra communem modum, vt illos sua permissione acerrima pugna præ ceteris gloriosiores efficiat.

Psal. 142.

Differunt tamen tētationes istæ proficientium à tētationibus incipientiū, quia quæ patiuntur incipientes, sæpè dimanant ex carnis petulātia, & maiori mortificatione: proficientium verò qui iam exercitatos habent sensus, à Demonis astutia originantur, eo quod caro magis est mortificata. Præterea incipientibus à rebellis carnis motu inopinatè antè vllam animi operationem huiusmodi tentationes solent pullulare. Illuminatis proficientibus se ingerunt in imaginatione tentationes turpes, antè carnis motus. Aliquando ipsa silente carne concutit tētatio imaginationem, totumq; hominē. Hoc euenit, quia in via purgatiua non est animus perfectè purgatus, ideo indiget purgatione passiua, vt diuina cōmunicatio fortis, & magis spiritualis sit, & permaneat.

De secundo genere tentationū, quæ ad spiritum spectant agit doctus Taulerus, dicens: Dominus prosternit, ac deijcit, & deprimit hominem, & hoc est, quod Hieremias ait: *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam comminatione repleuisti me.* Quid est charissimi hoc? Vbi quis ad intimam peruenit, quietem, & intra se ipsum in fundum suum peruenit, comminatione, & terrore replet eum Dominus, tamquam si vtroque pugno illiminetur. Alter pugnus est, caligo, & tenebræ, & profundum, ac desolatū iter, quæ illi intus occurrunt, ita vt nihil sciat, nihil habeat, & insuper adhuc omne malum, vehementissimæ quoque tentationes, superbiæ, perfidiæ, & aliæ plurimæ, & diuersæ impugnationes. Quæ omnia se iam pridem euasisse, & superasse credebat, rursus in eū irruunt, & fortiter oppugnant. Hinc comminatione, & terrore repletur. Alter pugnus est, horrenda iudicia Dei, quæ illi Deus intus proponit, quibus consideratis non habet iam, quo se collocandum censeat, præter quā in profundissimo inferno. Hi pugni hominem mirabiliter præmunt. Hæc ille. De his, etiam actum est in via purgatiua citata.

Taull. ser. 1. de S. August.

Deinde solent hi proficientes tentari nimio, & indiscreto zelo. Qui multiplex est. Quidam enim externæ disciplinæ, & ceremonijs, ac obseruātijs nimis addicti sunt, adeo vt illas omnibus rebus postponere videantur. *Qui* (teste Bonali) *pro vna inclinatione in choro neglecta plus accusantur, quā pro lōga*

detractione de alio Religioso excitata, & grauius indignatur pro versiculo, aut rubrica prætermissa, quam pro magna perturbatione cum schandalo procurata. Alij corporis validi solas asperitates ipsius corporis in prætio habent; & dum corpus immoderatis ieiunijs, vigilijsque macerant; alios, vel ob status necessitatem, vel ob corporis imbecillitatem mitiorem vitã amplectentes contemnunt. Atque vt ille superbus Pharisæus, qui ieiunabat bis in Sabbato se alijs ieiunãtibus præferunt. Alij, qui cum prædictis sunt numerandi religiosam disciplinam, & vitæ externam seueritatem mordicus tenent, cællam amant, silẽtium obseruant, & in nullo ab obseruantia deficiunt; at amarissimis cogitationibꝰ fratres suos in aliquo illorũ remissos contra veram charitatem damnant; & non solum corde, sed ore illi perfectos, & vitę religiosæ destructores proclamant. Alij ardent desiderio reducendi animas ad veritatem. At minimè discretione moderantes exercent cum magno periculo suę conscientiæ; obliuiscuntur se homines esse, ideoque occasiones peccandi nõ timent, & omnia tuta, & secura ignorantèr prætendunt. Pro hac tentatione diabolica vide dicta suprà.

Luc.18.

Tract.6.c.

Denique, alij laborant tentatione diaboli occulta in extruẽdis, reparãdisque ædificijs cellæ, vel Conuẽtus, vt sic non maneat tempus orationis, vel ob laborem nimium defessi, minus apti sint ad vacandum Deo. Casum inuenio in Cassiano, quem sic narrat: Quidam probatissimus Seniorum, cũ transiret iuxtà cællam cuiusdam fratris, hac animi ægritudine laborantis, vtpote qui in struendis, reparandisque inquietus, quotidianis distentionibus distuaderet, & eminus conspexit eum graui malleo saxum durissimum cõterentem, vidissetque Aethiopem (scilicet dæmonem in forma Aethiopis, sic apparuit plerumque ex eodẽ Cassiano Collat. 2. c. 13.) quendam adstantem illi, & vna cum eodem ictus mallei iunctis, consertisque manibus illidentem, eumque ad operis illius instantiam ignitis facibus instigantẽ, diutissimè subsistit, & impræssionẽ dirissimi dæmonis, vel fraude tantæ illusionis admirans, cum enim nimia lassitudine fatigatus Frater requiescere, iamque finem operi voluisset imponere, instigatione spiritus illius animatus, iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione cepti operis vrgebatur; ita vt iisdem eius incitamentis infatigabilitèr sustentatus tanti laboris non sentiret iniuriam. Quam visionem videns Senex accedens cęllam tentatiõne manifestauit.

Cassian.collat.9.c.6.

Hinc optimè dixit D. Bonauentura ex Gregorio M. g. *Cum animus diuiditur ad multa fit minor ad singula, tantòque in vnaquaque re surripitur, quantò latius in pluribus occupatur. Qui valetis occupationes istas fugite: quia quantò quisque in eo profecerit, tantò vt video ab amore Dei amplius decrescit.* S. Leo. *Diabolus omnium discutit consuetudines, omnium ventilat curas, omnium scrutatur affectus; & ibi causas quærit nocendi, vbi quempiam viderit studiosius occupari.* Toto ergo conatu, & studio amputãda sunt similes occupationes superfluæ, vt diabolus victus relinquatur. Pro remediis allatum tentationum huius capitis vide dicta suprà, & Rusbroch. lib. 2 spirit. nupt. c. 30.

S. Bon. lib. 3. Pharet. c.4.

S. Leo Pap. serm.7. de Natiuitat. Domin.

Tract.6.c. 13. 14. 15. & 16.

Tempore desolationis afficitur mens molestissima afflictione, estque quoddam genus martirij spiritualis, quia necesse est, vt quasi à se deficiat, & ad nihilum redigatur propter connaturalitatem, quam habet cum suis passionibus, & imperfectionibus nondum mortificatis. Docet id ipsũ Ezechiel his verbis satis significatiuis: *Pone quoque eam super prunas vacuã, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & conflетur in medio eius inquinamentũ eius, & consumatur rubigo eius.* Fortis est purgatio ignis, sed necessaria, vt mens vacuetur à semetipsa, & comburantur passiones, & imperfectionũ rubigo. De hoc igne spirituali fit mẽtio in Euangelio: *Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur:* Quo anima purgatur, & melioratur, & eius potentiæ perficiuntur, ad perfectiorem modumque communicationis diuinæ. Audiamus Bonauẽturam dicentem *Venit Dominus ignem mittere in terram, non vtique bonorum consumptorem, sed bonæ voluntatis auctorem, scilicet Spiritum Sanctum, qui aurea vasa dominicæ domus, idest, animæ potentias capaces diuinitatis meliorat, bonis, & virtutibus or-*

Luc.12.

S. Bonau. de 7. don. Spir. 5. c.1.

ornando & perficiendo. Benè quidem, quia, *Deus tuus* (O anima in igne afflicta) *ignis consumens est*. Vtique passiones, & imperfectionum rubiginem.

Potior afflictio proficientiũ, ac magis sensibilis est, quod indicat se cõsensisse tentationibus, vt insinuat Dauid: *Saluũ me fac Deus, quoniã intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*. Non dixit, vsq; ad memoriam, & intellectum, nec vsque ad carnem, & imaginationem, sed, *vsque ad animam meam*, vbi fit consensus voluntatis. Concordant sequentia: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*. Qui enim demergitur, ab aquis possidetur. Circa faciendum iuditium consensus voluntatis, vide iam acta. Agitur, etiam alia grauissima afflictione, eo quod iudicant nõ exaudiri à Deo in suis orationibus, & petitionibus, imo repulsam secũdum illud: *Opposuisti nubem, ne transiret oratio: sed & cum clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam*.

Psalm. 68.
Tra. 6. c. 9.
Thren c. 3

CAPVT VI.

Vtilitates desolationis viæ illuminatiuæ.

VErissimum est, quod de tribulatis tentationibus, dixit D. Laurentius, nimirum: Dei sapientia ordinatissimè dominari in illis permittit electis, vt semper vndè se humilient, seque exerceant, materia non desit. Et: *Hoc diuinæ sapientiæ magisterium est, quæ virtutis defectum ad sanctorũ suorum facit militare profectu. Hoc de fonte æternæ charitatis noscitur emanare. Nunquã vult, vt deficiat, q impugnet, vt ex certamine nunquam desit, vnde coronet*. In huius veritatis figura permisit, vt populũ Israeliticũ insequeretur Pharao, & vt in deserto aqua deficeret, vt populi, ad quorum terram possidendam vocabantur, resisterent, vt etiam eadem possessa reliquiæ gentium tributariæ in medio eorum remanerent, victis Pharaone, & inimicis.

S. Lau. Iust. c. 7. de cast. connub.

Prima vtilitas tenebrosæ huius desolationis, est cognitio humilis sui ipsius, quo humiliatur videns paupertatem suam in rebus spiritualibus. Aliquando sponsa desiderauerat, ac petierat claram Dei visionem, & tamen, ait sponso: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Hic sanè non ipsum, sed locum habitationis gloriæ eius, sibi indicare requirit. Hic docta fuit, vt se ipsam cognosceret, quia in hoc aliquatenus caligauerat. *Ergo* (inquit Bernardus) *ad se ipsam protinus re uocatur & ignorantia conuincitur & insolentia castigatur. Si ignoras te egredere. Terribiliter sponsus intonat in dilectã, non tanquam sponsus, sed tanquam magister, & non quasi iratus, sed vt territa purgaretur, purgata idonea redderetur huic ipsi cui inhiat visioni*. Ideo pulchra abore sponsi vocatur.

Cant. c. 1.
S. Ber ser. 38. in Cãt.

Hinc simili cognitione sui tenebras fugat, & paulatim ad perfectissimam Dei vnionem ascendet. Apertè testatus est D. Dionysius, dicens: *Porrò, qui propria sua rectè irreflexis oculis consideraret, abditas quidem ignorationis sui tenebras eliminabit, perfectissimæ tamen Dei vnionis, & participationis adhuc exors, eiusdem desiderio, sponte non afficietur, sed sensim primũ à propriis ad potiora, & ex iis ad potissima, nec non perfectius iam in ordine ad principalem Dei celsitudinem sacro quodammodo euehetur*. Vbi alter Dionysius commentatur: salubetrimum est, te ipsum cognoscere. Talis ascendet ad perfectissimam vnionem cum Deo per actus clarissimos doni sapientiæ, ac diuini amoris igniti per exercitia proficientium.

S. Dionys. Areop ca. 2. de Eccle siast. Hier.
Dion. Carthus. ibi art. 4.

Diuina luce communicata, & vnione animæ per amorem cum Deo exercita, ipse Deus magis, ac magis se communicat, iuxtà mentis dispositionem. Iterum D. Dionysius agens de Deo nomine lucis celebrato, ait: *Datque primum mediocrem splendorem, deinde, tanquam degustato lumine, & oculis iam magis post degustationem lumẽ appetentibus, magis se impertit, & copiosius fulget, quia dilexerũt multum; ac semper eas vlterius prouehit proportione studii earum ad aspiciendum sursum*. Sicq; mens magis, ac magis purgatur luce, & amore, ac repurgatur. Dictum est enim (ait S. Maximus:) *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non cõfundentur*. Multum diligenti, multum etiam dabitur iuxtà mensuram dilectionis.

S. Dionys. Areop. ca. 4. de diuin. nomin.
S. Max ibi
Psalm. 33.

Vndè, Deus tunc reuocat mentem illuminatam ad simplicem cognitionem silentibus potentijs, quia eas conge-

S. Dionys. immediatè citat.

gregat. Audi tertiò Dionysium: *Etenim sicut ignorantia errantes dirimit; sic aduentus luminis congregat, & copulat illuminatos, perficitque eos, & ad id quod verè est conuertit, à multis opinationibus eos reuocans, vel, vt magis proprie dicam, varia in vnam veram, & puram, ac simplicem cognitionem contrahit, & vno lumine vnifico implet.* Tunc anima introrsum conuertitur redacta ad veram, simplicemque vnitatem.

Contemplationem istam vocat idem Dionysius animi motum orbicularem; estque eius ab extraneis in semetipsum introitus, spiritualiumque ipsius facultatum vnimoda inflexio, quæ quasi in circulo fixum ab omni errore liberum motum ei tribuit, & à multis rebus extraneis ipsum conuertit, ac colligit primùm ad se, deinde, quasi iam vniusmodi effectum, coniunctis vno modo facultatibus coniungit, atque ita demum ad pulchrum, ac bonum manuducit, quod supra omnia quæ sunt, & vnum, & idem, & sine principio, & sine fine est. Duo requiruntur ad hanc contemplationem secundùm Dionysium. Primum est, introitus animæ ad seipsam ab exterioribus. Secundum est, remouere discursum meditationis, vt reducantur animæ operationes ad simplicem contemplationem summæ veritatis. Et hoc est illud: *Quasi iam vnius modi effectum, coniunctis vno modo facultatibus.* Vt sic figatur mens in simplici intuitu veritatis.

Huiuscemodi lux participata, siue contemplatio post passionem tentationum maximum donũ Dei est. Primò, quia magis participat mens de ipso Deo, qui summa lux est, & fit illi similior, & cum qua, vtpotè pura, & ad amorem incitans, quia secum calorem trahit, omnes potentias interiores ad Deum vniformiter reducit: veluti in centro omnes lineæ circuli vna copulatione simul existunt, & punctum habet omnes rectas lineas vniformiter copulatas inter se, & cum vno principio à quo exierunt, & in ipso centro omnino copulatæ sunt.

Secundò, quia media cõtemplatione ista sequitur quies, & pax animæ perfectiores, ac fiũt in via purgatiua supernaturali. Eo quod iam vitia magis sunt mortificata, & tentationes cessarunt, & animam purgatam reliquerunt. Sic ait Ricardus: *Mentis pax, & tranquillitas lectulus est, in quo sponsa quiescit. In hoc lectulo quærit sponsum per noctem, quia post pugnam, & labores victoria successit, & pax data est.* Scriptum enim est de Deo: *Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igne. Psalm. 45.* Tunc anima vacat orationi, & videt quoniam suauis est Dominus. Deinde, plus illuminata, & eleuata quærit Deum per virtutes aspirans ad perfectas; vt benè prosequitur ibi Ricard. cap. 2 & 3. Hoc spectat ad ascensum perfectionis, & contemplationis: *Humani animi*, aiebat D. Laurentius: *Deo dicati ordinatissimus ascensus, siue ad perfectionis culmen, seu ad contemplationem cœlestium est, vt salubriter purgetur, deinde, vt erudiatur sapienter. Alter si segregetur ab altero, amanti plurimum nocet, currẽtisque profectum retardat. Nam, & terra sterilis diuque inculta si prudenti agricultori excolenda tradatur, prius sarculo & vomere mundatur à sentibus, vt vberem ex se proferat fructum.* Multis probat suam sententiam.

Ric. Victor. in Cant. c. 1 p. 2.

S. Laurent. Iust. c. 14. fascicul. amor.

Eruditur animus vera discretione, qua scilicet, non solum deponit omnia exteriora suæ internitati contraria, in amore, intentione, sensuali oblectatione, temporali possessione, vel occupatione, in amicorum, & cognatorum frequentatione, in locutione, cogitatione, & operatione, ac similibus: sed etiam qua probat exteriora exercitia, quæ magna videntur in ieiuniis, abstinentiis, vigiliis, ciliciis, & similibus. Sicque illuminatus discretè eligit meliora, quæ magis consonant vitæ internæ.

Perseueret igitur spiritualis vir tempore tentationum, clamet ad Dominum, & subsistat, vt plus, & plus illuminetur, & accendatur in eius amore. Teste namque D. Gregorio: *Cùm tenebrescere per tentationem cœperit, se se interim lux interna succendit. Vnde subditur: Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperum.* Explicat Sanctus istum locum, & prosequitur: fulgor quippè meridianus in vespere, est virtutis renouatio in tentatione: vt repentino charitatis feruore mens vigeat, quę iam iamque lumen sibi gratiæ occubuisse formidabat. Quod adhuc

D. Gregor. Magn. lib. 10. Moral. c. 12. Iob. ca. 11.

huc Sophar subtilius aperit, cùm subiungit: *Et cùm te consumptum putaueris, orieris, vt Lucifer.* Cùm ergo tempore desolationis te consumptum putaueris, vt Lucifer orieris, si perseueraueris; quia ex tenebrarum tentationum caligine oritur lux contemplationis infusæ, & charitatis feruor.

S. Ber. lib. de amor Dei cap. 9. Ose cap. 8.

Sapienter consonat Bernardus, his verbis stans igitur in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculũ habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritum. Et non numquam Domine quasi clausis oculis ad te inhianti mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidẽ sentio dulcẽ adeò, suauẽ adeò, & cõfortantem; vt si perficeretur in me, nihil vltra quærerẽ, sed cum accipiens, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu aduertere me permittis quid sit. Hæc ille. Concommitantur aliquando dulcia suspiria, & lachrimæ, panes vtique confirmantes, & ad meliora prouocantes; & perficientes cor hominis, & dulciores super mel, & fauum.

Scias tamen in tali statu multoties dona illa aufugere, manereque spiritũ iterum desolatum absque memoria illorum. De seipso fatetur mellifluus Bernardus satis expertus. Cum accepero (inquit) & ruminare volo, & diiudicare eius saporem, statim transit: deglutio quidem illud in spem vitæ æternæ, sed operationis eius virtutem diu ruminando, omnibus animæ meæ venis, & medullis, quasi vitalem quendam succum optabam trasfundere, vt ab omnibus aliis affectionibus dissiparer, & illud solùm, & semper saperem, sed festinat transire. Et cùm de inquisitione eius, vel vtcumque formata quædam delineamenta memoriæ gestio artius impressa committere, vel etiam memoriam labilem ex ipso iubare, te & experimento cogor discere, quid illud sit, quod in Euangelio dicis de spiritu (loquitur cum Deo) & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Paulò infra: Sentiens etiam in me, quia non quãdo ego volo, sed quando ipse vult spirat: omnia illa mortua inuenio, & insipida, & ad te solum leuandos esse oculos, fons vitæ, vt in tuo solo lumine videam lumen. Satis grauis sententia, & ad rem.

Ioann. c. 3.

Experientia docet magna in Theologia mystica.

CAPVT VII.

De gradu in quo exercentur virtutes in via illuminatiua supernaturali.

IN via hac illuminatiua, perfectior est spiritus humanus, ac in purgatiua, plus namque est illuminatus, & à Spiritu Sancto melioratus. De quo verificatur, quod sentit D. Ambrosius super illud Euangelij: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? Nõ vtique (ait) illum ignem consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea dominicæ domus vasa meliorat, fœnum verò consumit, & stipulam, ac sæcularis omnia mundi voluptate concreta, peritura quia opus carnis exurit.*

Luc. c. 12. S. Ambros. libr. 7 in Luc. ca. 12

Vnde igne diuino in nos à Deo deriuato plus conuertitur ad ipsum voluntas, plusque accedit ad simplicem vnionem, & deificationem. Hinc D. Dionysius adducens illa verba Iacobi: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum, &c. Quin & omnis à Patre motæ illustrationis emanatio, in nos beneficè exundans, denuo ceu vnifica vis, ad superna nos reuocando simplificat, & conuertit ad congregantis Patris vnitatem, & ad Deificam simplicitatem.* Vbi commentator Lincolniensis, exponit Dionysium, de lumine diuino, quod nos extendit, dilatat, & maiorat, conuertitque nos ad Patris congregantis vnitatem. Et sic spiritus adhærens Deo puro amore fit magnus, expansus, & simplex, & vnitus, quia à dispersione congregatur. Vide Carthusianum. Hoc habet illuminatio huius viæ à Deo communicata, vt mentem ad Deum ipsum colligat, & ad meliorem statum eleuet, non solũ per contemplationem, & amorem, sed etiam per exercitium omnium virtutum, in quibus anima similis Deo efficitur, vt alibi dictum est.

Epist. Cath. S. Dionys. Areop c 1 de Cœlest. Hierarch.

Linc. ibi.

Dion. Carthus. ibid. art 4.

Tract. 5. de vit. actiu. virtut.

Diuersimode possidentur virtutes in via Dei. Aliter possident incipientes, in quibus regimẽ vitæ, quoad opera exteriora, pront, scilicet, pugnant principaliter contra vitia, & instruunt ho-

homines in agendis. Hæ vocantur virtutes politicæ, quia poliunt hominem, & ornant in vita ciuili. Aliter possidet proficientes, qui sunt in victoria vitiorum, & partim consistunt intra, & partim extra. Tunc vocãtur virtutes purgatoriæ, de quibus nunc agitur, omissis, quę ad perfectos spectant, & sunt animi iam purgati. Lege Henriq. Harph. lib. 1. mystic. Theolog. cap. 23. De gradibus virtutum latè disseruit Plotinus Philosophus ex doctrina Platonis, & Macrobius eleganter in compendium redigit, libr. in somni. Scip. cap. 8.

Ennead. 1. lib. 2. c. 3.

Charitatis quidem gradus feruentior est, ac in via purgatiua, & spei propter maiorem illustrationem contemplationis, & diuinum ignem afferentis. Fidei gradus amplior est, quo aperitur cor hominis, vt ad eum ingrediatur Spiritus Sanctus dignatissima inclinatione, & amplexu, doceaturque nobiliori cognitione Dei. Dicitur in Apocalipsi: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Aptè Rupertus inquit: *Pulchrum est videre hunc introitum Paracleti, vbi stanti illi ad ostium, & pulsanti fides ianuam aperit, & ille ingressus demittit se, in amplexum fidei, & cœnat cum illa, & ipsa cum eo.* Et paulisper infra: *Ipse Spiritus Sanctus dux est itineris, siue introitionis, & miro, ac ineffabili modo, cum ipse sit donum Patris, & filii cum eo modo, de quo nunc agimus, scilicet sensibili gratia, quæ magna prærogatiua est, introieret, & Patrem dat, & filium, id est, cognitionem efficit Patris & filii.*

Apoc. c. 3.
Rup. lib. 2. de process. Spir. S. ca. 24.

Deinde, hoc gradu fidei disponitur anima ad recipiendam sacrã Eucharistiam, tali præparatione, vt simili retribuere velit Christo conuiuanti, hoc est, animam ponere pro illo. Iterum Rupertus sic ait. Fides namque per spem, hoc operatur in homine, vt accedat ad illam, quam sapientia ædificauit sibi domum, & ad conuiuium victimarum, quas illa immolauit, ad viuendum vinum, quod illa miscuit, ad edẽdum panem, quem illa proposuit, taliter præparata mente, vt simili retribuere velit, scilicet, animam ponere pro illo, qui prior in tantum dilexit, vt animã suam poneret pro nobis. Hæc ille. Tam nobiles effectus non oriuntur, nisi ex feruenti gradu fidei.

Ruper. lib. 7. ca. 14.

Concomitatur gradus nobilis fortitudinis, quæ vocatur fortitudo simplex, quæ teste N. Henrico ad tria donatur. Primò ad perficiendas operationes viriles, quibus superantur peccata, & omnes tentationes, contemnantur quę omnia hæc inferiora, & omnia ornamenta virtutum conseruentur. Secundò, ad fortiter pugnandum contra tentationes diaboli, mundi, & carnis. Tertiò, ad sufferendam omnem tribulationem, afflictionem, & aduersitatẽ, per verã patientiam, de qua dicit Cassiodorus, super Psalterium: Pacientia vincit aduersa, non colluctando, sed sufferendo: non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est, quæ fæces totius voluptatis abstergit, ipsa quæ animas Deo lympidas reddit: & tunc totus homo exterius, & interius perfunditur sapore quodã mellifluo, estque pro tunc in præsentia altissimæ Trinitatis, à qua recipit mellifluũ saporẽ internæ suauitatis, & consolationis, cuius tractu contemnit omne, quod mundi est, liber ab omnĩ inordinatione affectionũ, vel occupationũ, & præ ebrietate spirituali non sentit vllam pœnam, tribulationem, aut aduersitatem. De gradibus aliarum virtutum præcipuarum, multa dicta manent tract. citato de vita actiua virtu. Ideo omittimus, sicut, & agere de alijs breuitatis causa, longum enim esset, & prolixum. Videre poteris D. Bonauenturam.

Henr. Harph. libr. 2. Theol mystic. ca. 38. p. 3.
S. Bona. de grad. virt. to. 2. opusc.

Qua ratione homo spiritualis in via hac illuminatiua renouetur in potentijs interioribus per exercitia virtutũ audi ex eodem Seraph. Doctore. In intellectu (inquit) tres gradus sunt. Primus, credere simpliciter, vt rustici. Secundus, penetrare intellecta. Tertius, quasi videre quæ creduntur. Primus pertinet ad habitum fidei. Secundus, ad donum intellectus. Tertius, ad gratiam gratis datam fidei, & beatitudinẽ quintam: nempè beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. In voluntate sunt etiam tres gradus. Primus est, resistere vitijs. Secundus est, passionibus imperare, & pace frui. Tertius. Deo adhærere, & vniri, quando iã virtutes transeunt in affectum cordis. In memoria primus gradus est, animam cũ labore ab euagationibus reprimere. Secũdus est, meditationibus, sine pugna imaginationis insistere. Tertius immobiliter in Deo stabiliri. Sic Sanctus.

S. Bona de reform. homi. intr. cap. 12. & seqq.

via

Cùm ergo virtutes sic exercitæ in via illuminatiua tendant in diuinam similitudinem; ideo vir spiritualis celeri motu ad diuinam tendit vnionem per ipsas virtutes, tanquam per dispositionem proximam, incipitque in diuinam similitudinem transformari. Deinde, per dona Spiritus Sancti fortitudinis intellectus, & sapientiæ illustratur ad contemplationem præstantissimarum virtutum Christi, quarum exemplar in corde suo imprimit. Iam que sicut ceruus desiderat fontes aquarum ad sitim sedandam, ita spiritus desiderat vnionem diuinam, ad quam sitit. Soletque loqui cum Deo. Dissolue, pie Domine, me à vinculis, quibus cōstrictus teneor, vt omnia illa relinquēs tecum vniar. Iube pulsanti aperiri misero, vt liberis gressibus requiescam in te, & à te reficiar. Da mihi te, & redde te mihi per intimam vnionem, vt currat vita mea in amplexus tuos, donec abscōdar in abscondito vultus tui. Per tuam gratiam quæro te, possidere te cupio, & in secreto cubiculi cordis mei tecum commorari desidero. His ignitis aspirationibus & similibus ad veram vnionem aspirat toto affectu.

TRACTATVS OCTAVVS

DE VIA VNITIVA SVPERNATVRALI.

DEbito ordine procedentes accedimus iam ad viam vnitiuam supernaturalem, quæ scopus, & finis est contemplatiuæ vitæ. Teste Gersone est etiā; qua homo per amorosam cognitionem, & adhæsionem, vnitur summo bono congratulando perfectionibus suis, & totum se intimè subiciendo ei promptissima voluntate. Tunc anima in Deo plena est, nec alia quærit, nec vult; imò intimo affectu totali, dicit cum B. P. N. Francisco: *Deus meus, & omnia.* Obliuiscitur sui, & omnium extra Deū; quia, vt inquit D. Dionysius: *Est diuinus amor extaticus, qui non sinit esse suos eos qui sunt amatores, sed eorū quos amant. Vnde Diuus Paulus diuino isto amore captus, & virtutis extaticæ particeps factus, diuino ore ait: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Vbi Carthusianus inquit: *Amor spiritualis, ac feruidus extra se ponit amantem, transferendo, & quasi trāsformādo eū in suum dilectū, cui illū intensè coniungit.* Hinc alia habet trāslatio. Est autem, & extasim faciens amor diuinus, non sinens se ipsos esse amantes, idest, non permittens eos esse tantummodo, id quod sunt in propria sua persona, sed quasi vnum faciens cū amato, sicut ait Philosophus: Amicus est alter ego. In hoc fœlici statu Paulus eleuatus aiebat: *Quis nos separabit à charitate Christi, &c.* Nimirū, *quia fortis est, vt mors dilectio.* Fitque diuina miseratione (ait D. Bonauentura) *hac victoria perfruitur, vt in quātum per amorem integrum se subiicit suo creatori, in tantū caro spiritui subiecta contra naturalem inclinationem ipsius iussioni obtemperet, & diuino iudicio consequatur, vt sicut est communis sui conditoris per amorē prouecta, sic sequitur corporis subiecti, & mentis concordia, vt in proprio corpore, veluti in regno possideat, & dicat cum Psalmista: Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter caro mea.*

Gers. tract. de eleuat. ment. in Deum prop. 3.

S. Dionys. Areop. c. 4 de diuin. nomin.

Dion. Carthus. ibid. art. 5.

Rom. c. 8.

S. Bon. mystic. Theol. c. 3. de via vnit.

Psalm. 62.

Agens D. Bernardus de ista vnione, hæc loquitur: iam verò animæ redditus, conuersio eius ad verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? in charitate. Ait enim: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos. Talis conformitas maritat animam verbo, cùm cui videlicet similis est per naturam, similē nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Verè spiritualis, sanctique connubij contractus est iste. Parum dixi contractus, cōplexus est. Complexus planè vbi idē velle, & nolle idem vnum facit spiritum de duobus. Hactenus Bernardus.

S. Ber. ser. 83. in Cāt.

Ad Eph. c. 5.

Vnio

Vnio ista est illud osculum, quod fælix anima anxiè petit: *Osculetur me osculo oris sui.* Quid autem sit osculũ, nemo facile scit, nisi qui accipit. Est quippè manna abscōditum; & qui edit solus, adhuc esuriet, & qui bibit solus, adhuc sitiet. Non est cuiuslibet hominis; sed siquis semel abore sponsi acceperit, proprium experimentum habet, quo profectò solicitat, & cogit amplius ad petendum. Ne verò sponsa videatur oblita beneficiorum sponsi in via purgatiua in osculo pedum, & in illuminatiua in manuum osculo, ac proindè præsumptuosa osculum oris petens, respondet pro ea Diu. Bernardus dicens: *Gratias de osculo pedum, gratias, & de manus: sed sicura est illi ylla de me, osculetur me osculo oris sui. Non sum ingrata, sed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Ne quæso causemini præsumptionẽ, vbi affectio vrget. Pudor sanè reclamat, sed superat amor. Amor præceps nec iudiciũ præstolatur, nec consilio tẽperatur nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur.* Amor quippè ab amando dicitur, non à pudore denominatur. Sponsus, & sponsa sunt, non quæras aliam inter sponsos necessitudinem, vel cōnexionem, præter amari, & amare.

Cant.c.a. 1.

S.Bern.ser. 9.in Cant.

Huiusce modi viæ finem expræssit D. Bonauentura: *Finis* (ait) *autem est, attendere quomodo anima ad sponsi vnionem totis visceribus debeat adspirare, vt arram gloriæ, & diadema nuptiarum regalium valeat percipere in præsenti: quod omnis rationalis spiritus, tamquam suam beatitudinem debet appetere propter quinque rationes.* Latè eas prosequitur.

S Bona. de myst. Theolog.c. 3. de via vnit.p. 2.

CAPVT PRIMVM.

Quæ sit vnio supernaturalis infusa huius viæ.

RElictis nunc varijs diuisionibus vnionis Dei cum anima, de quibus infrà, supponimus ad nostrum intentũ, quòd duplex est genus vnionis. Primum est, quod Deus ratione suę immensitatis est intimè præsens creaturis omnibus spiritualibus, & corporalibus, multò magis intimæ, quam est lumen ceri, & anima corpori: *In ipso viuimus, m ouemur, & sumus.* At hic vnionis modus, licet supponatur ad vnionem, de qua agimus, est insufficiens ad perficiendum eam, cùm sit communis omnibus rebus, nec dicat plus, quam intimam præsentiam Dei cum illis, & in illis, non verò vnionem voluntatis creaturæ cum Deo. Vndè dixit D. Dionysius: *Oportet nos primũ orationibus ad ipsum, vt ad principiũ, adduci, ac deinde magis appropinquãtes, edoceri optima quæque munera, quæ penes ipsam sunt collocata, nam ipsa quidem præsens adest nobis, non autem illi adsunt omnia.* Lege dicta alibi.

Act.c.17.

S. Dionys. Areop.c. 3. de diu.nom

Tra. 1.c.1.

Secundum vnionis genus, est per gratiam habitualem permanentem, quam formam iustificantem Theologi vocant, per quam iustorum animabus infunditur Deus, & vnitur, vt ex hac vnione, tanquam verè participes efficiantur, & consortes diuinæ naturæ: est namque gratia hæc participatio diuinæ naturæ, atque per illam similitudinem Deo vnimur, efficimurque verè filij Dei, nō solum per affectum, & amorem, sed per quandam naturæ diuinæ communicationem, & inhabitationẽ Spiritus Sancti in nobis. Hinc dicitur Spiritum Sanctum dari nobis in iustificatione, ipsumque Deum ad nos venire, & in nobis manere. De hac etiam non est sermo, cum sit communis omnibus iustis, & permanens habitualiter, etiam ipsis dormiẽtibus. Sermo ergo noster est de tertio genere vnionis, quæ fit per actualem amorem animæ cum Deo, quo ei inhæret, & vnitur actualiter, & cum eo Deo præsentes sumus. Vndè Dionysius addit: *Sed cum eam* (scilicet Trinitatem) *sanctis precationibus, & mente tranquilla, & ad diuinam vnionem accōmodata deprecamur, tum demum nos etiam ei præsentes sumus* Idest, commentatur Dionysius, mente simplificata, ac recollecta in Deo, cum conueniente adaptatione ad gratiosam, ac fixã vnitionem cum Deo. Qui enim adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo. In tali conuersione ad creatorem exhibemus nos ei præsentes, ac vinculo dilectionis ei astringimur.

Dion Cart. ibi art. 4.

Vnio huius viæ supernaturalis infusa, est actio vitalis partis affectiuæ animæ à Spiritu Sancto procedens speciali motione, qua mens vnum fit cum Deo. Dicitur esse partis affectiuę animæ,

mæ, quia ad voluntatē spectat, sicut contemplatio ad intellectum. Additur procedere à Spiritu Sancto speciali motione, in quo distinguitur à vnione acquisita communi auxilio facta. Reliqua denotant intimam adhæsionem animæ cum Deo. Huiusicemodi vnio procedit effectiuè ab habitu charitatis media speciali motione diuina. Sic in patria oritur ab eodem habitu actus fruitiuus vnionis beati cum Deo perfectissimus. Aliquando etiam prouenire potest totaliter ab ipso Deo voluntate merè passiuè se habente, vt probabiliter diximus in schola Doctoris Subtilis. Sicut de contemplatione ibidem, cap. 10.

Trà. 1. cap. 12.

Vnio ista quædam deificatio animæ est, & diuina assimilatio, & finis Hierarchiæ nostræ: *Quæ*, inquit Pachymera, *ad Deum est dilectio: quæ & vnitiuè consumatur, secundum diuinam, & vnicam simplicitatem, secundum quam Deus est omnimoda dilectio.* Diligit mens, sicut dilecta est. Non tamen dilectione æquali, quia amor Dei infinitus est, creaturæ verò finitus. At si minus diligit creatura, non ex hoc vnio euacuatur, quia si ex toto diligit, nihil deest, vbi totum est. Imò est amor sanctus, & castus, amor suauis, & dulcis, amor tantæ sinceritatis, quantæ, & serenitatis; amor intimus validus, & mutuus, iungens duos in vno spiritu: Vnde sicut sponsus eructauit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias:* Ita sponsa eructat: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Item: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Pachym. sup. 1. ca de Eccl. Hier.

Cant. ca. 2. Cant. ca. 5.

Hisce de causis vnio hæc est intima, & perfecta amicitia animæ cum Deo, iuxtà Euangelium illud: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Talis autem amicitia non est communis, quæ fundatur in gratia, & charitate habituali, quantumuis minima vt fatentur Theologi; sed est arctissima quasi necessitudo amicitiæ animæ cum Deo, & fidelissima, & mutua ex parte Dei amicitia cum anima: sicut pulchrè docet N. Harphius dicens: Porrò conflictus hic agitur diuini amoris nostrique amoris. Nam Deo per Spiritum Sanctum in nostrum spiritum se proclinante, ac dulcifluè tangente, spiritus noster è contra diuino tactu permotus, ac amatiua virtute subiectus in Deum se imprimit, & inclinat, & sic vicario tactu Deus tangitur, ex quo conflictus amoris oritur, ita quod penetratiuis amoris iaculis, vterque vulneratur, & mutuis se fulminibus interlucent; altero alteri suam faciem ostendente, quod iugi esurie facit eos in alterutrum inhiare. Alter alterum totum esurit, & desiderat, alter alteri se totum offert, & hoc facit amantes liquefactos amoris incendio fluitare. Porro Dei tactus & eius largitio, nostraq; relargitio stabili soliditate confirmant amorem, & fiunt vnus amor, & spiritus amans, quasi totus amor efficitur. Vnde in hoc exercitio, nec error intercedit, nec deceptio, sed ad optimam partem pertinens in hac vita gratiæ prægustatur, & in patria feliciter adimpletur. Hæc ille.

Ioann. 14.

Hen. Harp lib. 3. myst. Theol. cap. 55. p. 2.

Iam iam anima in simili statu collocata, in quadam beatitudine inchoata constituitur, quia cum Deo perfectè vnita est, ac illi omnibus potentijs imbibita. Dò. Bonauenturam. Hæc est ex Diu. Bonauentura, hominis in hac vita sublimior perfectio, ita vniri Deo vt tota anima cum omnibus potentijs suis, & viribus in Deum collecta, vnus spiritus fiat cum eo, & omnes affectus in amoris gaudio vniti, in sola conditoris fruitione suauiter quiescat. Et quantò voluntas perfectè afficitur ad amandū summū bonum, & memoria plenè absorbetur ad intuendam, & fruendam, & tenendam summam fælicitatem, in horum consummata adeptione constat gloria beatitudinis, quæ in patria perficietur. Istorum perfecta inchoatio, est perfectio viæ in hac vita. Tunc Deus, qui forma animæ est, imprimitur potentijs, sicut sygillum signatum. Iam teste Bernardo: *Ex hoc perfectè Deo inhæret, vel potius vnitur verè sancta anima in terra, vt efficiatur vna ex illis quibus dixit: Ego dixi, Dij estis, & filii excelsi omnes.*

S. Bonau. process. 7. Relig. c. 15.

S. Ber c. 14 de nat. & dign. amor Dei.

Ratio, cur nuncupetur inchoata beatitudo, sumitur ex eodem Bernardo, quia in sanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione diuinitatis, iam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur, & imitari. Tunc anima operatur per-

S. Bernar. ibid. c. 14.

fectissimos actus, & vltimos circa finem vltimum perfectè communicatum pro hac vita. Quare beatitudini assimilatur; nihilque aliud est, quàm perceptio experimẽtalis summi boni media contemplatione, & vnione, quod est mystica Theologia experimẽtalis, vt dictum manet. Possidetur Deus possessione magnifica, & abundãti, ac gustatur, quàm suauis, & magnus sit, secundum quod patitur in præsenti vita per fidẽ, & in enigmate. Dicta præsenti cap. Magis constabunt sequẽtibus, vbi agitur de diuisionibus vnionis infusæ, de eius admirabilibus effectibus, & ijs, quæ concomittantur illam.

Tra. 1. cap. 11.

CAPVT II.

Quo pacto fit vnio infusa ex parte Dei, & animæ.

QVidam tenuere spiritum rationalem, dum perfecto amore fertur in Deum, deficere penitus à se, ac reuerti in ideam propriam, quã habuit immutabiliter, & æternaliter in Deo iuxtà illud Ioannis: *Quod factum est in ipso vita erat.* Dicunt ergo, quòd talis anima perdit se, & suum esse, & accipit verum esse diuinum, ita quòd iam non est creatura, neque per creaturam amat, aut videt Deum; sed est ipse Deus, qui videtur, & amatur. Modus iste hæreticus est, quem portare nisus fuit Almaricus ab Ecclesia condemnatus, vt hæreticus, quem postea Augustinus inter hæreticos annumerauit. Deinde hoc impossibile est, nã Deus per locum intrinsecum immutabilis est, atque adeò nequit recipere per transformationem aliquid in se, aliàs realiter mutaretur, & creatura propter finitatem suam, & limitatam naturam non est capax esse diuini, aliter creatura non esset. Lege Gersonem Epistol. super 3. part Rusbroch. p. 1.

Nota

Alij fuerunt ponentes, quòd amor siue vnio creaturæ ad Deum, nihil aliud est, quàm Deus; itaque spiritus rationalis formaliter amat Deum per Spiritum Sanctum. At nec hoc verum est; etenim quamuis aliqui theologi concedant animam beatificari formaliter per diuinam essentiam absque medio alio, ita quod esset ipsi animæ sua cognitio, & fruitio; quasi formaliter, est de potentia absoluta; de quo non facimus controuersiam, non tamen de potentia ordinaria; vt in materia de visione, & fruitione asseritur.

His refutatis, optimè docet Carthusianus quo pacto ex parte Dei fiat vnio infusa, dicens: Hic Deus sublimis cùm viderit mentem hominis spirituali cælo iustitiæ penetratam, charitate flammigeram; puritate, ac omni virtute fulcitam; ad diuinam fortiter aspirantem, mox dignatissimè, exuberantissimè; & amorosè ei occurrit, succurrit, & cooperatur, seque ei communicat, manifestat; eam ad se eleuat, intra se rapit; deosculatur, amplectitur, atque se ei intuendum, gustandum, fruendum offert, ac exhibet, habetque complacentiam magnam in ea; & tanquam amicam, ac sponsam appræhendit, fæcundat, & sibi adstringit; eandem lucem quoque, quam in manibus suis tenebat absconsam, ei propalat ad horam, aut horulam, prout sibi omnium sapientissimo moderatori placuerit. Infiã inter hæc Deus efficit ipsum in id ipsum, vt sit ipse pro modulo suo, sicut & illud est. Tunc plerumque osculo patris, & filij medium inuenit se contemplator huiusmodi. Hæc ille.

Dion. Carthu. de fon. Luc. ar. 16

Hæc communicatio Dei, osculatio, amplexus, transformatio animæ in illum fit per præsentiam ipsius Dei in ratione obiecti mouentis intellectũ, & voluntatem ad contemplationem, & vnionem; quo pacto his potentijs præsens efficitur, quòd vocant theologi illapsum Dei in eas. Sic fit in patria. Diuina, namque essentia se manifestat per illapsum sui intellectui beati mouentis ipsum intellectum ad visionem beatam in ratione obiecti summi veri, & allicientis eodem modo voluntatem in ratione obiectiua summi boni. Differunt tamen, quia in patria manifestatur Deus intuitiuè, in via obscurè intra limites viatorum, licet plenitudine magna, vt docet Bernardus, inquiens: *Iã verò magni patris familias, seu regiæ maiestatis schema apparere existimo his qui accedẽtes ad cor al-*

S. Ber. ser. 32. in Cãt.

altum, de maiori spiritus libertate, & puritate consciétiæ magnanimiores facti consueuerunt audere maiora, apprehendere sublimiora, & tētare perfectiora non modò sensuum, sed & virtutū. Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem, &c. Subiungit exempla ex sacra pagina.

Dion. Carth. de fint. Luc. c. 12. Ex parte animæ fit vnio secundùm Carthusianum: vt ex contemplatione Dei per negationem mens diuino amore tota accēdatur, & velut ignea, atque seraphica efficiatur, seque se ipsam, & cuncta creata relinquens, trāscendens, ac obliuiscens super incōprehensibili Deo, tanquam prorsus ignoto per Hierarchiæ lucis illapsum per occultissimæ inspectionis alloquium, per supersplendentem caliginem, ac sapientissimam ignorantiam vniatur.

Tra. 2. c. 3. & 4 & c. 10. & 1. Tr. 1. c. 11. Itaque in anima reperitur contemplatio perfectissima Dei per negationem, & in caligine, de qua egimus supra, est perfecta vnio, quibus mens vnita est cum Deo in actu secundo, ipsumque percipit per vitalem experientiam mysticam. De quo etiā actum est. Tūc mens præ magnitudine Dei, quē contēplatur luce altissima maiestatis suæ, serenissima, & deliciosissima supra se ipsam eleuatur infinitę lucis abysso penetrata, & demersa, in amoremque eiusdem maiestatis ignita comburitur, & transformatur in Deum.

Nec obstat maiestas, quin familiaris sit amor, & reciprocus Dei, & animæ, reciprocaque confabulatio: S. Ber ser. 45. in Cāt. Optimè D. Bernardus dixit: *Abest dilectius, amouetur magister, rex disparet, dignitas exuitur, reuerentia ponitur. Cedit quippè fastus, vbi inualescit affectus. Et sicut quondam quasi amicus ad amicum Moyses loquebatur, & Dominus respondebat: Ita & nunc inter verbum, & animam, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio.* Iam tunc obseruantur leges veræ amicitiæ reciprocæ. Nec mirum. Ex vno amoris fonte vtrique influit diligere inuicem, confoueri pariter. Hinc anima pulchra ab spōso celebratur, & sponsus ab anima: Cant. c. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Ecce tu pulcher es dilecte mi, ecce tu pulcher.* Nec otiosa iteratio, quæ reciproci amoris est confirmatio. Bis pulchra nominatur sponsa. Per contemplationem non communem, sed maximam, & si inferior sit illa beatorum in patria. Pulchra etiam propter ignitam vnionem.

De excellentia contemplationis iterum Bernardus. Super *Ecce tu pulcher es dilecte mi subiungit.* Vides quā in excelso stat, & in sublime mētis vertice extulit, quæ vniuersitatis Dominum quadam sibi proprietate vendicet in dilectū. Non simpliciter dilecte, sed dilecte mi, inquit, vt proprium designaret. Magna visio prorsus, de qua ista in id fiduciæ, & authoritatis excreuit, vt omnium Dominum, Dominū nesciat, sed dilectum. Regem in decore suo viderunt oculi eius, non tamen vt regem, sed vt dilectum. Hoc vocat visionem planè sublimem, & suauem. Comparansque visionem istam cum illa Isaiæ, qua vidit Dominum super solium excelsum, & eleuatum, addit: Mihi videtur eminentia in hac parte esse apud sponsam, quòd ibi visus legitur Dominus hic dilectus. Ratio est, quia in Isaia facta est visio cum timore, quia vbi Dominus, ibi timor. In sponsa verò cum amore. Vndè concludit: *Ego profectò si optio daretur, tantò libentius, tantoque charius*, sponsæ amplecterer visionem, quantò meliori affectione, quæ est amor, factam aduerto. Nam timor pœnam habet, perfecta autē charitas foras mittit timorē. Cūque vnio succedat visioni, & cōtēplationi, quātò illa maior, etiam & hæc.

Scire oportet, quæ sit talis altissima visio contemplationis huius. Procul dubio nō est corporea, sed aliena à sensibus. Sic idem Bernardus: *Existimo* (ait) *enim nequaquam hac vice eius sensibus importatas imagines carnis, aut crucis, aut alias quascunque corporearum similitudines infirmitatum, in his namque iuxta Prophetam non erat ei species, neque decor. Hæc autem eū intuita, nunc pulchrum decorumque pronunciat, in visione meliori illū sibi apparuisse significans.* Hic iam non apparēt imagines corporeæ, & sensibiles, etiam ipsius sponsi Christi secundum humanitatem.

Est igitur pura intellectualis Dei vniuersalissima, & in nebula, licet maxima, terminatur namque ad diuinam essentiā nudè sumptā, vt abyssum omnium perfectionū, & omniū donorum fontē. Sic videtur in decore suo Deus.

Hac de causa relinquendæ sunt omni nò particulares notitiæ, & propriæ animæ. De ista doctrina satis necessaria, sicut, & vera instruit suum discipulum Timotheum, Diu. Dionysius, hæc scribens: *Tu verò chare Timothee, in mysticis contemplationibus, intenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & sensibilia, & intelligibilia omnia, & ea quæ sunt, & ea quæ non sunt vniuersa, vt ad vnionem eius, qui suprà essentiam, & scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas.*

S. Dionys. Areop. c. 1 de mystic. Theol.

Clarè ostendit relinquendas esse particulares notitias, quæ sunt propriæ animæ, vt sic potiatur contemplatione ista infusa, quod magis declarat, dicens: *Siquidem per liberam, & absolutam, & puram tui ipsius à rebus omnibus auocationem, ad supernaturalem illum caliginis diuinæ radium, detractis omnibus, & à cunctis expeditus, euheris.* Hersentius ad hunc locum, per caliginem intelligit Dei sub ratione lucis increatæ, & inaccessibilis in animæ essentiam illapsum, qui ipsam illa inaccessibili luce perfundat, atque absorbeat; vel certè illam supremam côiunctionem, qua anima suprà omnes potentias sensitiuas, & intellectuales, suprà omnes sensus, aut mētis operationes proprias immediatè inhæret Deo per intimam contemplationem, & vnionem. Hoc sonat Iy, *indemonstrabiliter assurgas.* Ratio est, quia talis contemplatio infusa, nobilior est côtemplatione communi gratia Dei acquisita, proceditque à nobilioribus principiis, vt alibi dictum est. Diximus hanc doctrinam necessariam esse propter relata, & quia teste Bonauentura: *Includitur tota profunditas librorum Dionysii.* Aduertit etiam Dionysius Timotheo: *Hæc autem vide ne quis audiat rudiorum.* Rudes, *seu indoctos illos* (ait Carthusianus) *vocat dono sapientiæ destitutos: & omni salutari sapientia destitutos.* Qui potest capere, capiat.

Hersen. ibi

S. Bon. c. 3. de mystic. Theol p. 4. Dion Carthus. cap. 1. myst. Theo. art. 1.



CAPVT III.

Prosequitur quomodo fit Vnio infusa inter Deum, & animam.

Diximus præcedenti cap. vnionem infusam ex parte animæ esse perceptionem Dei per experientiam mysticam vitalem voluntatis, per gustum & tactum spiritualem; per quod explicatur eius nobilitas, & excellentia, distinguiturque ab aliis vnionibus, quæ ipsa non est, quia non ita per tactum, & gustum fiunt. Vndè illæ per donum intellectus, illa per donum sapientiæ, quorum differentiam expressè docet Bonauentura, his verbis: Differunt intellectus, & sapientia, quia intellectus est cognitio speculatiua, & quasi cognitio per visum: sapientia verò est cognitio experimentalis, & practica, & quasi cognitio per gustum. Et ideò superior est sapientia, quia intellectus tātùm dicit cognitionem, vel visionem: Sapientia supra cognitionem dicit delectationem. Et nota, quòd intellectus foris stat: Sapientia per affectum intrat, & ipsa delitias suggerit. Vndè dicitur in Psalmo: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Gustare ad sapientiam pertinet, sed videre ad intellectum. Summa huius differentiæ est, quòd donū intellectus est propriè penetratiuum. Sed donum sapientiæ, est propriè saporatiuum. Hæc ille.

S. Bonauen. diet. salut. c. 3 tit. 6.

Psalm. 33.

Per hanc vnionem flammigeram supra omnem intellectum in supremo affectiuæ potentiæ apice constitutam occultissimè illustratur anima, & docetur de multis per experimentalem notitiam, aperiturque oculus intelligentiæ ex maiori approximatione ad lucem increatam, & bonitatem diuinam. Certa est de fide, *in hoc* (ait Diu. Bonauentura) *quòd mens sensibiliter se sentit trahi infalibili notitia in illū, qui est solus desiderii quietatiuus, & hoc scit ita verè, vel veriùs, quam oculus materialis videat materiale obiectum.* Subiungit paulò infra; sciat quælibet fidelis anima, quod ex equo ad istam sapientiam pertingit, si omnes mundi sapientes, omnes philosophi protestarentur, confiterentur, & dicerent. Tua fides non est vera fides, quin immo deciperis, ipsa con-

S. Bonau. de myst. Theo. c. 3. part. 1.

contrariò responderet: vos omnes fallimini, & ego solam veram fidem teneo multò feliciùs, quàm per rationes, & inuestigationes, per amoris vnitionē habens in corde infallibile fundamentum, vt dicat cum Apostolo: *Scio cui credidi, & certus sum, &c.*

2. Thim. c. 1.

Teste etiam eodem Seraphico Doctore corroboratur spes, quia cùm spes sit certa expectatio futuræ beatitudinis, in tantum per istam sapientiam corroboratur, vt iam quasi de obtinenda futura gloria non timeat, nisi per modū cautelæ, vt dicat cum Apostolo: Quis nos separauit à charitate Christi, fames, an gladius, &c. Imò etiam nec instantia, nec futura. Quomodo hoc fiat, & de certitudine beatitudinis hæc loquitur Rusbrochius: *Lux quidem indicat, ostenditque vnum nos esse cum Deo in amore, ac fruitione, itemque similes Deo per eius gratiam, & virtutes. Ignis autem omnem in nobis exurit, consumitque omnem dissimilitudinem, & in stabili continuaque nos in cognitione, & amore conseruat, consolationemque nobis præstat, & quamdam gloriæ Dei prægustationem & de æterna beatitudine certos, securosque nos efficit.*

Rusbro. de ver. contēp cap. 16.

In hoc quidem statu mens non solum percipit experimentaliter ipsam vnionem, vt est actus vitalis voluntatis, sed etiam percipit charitatem, gratiam, fidem, vt sunt virtutes habituales, & principia actuum supernaturalium. Vndè dicit Bernardus: *Spiritualis generatio* (donorum scilicet supernaturalium) *non quidem in carne sentitur, sed in corde ab his dumtaxat, qui cùm Paulo dicere possunt. Nos autem sensum Christi habemus: in quo & eatenus profecisse se sentiunt, vt ipsi cum fiducia dicant: Ipse enim, Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Et illud: Nos autem non spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.*

S. Ber. ser. de mil. tēp. ca. 11. 1. Cor. ca. 2. Roma. c. 8.

Notandum tamen est valde, quòd licet ex Augustino: Certissima cognitio animæ est eorum, quæ sunt in anima per essentiam sui, intelligitur de rebus naturalibus, vel de supernaturalibus coniecturaliter per aliqua signa. Hinc absque diuina reuelatione nequit cognoscere homo certitudine se esse in gratia, iuxtà illud: *Sed neque me ipsum iudico, qui autem iudicat me Dominus est.* Certissimū est hoc in principijs fidei. Atq; adeò vt sciat, requiritur reuelatio. Quòd fiat aliquando docet Diuus Thomas, his verbis: *Reuelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex speciali priuilegio, vt securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentiùs, & fortiùs magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vitæ sustineant, sicut Paulo dictum est: Sufficit tibi gratia mea.*

S. August. 12 supr. Gen. c. 25. 1. Cor. c. 4. S. Thom 1. 2. q. 112. artic. 5. in corp. 2 Cor. cap 12.

Idem omninò dicendum est, de certitudine beatitudinis, & donorum supernaturalium. Sic intelligit Angelicus Doctor illa verba Apostoli: *Nos autē non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui à Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Loquitur, inquit, de notitia priuilegiata, quæ est per reuelationem. Vnde subdit: Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum Sanctum.* Opportet denique similes reuelationes maxima cautela, ac studio discernere, & speculari, secundùm regulas superiùs assignatas. Ne fiant multoties à proprio spiritu, vel à dæmone, vt falsa securitate omittantur paulatim exercitia virtutum verarū, vel introducatur superbia occulta.

Non prætermittendum iudico, quod Gerson de ista vnione alta experimentali docuit, vt aliquo modò meliùs intelligatur eius excellentia. Dicitur, ait, mansio Dei in homine, & hominis in Deo. Dicitur viuificatio, & habitatio vitæ æternæ, saltim in radice, vt hic viuit in æternum; quia suam gratiam habet. Dicit autem Apostolus, quòd gratia Dei est vita æterna. Dicitur, & osculum oris sponsi, quod petit sponsa. Dicitur lac, & vinum, & vnguentum, & oleum effusum. Dicitur coniunctio dilecti inter vbera sponsæ, tanquam fasciculus mirrhæ. Dicitur, suus decor, sua quies in lectulo florido. Hoc est, donum perfectum desursum descendens, non ascendens deorsum. Hæc est sapientia diuinitus inspirata cum suis laudibus vniuersis. Hoc diuinum silentium, hoc susurrū verbi absconditum, hoc vox quasi auræ lenis, imò & tonitrui magni.

Gers. tract. 9. sup. Magni to. 3.

Et vt ad vnū colligamus innumera, quidquid sonat mansionē, vel habitationē, vel inhæsionē, vel vnitatem vnius spiri-

spiritus animæ cum Deo, sponsæ cum sponso, vnicæ cũ Deo: Hæc ille. Sensit anima ineffabiliter osculari, & inde ciuili modo rapit, & rapitur, tenet, & tenetur, stringit, & stringitur, & vna vni per amoris copulam sociatur. Pro gaudio secuto ad vnionem. Lege Ricardum. *Ric. Vict. in Psal. 4.*

CAPVT IV.

De diuisione Vnionis supernaturalis infusæ.

HActenus locuti sumus de natura, & excellentia vnionis supernaturalis. Nunc agendum est, de eius diuisione, non specifica, sed modali, secundum diuersos gradus; quia licet omnes specificè in obiecto, quod Deus est, conueniant, non tamen in modo quo ipsum attingunt, nec in effectibus tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vt constabit. Diuersis nominibus à PP. nominantur, & explicantur.

Vna dicitur vnio ebria, de qua ait sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* *Cant. c. 2.* Loquitur ad adolescentulas. Non negat se ebriam, sed amore, non vino; nisi quod amor vinum est. Vnio namque ista proueniens à Diuino spiritu, reddit animam quasi ebriam ex plena affluentia. Sic Apostoli Spiritu Sancto repleti musto ebrij à populo æstimati sunt, Satisfaciens Petrus pro omnibus dixit: *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt.* *Actu. c. 2.* Attendite (inquit Bernard.) *S. Ber. ser 49. in Cãt.* interim quod non omnino ebrios, sed ebrios sicut ab illis æstimati sunt, denegauit. Erant enim ebrij, sed Spiritu Sancto, non musto. Et quasi testificarentur ad plebem reuera in cellam vinariam esse introductos. Rursum Petrus pro omnibus: *Sed hoc est,* ait, *quod dictum est per Prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ. Iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt.* *Ioel. cap. 2* Hæc Bernardus, & subiungit: *Et nonne vnusquisque illorum exiens inebriatus à torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat, quoniam introduxit me rex in cellam vinariam?*

Sanctus Bonauentura, sic explicat: Ebrietas spiritus potest dici, qualibet magna amoris deuotio, ex qua quasi ex vini fortitudine feruor spiritus exhilarescit, quod se intra se cohibere non valet: Iob, venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirupit. *S. Bon lib. 2. de prof. relig. c. 72* Nouas propter fortitudinem impetus spiritus. Distinguitur tamẽ huiusce modi ebrietas perfectorum ab ebrietate imperfectorũ; quia isti minus experti erumpunt per inusitatus gestus, vel voces, vel singultus, sicut vinum nouum in vase ebullit; in illis non ita, quia iam vinum inueteratum est, & quiescit. Alio loco hæc dicit agens de modo quo inebriatur mens: *O felix anima, audi quid facit tibi dilectus tuus cum suum incipies delectari, vino dulcissimo incipiet te potare. Et tu eius illecta dulcedine amplius eum incipies affectare, & ipse largissimus amplius tibi dabit, & quanto plus dabit, amplius postulabis. & ipse benignissimus amplius tibi ministrabit. Quid dicam? Satiari non poteris, donec inebriata fueris, & vino iam vndique perfusa.* *S. Bona 3. p. stimul. amor. ca. 5*

Post istam admirabilem vnionem manet anima diuino amore vehementissimè fragrãs, & æstuans iustitiæ zelo, nec non, & incunctis spiritualibus studijs, atque officijs per nimium feruens, ita vt possit dicere: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* *Psalm. 38* Quia iam gustauit plenum charitatis vinum. Repletur charitatiuo zelo animas Deo lucrandi, ita vt propter hoc ocium contemplationis, libentissimè omittat. Sed quia importabilis est zelus absque scientia, & vbi est vehemens affectus, ibi maximè discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis; docetur sponsa ab spõso de recto ordine, dicẽs: *Ordinauit in me charitatẽ.* Dedit scientiã, vt cognoscat quando se exercere debeat, & quo tempore in lucrandis alijs Deo; & quando, & qua duratione vacare contemplationi diuinæ. Ne plus iustò contemplatiuæ, & actiuæ vitæ inhæreat. Omninò necessarium, nam teste Bernardo: *Discretio quippè omni virtuti ordinem ponit. Est non tam virtus, quã quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.* Vnde de se ipso Iob dixit: *Si dor-* *Iob. c. 7.*

dormiero, quando consurgam? & rursum spectabo vesperam. Vides, inquit ipse Bernardus alio sermone, virum sanctum inter fructum operis, & somnum contemplationis æstuare, & in bonis semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere; & Dei cum gemitu monentis singulis inquirere voluntatem? Lege eundem serm. 50. in Cant. Vbi eleganter agit de ordine charitatis, in quo edocta est anima. De vnione ebria S. Bernardin. Senens. serm. 4. c. 7. tom. 2. & Henr. Harph. lib. 1. mystic. Theolog. cap. 14.

S. Ber. ser. 37. in Cant.

Patitur anima extasim, & alienationem à sensibus vnione ebria potata. Super illa Prophetæ verba: *Visitasti terram, & inebriasti eam*, ait Ricardus: *Audi hominem hac ebrietate madentem, & quid circa se agatur omnino ignorantem; siue in corpore, inquit, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quomodo putas inebriatus erat, quomodo mundus ei in obliuionem venerat, qui se ipsum nesciebat?* Talis extasis oritur ex vehementia amoris. S. Bonauentura adducit pro hac veritate vercellensem in prologo super Cãtica dicentẽ: Tanta est virtus veri amoris boni, & pulchri, quod non solum facit homines, & Angelos, quasi naturam propriam egredi, vt in Deum ascendant, sed etiam Deum facit, quasi naturam propriam egredi, ingressibilem tamẽ à se, vt ad creaturas quasi infrà naturã suam procedendo condescendat. Notat D. Dionis. verba hæc: *Audendũ est dicere pro vero, quia ipse Deus omniũ tam pulchro, & bono amore exit per abundantiam amatiuæ bonitatis; quasi extra se ipsum, sic prouidit omnibus existentibus, & per bonitatem, & amorem quasi trahitur, & ad illud quod est in omnibus deducitur, secundum virtutem supersubstantialem facientem extasim, sed à se ipso ingressibilem, vt adamans ferrum trahit ad se immotus manens.* Sicque in bonam partem sumpta ebrietas, docet ipse Dionysius alio loco, quod in Deo reperiatur: *In Deo, ait, si meliorem in partẽ capiatur ebrietas, nihil aliud est intelligenda, quàm plenissima bonorum omniũ immensitas, quæ dum emanat, in ipso secundum causam præexistit.*

Ric. Victo. Beniamin c. 37.

S. Bona de 7. don. Spi. S. c. 7. don. Sap.

S. Dionys. Areop. ca. 4. de diuin nom.

S. Dionys. Areopag. Epist. 9. ad Titu.

Quando ergo mens nostra interna illa vnione ebria inebriatur ab vbertate diuina, quid sit, quid fuerit, penitus obliuiscitur, & in abalienationis excessum tripudij sui mitiettate traducitur, & insuper mundanum quendam affectum sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Multotica in hoc statu reperitur vnio omnium potentiarum animæ cum pace, & concordia. In memoria est quædã spiritualis, simplex, vniformis, iucunda, & quieta serenitas, aut claritas, velut aer quando quietus est ab omnibus ventis, purus ab omnibus nubibus, & nebulis, serenus, aut clarus radijs solaribus. Sic efficitur memoria per diuinam influentiam quieta in se ipsa, clara, & serena in conuersione ad diuina, pura ab omnibus peregrinis imaginationibus, eleuatur namque super omnia sensibilia, & imaginaria, ac vniuersa præpedire valentia, & redditur stabilis, & firma in vnitate spiritus.

Potentia intellectiua obtinet altissimam contemplationem Dei, & attributorum eius, atque profundissimi Trinitatis mysterij medio dono sapientiæ Spiritus Sancti, qua contemplatione anima per experientiam Deũ attingit saporosè, & ad ipsius obsequiũ tota regitur ascendendo ad Deum, & descendendo ad proximum, vt cum Propheta dicat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocauit.* Atque adeò totum animæ regnum dirigitur in contemplandis, & agendis; & omnis labor spiritualis viæ dulzoratur.

Psalm. 22.

Insuper, fiunt menti plures reuelationes diuinæ, quibus etiã anima inebriatur. Super illa verba spõsæ: *Introduxit me rex in cellã vinariam.* Inquit Vercellensis D. Dionysij commentator. Assidua theoriarum, idest, reuelationum varietas, & profectus assidui sponsæ, inducent quasi experimentaliter talem ebrietatem, vt videatur, idem repetere, quæ suprà dixit, cellaria, modo dicit cellam vinariam, quæ quasi idem sunt. Sed non intelligitur sponsa aliquando dicta repetere, sed assiduas illuminationes experiri, quod mentibus contemplatiuis, tàm fortitèr, quàm assiduè ad radium superiorem exercitatis omninò familiare est. Dicit, ergo experimentaliter introduxit me, per interiores, & profundiores theorias, quàm prius; quia in Hierusala dicitur: Post me ingredi non cessa-

Vercell. in Cant.

sabit, in cellam vinariam, id est, vinum continens omnes theorias, id est speculationes. Ad huius ebrietatis qualemcumque similitudinem, spirituales viri dicuntur inebriari, propter excessiuam abūdantiam luminum diuinorū. Hæc ille. Omnes autem reuelationes istæ fiunt puræ spirituales, & in tertio animæ cęlo, sicut, & contemplatio experimentalis.

Denique voluntas gaudet vnione ebria, vt dictum est, penetrata, & ignita tranquillo, & quieto amore recepto in superiore parte potentiæ affectiuæ, qui purus est, & decoctus: instar olei, quod non superfluit cùm sufficienter fuerit bullitum. Huiusmodi lumine contemplationis, & igne charitatis ascendit sponsa, vsque ad solium verbi, & descendit ad se ad verā cognitionem suæ nihileitatis, ex quo perficitur verus habitus humilitatis, ita vt iam extolli non valeat (moraliter intelligitur) vi luminis, & vnionis. Audi S. Laurentium: *Ascendit sponsa, ait, vsque ad verbi solium à se, & amore tangitur, admiratione rapitur, & diuinæ cognitionis illustratur lumine. Descendit ad se in nihilum, & reperit se in eo. In hoc lumine sapientiæ, & nihileitatis propriæ perfecta habitus perficitur humilitatis. Eo nanque mens humilior est, quo in hoc sapientiæ radio exercitatior est. Hunc, quæ sponsa est, habitum induens, ex intuitu, & amore, ex zelo verbi non potest extolli. Quotquot elationis excitantur in corde motus, tot propriæ æstimationis cogitatus, repercutiuntur à lumine inhabitante. Nam hunc aperuit sensum Apostolus, cum diceret: Omne quod arguitur, à lumine manifestatur.*

S. Lauren. Iust. de casit. cōnub. c. 20.

Hæc omnem altitudinem abhorret, dignitates fugit, latere appetit, apparere refugit, deiici concupiscit, vilipendit se foris, intus nihil pendit, pro voto subiicitur cunctis, contumelijs non irritatur, fauores horret, seruatque semper in affectu humilitatem. Tandem ne ingrata sit amori sponsi, amori vices rependere satagit, sponsumque suum spiritualibus conatur honorare muneribus, se melius nihil inuenit, quod offerat, nihilque iucundiùs donet, quamquam nihil verbo gratiùs, nihil charius exhibetur. Toto itaque affectu, simpliciique intentione tamquam spirituale talentum mentem suam offert Deo ardentissima ignita charitate, maturam in moribus, sobriā in affectione, & in exercitio virtutum prompta. Hæc pro recompensatione, & in signum exhibet perpetuæ charitatis. Ad omnia ista non semel, bisque, sed persoluet millies, prout amoris impetu rapitur.

Quando ergo totalis est vnio trium potentiarum animæ, gaudet concordia, & pace totus homo, & pro tunc silent passiones carnis aduersus spiritū, quæ omnia dimanant à Deo authore pacis, & concordiæ rerum omnium, ad quod ipsæ res tendunt, & appetunt ipsud. *Age iam* (inquit D. Dionysius) *diuinam pacem, vt conciliatis Principē, pacificis laudibus prosequamur; hæc enim est quæ cuncta coniungit, & vniuersorum concordiam, ac connexionem gignit, effecitque; quare etiam ipsam expetūt vniuersa, vt eorum diuisam multitudinem ad integram quamdam redigat vnitatem, atque intestinum bellū vniuersi ad concordem inducat commorationem.*

S. Dionys. Areop. c. 11. de diu. nomi.

Loqui Dionysium de pace, & concordia, non solum diuersarum rerum naturalium oppositarum, v. g. Caloris, & frigoris; sed etiam oppositionis inter corpus, & animam sentit Pachimera in paraphrasi, iuxta illud Pauli. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Quorum bellum Deus ad vnionem reducit per vnionem totalem trium animæ potentiarum, In pace, & concordia in ipsum Deum principium, & principē vtriusque. Admodum quo antiquissimi ordines cęlestes se cū ipsi, & inter se coniunguntur, & ad vnum perfectissimum pacis principium adducuntur. Atque adeò dixit Dionysius: *Quin, & diuinæ pacis participatione primæ virtutes, & se cum ipsæ, & cum vna mundi pace prima coniunguntur.* Lege Carthusianum. Notat tamen D. Thomas, (vt melius hoc intelligatur) quod cōcordia addit super pacem vnionem appetituum diuersorum appetentium, vt sunt appetitus carnis, & appetitus spiritus. Ponit exemplum in authoritate Pauli: *Caro concupiscit, &c* Nunc constat, quid sit manere mentem in pace, & concordia omnium potentiarum spiritualium, & sensitiuarum.

Ad Galat. c. 5.

Dion. Carth. ibi art. 11.

S. Thom. 2. 2. q. 2 c. art. 1. in corp.

CA:

CAPVT V.

De vnione languenti.

ALtera appellatur vnio languens, de qua fit mentio in sacris litteris: *Fulcite me floribus* (aiebat sponsa) *stipate me malis, quia amore langueo.* Existente in cella vinaria, refrigerata est vmbra sponsi, & cibata fructu, non solum in contemplatione, sed etiam in vnione ebria, & alijs fauoribus, vt patet capite præcedenti; atque adeò mansit sitibunda, quoniam secundum diuinum sermonem, qui bibit me, adhuc sitiet. His acceptis, & gustatis, suum cor dulciter inuitat, & cor ipsum totis viribus se erigit ad osculum diuinæ vnionis; & tamen consequi non valet concupitam spiritus vnitatem cum Deo in plenitudine bonorum spiritualiũ: tũc mox incidit in languorẽ spiritualem: ita vt anima in veritate benè dicere potest: *Fulcite me, &c.* Et: *Annunciate dilecto meo, quia amore langueo.* Et quia osculo carere non vult, amoris exinde impacientia generatur, totum hominem interiùs, exteriùsque intolerabili æstuatione perungens, & premens, adeò vt nullum citra Deum solatium admittere possit, omniaque paratus sit sustinere, vt id quòd amat, obtinere valeat.

Cant. c. 2.

Cant. c. 1.

Hic impatiens amor cor amantis consumit, & sanguinem eius ebibit, totam corporalem naturam absque exteriori labore debilitans. Istudque est etiam languor corporis. Inquit namque D. Bonauentura: *Primus languor est defectus corporis, ex intensione feruoris, amoris. Vnde Glossa dicit: Iam anima supra dictis conformata, ita in amore Dei ardet, vt præ nimio ardore languor carnis immineat; crescente enim virtute mentis, decrescit fortitudo corporis, ait Glossa super illud Genesis: Angelus Domini tetigit neruum, &c.* Tunc magna discretio est necessaria, ne consumatur naturalis vis corporis, vt alibi dictum est.

S. Bon. de 7. itin. ætern. 4. itin. dist. 5. art. 2.

Gen. c. 32.

De languore hoc animæ, sic scribit Bernardus, explicans illud: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me Sol? Sol iustitiæ decolorauit me Christus, cuius amore langueo. Languor iste coloris quæ iam extermi natio est, & defectus in desiderio animæ. Vnde, & dicit: Memor fui Dei, & delectatus sum, & defecit spiritus meus. Ergo instar vrentis solis, desiderij ardor peregrinantem, in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit repulsa, & excruciat amantem dilatio.* Cum præsto est quod diligitur, viget dilectio, languet cum abest. Quod quidem non est aliud quam tædium quoddam impatientis desiderij, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente quem amat, dum totus in expectatione, quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Cruciatur animus, quia quicquid agat, quicquid sibi fiat, desiderium eius ardens sedare non potest, imo irritatur mens, dum voto suo pro voto perfruitur. In hoc statu non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, dum sponsum absentem videt.

S. Ber. ser. 28 in Cant.

Cant. c. 1.

Ps. 76.

At pijssimus sponsus non sustinet dilectæ suæ molestiam, & impacientiam, adest neque enim longam moram facere potest tantis desiderijs euocatus. Et quia illam compererat, donec absens fuit, fidelem ad opera, & solicitam ad lucra, in eo nimirum quod flores sibi, & fructus præceperat ferre, etiam cum propensiori hac vice remuneratione gratiæ est reuersus. Denique vno brachiorum suorum sustentat caput iacentis, alterum ad amplexandum parans, vt sinu foueat: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

De diuinis charismatibus, quibus ornatur sponsa languens in aduentu sponsi audiamus D. Laurentium. Tũc quippè (ait) rẽplũ Dei efficitur anima, sapiẽtiæ sedes, pudicitiæ habitaculũ, arca fœderis, tabernaculũ sanctitatis, sponsi thalamus, spirituale cœlum, mysteriorum domus, sponsa charissima, nuptiarum locus: atque multis virtutibus consitus paradysus. In quã videlicet descendit Dominus Angelorum, & rex gloriæ, vt copulet sibi charissimam sponsam, amore languentem, desideriorum floribus fulcitam, atque malorum punicorum virtutibus stipatam, præstolantem dilectum suum, atque elegantissimi sponsi obseruantem aduentum. Infra: Castissimo illius contubernio fungens, quid ab eo percipiat, quid in corde sentiat, quam vehementer inardescat, quomo-

S. Laur. Iust. de vit. solit. c. 7.

modo ingeminet amoris carmina, amatoriaque prorrumpat in verba, sola, quæ experitur, nouit. Sentiri quidem possunt, proferri autem minimè, quia spiritualia arcana, atque diuina sunt, quæ non licet loqui. Hęc ille.

Aliquando iste amor, quia calidus est, est etiam & acutus admodum Angelorum, de quibus ait D. Dionysius *ille mobile semper circa diuina, & incessabile, & calidum, & acutum*. Benè explicat Hugo quid sit amor acutus, his verbis: *significat acutum impetum quemdam amoris, & vehementiam desiderii ardentis, ferentis se in amatum, & intrantis, & penetrantis, vt ibi sit, vbi est ipsum, quod amatur, cum ipso, & in ipso. vt non solum ab ipso calidum fit, sed transeat acutum in ipsum*. Primò, amor calidus est, posteà acutus; ideò Dionysius non vocat eum acutum, & calidum, sed calidum, & acutum. Cōsidera, quomodo acutum amoris habebant, de quibus dictum est: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebātur* Impetus ipse acutum fuit. Prius autem calidum, non solum in se, sed etiam ad opus virtutum; vnde Diu. Gregorius inquit: *Impetus spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorū profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudii, ad patientiam, ad pacem, ad lachrymas mentem pertrahit*.

S. Dion. Areop ca. 7. de cœlest. Hier.

Hug de S. Vict. ibi li. 6.

Ezech. c. 1.

S Gregor Mag. homil. 5. in Ezech.

Hic autem amor calidus, & acutus ita intimè, & impetuosè penetrat cor, vt mortem naturalem faciat. Gerson narrat de quoddam milite, quòd in visitatione Terræ Sanctæ tanto amore flagrauit, & sauciatus fuit læsione cordis, vt ex ipsa amoris intensissima violentia animam fœliciter efflauerit: idē dicit de quadam spirituali vetula. Et quia ex Ricardo, ex magnitudine dilectionis dependet modus dilectionis, interdum mens isto amore sursum rapitur, eique reuelantur veritates sibi, aut aliis necessariæ modo spirituali, quia fiunt in tertio animæ cœlo. Aliquando etiam rapitur ad incomprehensibile bonum cognoscendum, iuxtà mensuram, qua Deo placet. Tunc Deus ipse intellectualibus, & subitis fulgoribus coruscat in spiritu instar fulguris, quòd subitò splendet, & dispaet. Et quamuis splendor iste spiritum hominis, velut in momento supra se rapiat, mox tamen, vt splendor ille trāsierit, spiritus ad se reuertitur; & hæc est operatio Dei, amantem spiritum valdè clarificans lumine intellectuali.

Gers. de Mist. Theo. specul. consider. 41.

Ric. Vict. lib. 3. de cont.

CAPVT VI.

Quæ sit vnio liquefaciens?

De vnione liquefacienti, etiam fit mentio in Sacro Textu: *Anima liquefacta est, vt locutus est*, scilicet dilectus. Exclamat D. Bonauentura dicens: O mira, & inæstimabilis vis amoris, frigida facit ignea, obscura facit clara, dura facit liquida! Nam anima mea liquefacta est, &c. O ardor amoris, qui intima mentis in Deum infundis! Nā adamantina erat anima mea, & eius intima nimium solidata, nunc amore liquescit, nunc extra se exit, & in Deū tota se diffundit, proprium locum relinquit, & in Deum currit, absorbetur ab eo, & obliuiscitur sui. Hæc ille aliquibus cancellatis.

Cant. c. 5.

S. Bon. p. 2. stim. amor. c. 8.

Appellatur igitur vnio ista liquefaciens, quia ex locutione, & præsentia verbi dura cordis nostri liquefacit calore Diuino, sicut liquefiunt metala, & anima extra se rapitur, & in Deū totam se diffundit intima vnione. Dumque ab illo Diuini amoris incendio circūdatur, & intimè penetratur, tunc vndique vehementer inflammatur. Et sic animus humanus se ipsum exuens, Diuinum quendam affectum induit, atque inspectæ pulchritudis configuratus, totus in aliam figuram transit. Sicut enim ferrum naturaliter frigidum, & nigrum, dum in ignis incendio moram facit, paulatim nigredinem deponit, & ignis in se similitudinem trahit, donec totum liquefiat, & à se deficiat, & aliam penitus qualitatem transeat: sic anima Diuini amoris incendio penitus absorta, prius incalescens, tandem incandescit, & liquescit à priori statu deficiens, & vnus Spiritus cum Deo efficitur, quia in se tota liquefit, & in illum quem diligit tota liquescens, fluit, & vna fit cum illo Quod Iesus petebat à Patre cùm dixit; *Vt sint vnum, sicut, & nos vnum sumus*. Ioan. c. 17.

Tunc anima per omnia flexibilis redditur ad Diuinum beneplacitum, & præcipuè ad amandum Deum, liquescens ad recipiendum Diuinæ in actio-

actionis multifariam impressionem: vt sicut liquor liquori, sic spiritus Dei spiritui hominis influens, quasi misceatur, & anima cum Deo, spiritus vnus efficiatur. Liquescit enim mens, dum deuotione mollescit, vt sponsus in ea suauiter cubet, & nihil durum ei obsistat. Liquescit, cùm deuotione calescit, vt dilectus in ea calorē diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat. Liquescit Deniq; dùm deuotione superfluit, vt Deus solus, solum, & plenum dominium obtineat. Atque adeò omnis motus, omnis vsus, omnis impetus eius fœliciter in æternitatem terminatur. Lege D. Bonauenturam.

S. Bona. de profect. relig. c. 27. lib. 2.

Locutionem sponsi audiuit sponsa. Quid factum sit in intellectu, & voluntate eius præuium ad liquefactionem, optimè docet Ricardus Auditur (inquit per reuelationē) sponsus loquens; donec voce eius paulatim inualescente tota perstrepentium tumultuatio sopiatur; solaque ipsius vox audiatur: donec omnis illa tumultuantium turba disparcat, solusque cum sola per cōtemplationem aspiciat. Videtur per contemplationem donec ad insolitę visionis aspectum, pulchritudinisque admirationem paulatim anima incalescat; magis, magisque inardescat: & tandem aliquando tota incandescat; donec ad veram puritatem, internamque pulchritudinem tota reformetur intra: introducto dilecto fiducia, iam inualescente, cùm se vlterius cohibere non valeat subitò in oscula ruat: & impræssis labijs intimæ deuotionis oscula figat. Donec tandem dilecto inter vbera collocato ad ineffabilem quandam diuinæ dulcedinis infusionem, tota in illius desiderium liquescat; & spiritus ille, qui Domino adhæret, vnus spiritus fiat. Ita Ricardus.

Rica. Vict. libr. 4 Beniam. mai. c. 15.

Itaque ante liquefactionem præcedit contemplatio diuina in intellectu, & in volūtate vnio perfecta; quod designatur per oscula. Posteà liquefacta anima transit ad perfectiorem vnionem, ac contemplationem experimentalem verbi. Hac de causa sentit D. Laurentius, vnionem liquefacientem esse paucorum, in quiens: *Inueniuntur aliquot in terra, quamuis in numero pauci, qui corde diuini amoris sagitta transfixi suauiter, contremantur delectabiliter, supra se feruntur in Deum. Quiescendo tacent, tenent; & quærunt, atque amoris brachijs sponsum amplexando liquescunt.* Hi erudiuntur in multis; præcipuè in charitate proximorum, ne indiscretè se gerant contra profectum sui spiritus David: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Liquidum fuit cor eius, sed in medio ventris, quia extra se non effluebat. Solus ille effluit, qui sic intendit alijs, vt sibi non attendat contra dictum Apostoli: *Videte ne fortè perefluatis.*

S. Laur. Iustin. de inter. conflict. cap. 10.

Psalm. 21.

Deniq; sicut artifex liquefacto metallo imaginem format iuxta voluntatem suam perfectam, exclusis quæ opposita sunt imaginis formæ; ita Deus liquefactam animam ad suum beneplacitum format, repletque virtutibus perfectis. Sicque spiritualis effecta, vescens vtique pane solido virtutum, currit alacri animo ad brauium supernæ vocationis; vt comprehendat, in quo comprehensa est à Christo Iesu. Locupletata itaque spiritualibus diuitijs, & virtutum margaritis ornata ad omne opus bonum parata inuenitur. Si tribuit, in simplicitate fit. Si præest, in solicitudine. Si miseretur, in hilaritate. Si proximis humilibus inseruit, cū pietate. Si superioribus, famulatur cū magnanimitate. Nulli prorsus malum pro malo reddit, nec maledictum pro maledicto: Sed ècontrario, benedicit maledicentibus se, odientes se diligit, pro persecutoribus orat, gaudet cum gaudentibus, & cum flentibus plorat; hoc ipsum sciens in corde, quòd non alta sapit, sed conatur consentire humilibus, vt ipsa in se humilitatem custodiat. Atque adeò vincit in bono malum, & in exercitio virtutum, propria euadit.

Insuper omnia aduersa sicut prospera pro Christo desideratèr amplectitur, aiens cū Apostolo: *Repletus sum cōsolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Nimirum, quia in hoc statu, efficitur, aliquo modo, anima immortalis, & impassibilis. Immortalis, eo quod à vera vita difficile separari non potest, iuxta illud: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* Et subdit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Secundùm D. Chrysostomum, hic Paulus non protu-

tulit, quibus quotidiè capimur inimicorum tentamentis: Sed quæ multò sunt his truculentiora & talia vt possint ipsi naturæ vim adferre, & cogitationis firmitudinem loco diuellere sæpe numero, vel nobis nolentibus: *Hæc ponit, afflictiones videlicet, & angustias. Habet vna quæque dictio infinita tentationum tanquam agmina, nam cùm dicit afflictionem, & carceri dicit, & vincula, & calumnias, & exilia, & alias omnes calamitates, vno verbo immensum periculorum pelagus prætercurrens. Denique ea omnia, quæ hominibus aduersa, per vnam significans dictionem.* Sic & impassibilis efficitur, quia quicquid ei infertur, totū præsumit ad gloriam. Et sic aro sentit, quia sensibilis, mens gloriatur, quia denudata est ab amore præsentis vitæ: Ex loquela, & presentia verbi. Hinc explicans Bernardus illa verba *En dilectus meus loquitur mihi*, inquit, *Ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit: ardet suauiter, desolatur fœliciter. Est enim verus carbo desolatorius.* Excoquit quidem omnem appetitum terrenorum, & quasi mortuū relinquit.

S Chrysost. hom. 15. in epistol. ad Rom. ca. 8.

S. Ber. ser. 57. in Cāt.

CAPVT VII.

Quæ sit vnio vulnerans, & quo pacto Deus vulnerari dicitur amore.

EXperta sponsa sanctā de hac vnione dicit *Vulnerata charitate ego sum*, iuxtà expositionem Ambrosij in illum versiculum: *Confige timore tuo carnes meas.* Ex vi amoris animæ ipsa vulneratur, & quasi clauis transfigitur: *Fortasse*, ait Sanctus: *Hanc imaginem claui non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt, quia valida est, vt mors: charitas durus sicut infernus zelus. Nō te ergo offendat duritia clauorū quia est duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida est, etiam charitas sicut mors.*

Cant. ca. 5.

Psal. 118.

S. Ambr. in eundem Psa Oston. 15.

Cant. ca. 8.

Amor iste vulnerans ita fortis est, vt reddat animam validā contra omnes tentationes, & mortificatā in passionibus, & potentem ad exercitium omnium virtutum; interimit namque omnes motus inordinatos quasi mors illorum. Fit tunc illa admirabilis diuisio animæ, & spiritus, de qua ait Apostolus *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Subdit D. Ambrosius *His clauis charitatis configatur anima nostra, & caro nostra. Vt & ipsa dicat. Quia vulnerata charitate ego sum. Habet ergo clauum suum charitas, habet gladium suum, quo anima vulneratur. Hæc sunt vulnera, quæ osculis præferuntur: vtiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.*

Ad Hæbr. ca. 4.

Ioann. c. 8. Matt. c. 16.

Mens ista amore vulneranti fit thalamus spōsi, cuius desiderio ardet, nulla quæ in mundo sunt, iam cōcupiscit, præsentis vitæ longanimitatem pœnā deputat, exire desiderat, vt amoris amplexu in cœlestis spōsi visione requiescat: *Mens itaque* (inquit D. Gregorius) *quæ iam talis est, nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus corporis, quia transfixa est vulnere amoris, vnde & in Canticis dicit: vulnerata charitate ego sum.*

S. Gregor. Magn. Homil. 15 in Ezech lib. 2.

Euadit hic amor ignitus, & seraphicus ad imitationem amoris seraphinorum, quibus sacra pagina teste D. Dionysio: *Incensos ex ipso nomine declarat, eisque proprietatem, & actionē ignis tribuit.* Proprietates autem præcipuè ad nostrum intentum ex eodem Dionysio, hæ sunt: ignis sensibilis inest omnibus, vt sic dicam, ac purè cuncta peruadit: Cumque totus luceat, simul est, & occultus, ignotusque manet per se, non adhibita materia in quam vim suā exerat; ea quibus insedit ad suum traducit officium: alterandi vim habet: renouat omnia calore, & fulgoribus apertis illuminat: se cernēdi vim habet. Lege D. Bonauenturam de 7. itiner. æternit. itiner. 4. distinct. 5. artic. 3. Hugon. de Sanct. Victor. super 7. Angel. Hierat. libr. 7. Carthus. catit. 15. Angel. Hierarch. artic. 24 & Pachim, paraph. ibi. Has ignis proprietates suo modo habet amor animæ charitate vulneratæ, & veluti Seraphim cōformitatem habet cum Deo, qui ignis est. Addit namque Dionysius. *Quæ propter formam igneam significare censeo, cœlestium intelligentiarum maximam cum Deo conformitatem.*

S. Dionysi Areop. de cœl Hier. cap. 15.

Vul-

Cant. c. 4. Vulnerátus etiam perhibetur Deus amore sponsæ: *Vulnerasti cor meū soror sponsa mea, vulnerasti cor meū. Vulnerat* (inquit Bernardus) *cor tuum Domine Iesu; sponsa tua, amica tua, soror tua.* Loquensque cū Iudæis, qui latus, & Sanctissimi cordis intima perforarunt, addit: *Quid agitis inimici: si vulneratū est, imò quia vulneratū est cor dulcis Iesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quòd vno vulnere tactū cor emoritur, & fit insensibile? Mortuū cor Domini Iesu, quia vulneratū possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor sponsi Iesu. Quomodo mors altera introibit? fortis est vt mors dilectio, imò verè fortior, quā mors dilectio.*

S. Bern. de Pas. Dom. c. 3.

Vulnerari etiam dicitur Deus, quatenus nostræ infirmitati sua omnipotentia condescendit, & internæ suauitatis suæ secreta animæ amanti patefacere admodū vulneris aperti. Quærit Ricardus: Quid sit vulnerari Deum? Respondet: *Quòd est illā omnipotentiā nostræ infirmitati piè condescendere, & quasi quadā vulneris apertura internæ suauitatis secreta patefacere. Vulnerari enim potest, qui etsi sit impassibilis, non tamen est incompassibilis. Vulnus hoc absque ira infligitur, & absque dolore sentitur.* Habes ex his reciprocum amorem vulnerantem Dei, & animæ, quia vterque vulneratus dicitur.

Ric. Vict. de grad. char. c. 3. p. 1.

Nota

Notat tamen ipse Ricardus super illa verba: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, duplicē oculū obtinere animā, vnū quo intelligit spectātē ad intellectū, alterū ad voluntatem pertinentē (amor enim vehemens ex Augustino non potest, nō videre, quē amat: quia amor oculus est: & amare videre est) at Deum solū vulnerari ab oculo amoris sponsæ: *Videtur, ait, itaque ab amantibus Deus oculo vtroque: sed altero vulneratur: quia vbi intellectus caligat, amor penetrat, & vbi ille repellitur, iste admittitur. Quippè perscrutari prohibemur, & plus sapere, quā oportet sapere, sed amare etiā plus quàm possumus præcipimur. Non potest igitur obturari amoris oculus, quo minus videre possit, quem amat.* O solatium magnum animæ Deum videntis amoris oculo vulnerantis!

CAPVT VIII.

De vnione fruitiua.

Hiuscemodi vnio maxima est; fit namque in tertio animæ cœlo perfectissimo modo, in qua anima, aliquid gustat de beatitudine, sicque vnio fruitiua appellatur. Explicat eam Ricardus exēplo Apostoli, dicens: *Apostolus gloriatur raptum fuisse, vsque ad tertium cœlum. Primū cœlum sublimitas intelligētiæ: secundum cœlum claritas iustitiæ. Tertium cœlum sublimitas gloriæ. De primo, & secundo cœlo; dicit Apostolus: nostra conuersatio in cœlis est. De tertio dicit: scio huiusmodi raptum, vsque ad tertium cœlum. Toties ad tertium admittitur, quoties per excessum mentis illa interna, & æterna dulcedine, aliquando ex parte fruimur.*

Ricar. à S. Vict. in Ps. 121. p. 2.

D. Bonauentura docet esse statum sublimiorē huius vitæ, & perfectionē animæ; beatitudineque inchoatam, eo quod tota anima cū potentiis suis in Deū collecta vnus spiritus fiat cū Deo; vt nihil meminerit, nisi Deū, nihil sentiat, & intelligat, nisi Deum, & omnes affectus in sola conditoris fruitione suauiter quiescat. Tunc enim anima deiformis fit; quia iuxta capacitatē suam ratio illuminatur perfectè ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, & voluntas perfectè afficitur ad diligēdum summū bonū, & memoria plenè absorbetur ad fouēdā, & tenendā summā fœlicitatē; & quia in horū consummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ in patria perficietur, in via inchoatur, ac est perfectio vitæ præsentis.

S. Bon. proces. 7. Relig. ca. 15.

Tunc anima est perfectè Deo similis, vt non iam similitudo, sed vnitas spiritus nominetur, cum fit homo cum Deo vnus spiritus, non tantum voluntate volendi idem, sed expressiore quadam vnitate virtutis aliud velle non valendi. Quomodo fit hoc nobis dat Bernardus, hac graui sententia: Dicitur vnitas spiritus, non tantum, quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipsa est ipse Spiritus Sanctus Deus charitas: cùm per eum, qui est amor Patris, & filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum, in summa illa veritatis vnitate, & veritate vnitatis. Hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate filio ad Patrem, vel Patri ad filium; cùm in amplexu, & osculo Patris; & filij mediā quoddammodo se habeat beata cōscientia, cū modo ineffabili

S Bern. de vit. solit. circ. fin.

T ing

incogitabilique fieri meretur homo Dei, nō Deus, sed tamē quod Deus est ex natura, homo ex gratia. Hæc Sanctus. His vltimis verbis explicat, non velle vnionē fruitiuā animæ cū Deo, esse eandē, quā habent Pater, & filius naturaliter per amorē, qui Spiritus Sāctus est; quia impossibile omninò est. Solū nāque intendit ostēdere ineffabilē istā vnionē, & vnitatē cū Deo mediō Spiritu Sancto, qui suo influxu causat vnionē fortitèr, & suauitèr, & hominem, sic efficit in idipsum, vt sit suo modo vnus cū ipso. Quòd cùm fuerit perfectum, iā solo mortalitatis, huius vello diuiditur, ac differtur à Sanctis Sanctorū, à summa illa beatitudine super cœlesti: quia tamen cū iā in fide, & spe eius, quē amat fruitur in cōsciētia.

Tunc nihil homo præter vnū, vel propter vnū diligit. Vnū amat, vnū diligit, vnū sitit, vnū cōcupiscit. Ad ipsū anhelat, in ipsum suspirat, ex ipso inardescit, in ipso requiescit. Nil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc vno condiatur. Cū frui potest eo quod diligit, omnia pariter habere se credit. Sine illo horrent omnia, sordēt vniuersa. Iā enim mens non sibi viuit, sed Christo, cuius pascitur amor: fruitiuo, & quò magis diligit, eò diligēdi ardor magis accēditur. Sicque de se ipso nutritur amor, dum amor amorem acuit, amore pascitur, amādo crescit, & perficitur. Facitque mentē denudari amore proprio, quasi vi quadam, ac violentia forti.

Quia admirabilis, ac ineffabilis vnio fruitiua est, aliquibus similitudinibus explicatur. Prima est de arbore, cui surculus inseritur, vbi surculus vna arbor efficitur cū trunco per nutrimentū terræ: sic etiā anima per nutrimentum amoris istius, vnus spiritus fit cū spiritu Dei. Hāc vnionem nobis Christus promittit, dicens: *Ego sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructū multū.* Secunda potest esse de vino, cui gutta aquæ infunditur. Aqua illa in vinū mutatur, assumendo naturā vini in colore, odore, sapore, & in omni virtute. Sic etiā cadit anima per fruitiuā vnionē in Dei immensitatē, sicut gutta aquæ in maris magnitudinē; seruat tamē essentiā suam anima, sed omnes vires eius sunt deificatæ, hoc est, Deo perfusæ, quēadmodum stella, quæ tenebrosa est in substantia, perfruitur claritate, & calore solis. Quāuis istæ similitudines, cuilibet vnioni supernaturali adaptantur, multò melius fruitiuæ vnioni propter eius excellentiam.

Harphius noster docet huiuscemodi vnionē fieri tractu quodā, aut tactu, quē Deus in intimo spiritus nostri facit. De quo amorosa anima gloriebatur, dicens: *Dilectus meus misit manū suam per foramē, & venter meus intremuit ad tactū eius.* Tactus autē iste est vltimū mediū inter Deū, & spiritum nostrū, inter operari, & requiescere, aut agi, inter viuere, & spiritualiter mori, vel expirare: subleuatque nos ad altissimū exercitiū sub increato lumine exerceri possibile; quia tactus iste excitat, & eleuat intellectū ad cognoscendū, & contēplandū Deū, modo possibili in hac vita, in sua eminenti claritate, & trahit superiorē vim amatiuā ad Deo fruendū. Negotiū talis tactus in hoc cōsistit, quod trahit spiritū amantem ad externū exercitiū, & ad internū: quia spiritus Dei sua diuina motione extrahit nos ad amandū practicè, & ad operandū virtuosè & rursus intrahit spiritū nostrū ad amandū fruitiuè, quiescēdūque fœlicitèr. Et hæc est, quædā vita beata fruitiua, quæ in eminentiori fruitiua vnione celebratur, ac quiescit. Contēplatio ottā ex diuino tactu est altissima, nimirum, quæ in caligine fit, de qua actum manet superius.

Henr. Harph. libr. 2. myst. Theolog. c. 54. p. 3.

Cant. c. 5.

Tract. 2. c. 10. 11.

Multoties in hoc statu anima extasim patitur, eàque sponsus custodit diligentissimè, & beneuolentissimè vigilat super eā, eo quod læuā suā capiti eius supposuit (vt ipsa fatetur: *Læua eius sub capite meo*) præcipitque, vt eā non excitent, nec separent à tā fœlici exercitio, dicēs: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosque cāporū, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectā, quoadusque ipsa velit.* Quāuis autē D. Bernardus dicat: Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, vt Dei brachijs amplecti se sentiat, Dei sinu foueri, Dei cura, & studio ne dormiēs fortè à quopiā, donec vltrò vigilet, excitetur? Tamen experientia docet, accipere spirituales, & diuinas infusiones, tā ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, veluti alter Helias, cui dictum fuit: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertēs montes, & con-

Cant. c. 2.

S. Ber. ser. 52. in Cāt.

conterens petras ante Dominum. Nō in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. Tūc recreatur introrsus, ac sapiētiæ dapibus sagi natur, ipsa eadem ministrante sapiētia.

In fœlicissimo hoc statu anima fortitudine heroica gaudet, qua non solū fortiter vincit omnes difficultates virtutibus exercendis oppositas sed gloriatur in tribulationibus, contumelias gloriam reputās, opprobrium gaudiū, despectiones, & humilliationes exaltationē. Insuper trāscēdit etiam diuinas cōsolationes, & omnia dona Dei, ita quod nequaquā diuinis cōsolationib⁹, aut vlli dono Dei se tumulenta immergit, sed hæc omnia potius aspirādo nititur pertransire, vt eū quem solū super omnia diligit, ad votū valeat inuenire, & illo frui. Vide Ric. à S. Vict. lib. 4. Benia. mai. c. 16. p. 1. Iam purgata manet ambitione spirituali, & spirituali luxuria, alijsque spiritualibus imperfectionibus. Circa spiritualia, de quibus agunt Doctores mystici. Itaque mens in culmine stat omnia superās, & spernens. Audi D. Gregorium super illud versiculum: *Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi Dei* (inquit) *carnem domant, spiritum roborāt, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce, & moribus prædicāt: eam etiam moriendo diligunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. In ista ipsa passione, qua ceciderunt in morte carnis, videte quantum fuerit culmen mentis. Vndè hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum?* Hæc est fortitudo donum Spiritus Sancti, & animi iam purgati, fortificans omnes tres animæ potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem. Lege D. Bonauenturam.

Psal. 18.
S. Greg. in Ioan. hom. 27.
S. Bon. de sept. don. Spir S. c. 2 de don. forti.

Post fortitudinem, sequitur virtus pacientiæ heroica, qua mens non solū aduersa voluntariè suffert, sed victor existit, & sine murmure ea pertransit, vt videtur in Apostolis. Sic vincit aduersa, non colluctando, sed gaudenter sufferendo, non murmurando, sed gratias Deo agendo, & ipsum diligendo. Manetque anima tranquilla, quia aliena à passionibus secundū sententiam Saluatoris: *In pacientia vestra possidebitis animas vestras.* Cū Apostolo dicit: Cōplaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in angustijs. Iterū: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Denique fiducialiter ait: Improperium spectauit cor meum, & miseriam. Sentit magnā abundantiā Dei, & dulcedinis spiritualis: nā omnem aduersitatem reputat pro adiutorio veniendi ad dilectum, & omnes persecutores diligit tanquam veros adiutores ad vitam æternam.

Luc. c. 21.

Concomitatur etiā vnionē fruitiuā heroica humilitas, quā charitas format, & inflammat, quæ non solū consistit in vera cognitione sui ipsius, sed transit in affectū, ita quod homo vult, quantū in se est, omnes de illo eandem tenere sententiā, quā apud se in veritate cognoscit. De hac agit Euāgeliū, quando dicit Christus: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Corde dixit*, ait Bernardus, *cordis affectu, id est, voluntate. Humilis videlicet illa humilitate, quā cordis suasit affectio, nō quā extorsit discussio veritatis. Propterea dixi hanc voluntariæ humilitatis speciē non redargutione veritatis, sed charitatis intra nos infusione creari: quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis.* Vide Harphium.

Matth. c. 11.
Henr Harph. libr. 1. myst. Theolog. c. 69.

Mēs licèt eleuata sit in excessu vnionis fruitiuæ, & altissimæ contēplationis clarè cognoscit, quid sit ex se homo, semperque humilis fit, iudicās de se, quod est mendax; atque adeò semper inuenit, ex quo profundè humiliatur. Testis est Dauid de se dicens: *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* Benè redarguit Prophetā D. Gregorius his verbis: Si omnes, & tu. Falsaque iā erit sententia tua, quā mēdax ipse protulisti. Si verò ipse non es mēdax, vera iā sententia non erit: quia dū tu verax, nō omnis homo cognoscitur mendax. Respondet: *Notandū est, quòd præmittitur: Ego dixi in excessu meo. Per excessum ergo mentis, etiā seipsum transijt, cū de hominis qualitate definiuit. Ac si apertè dicat: De falsitate omniū hominū inde verā sentiam protuli, vndè ego ipse super hominē fui. In tantū vero, & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autem omnino non mendax, in quātum per excessum mentis super hominem.* Lege Ricardum.

Psal. 115.

Deinde tanta humilitate fundata est mens, quod omni desolatione se dignam reputat, vniuersæque creaturæ (sine fictione) æstimmatione propria se substernit, & ab omnibus vilipendi, em-

Ric. Vict. c. 9. 10. de extermin. mal. tract. 2. p. 1.

omnique tribulatione vsque ad mortem circumvolui cupit, vt sic ductorem omnis desolationis patientissimum imitans dulcem Iesum, vsque ad turpissimam mortem crucis eidem se perfectè conformet, cuius amantissimum cor propter homines improperium expectauit, & miseriam.

Vnionem fruitiuam præcedunt veluti vltimæ dispositiones passiuæ vnio vulnerans, & vnio languens; ac vnio liquefaciens, & vnio inebrians. Vtrū autem anima separata à corpore ante visionem beatam fruatur perfectissima vnione D. Bonauentura affirmat, ex D. Bernardo dicente: Animæ à corpore exutæ, iam pane doloris non cibantur, sed vinum amoris post cibum pleniùs haurire permittuntur. Æstuat anima nunc sanctæ charitatis potata vino. Subdit Bonauentura: *Tantò igitur anima à carne separata, vitā perfectiùs exercet, quantò à corpore grauante absoluitur, & dilectum suum vehementiùs amat. Igitur absolutio animæ à corpore grauante, non est formidāda, sed desideranda. Hanc desiderabat Apostolus cùm dixit: cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et paulò infrà: *Et si tales animæ à matrices separatæ à corporibus suis aliquid secum deferant, quare indigent purgatione, credibile est, quod tales faciliùs purgantur, & leuiùs patiuntur, & quandoque minimè pœna sensus. Cuius ratio est, quia amor pœnas allenat, & quandoque totaliter annihilat.* Probat locis D. August. & sacræ paginæ, &c.

S. Bon. de sept. don. Spir. S. c. 8. de don. Sapient.

S. Bern. de dilig. Deū longè post med.

CAPVT IX.

De gradibus vnionis fruitiuæ.

VNionis fruitiuæ, secundū Patres, & mysticos Doctores duplex assignatur gradus. Primus dicitur sponsatio spiritualis: secundus, matrimonium spirituale appellatur. De sponsatione spirituali dicitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Et: *sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.* Tribus de causis amatrix anima vocatur Christi sponsa. Prima, quia sociatur Deo amore casto. Nam amor ipsius animæ numquam quiescit, nisi in illo solo. Secunda, quia anima iusta non potest ab aliquo fœcundari fructu virtutum, nisi à solo Deo. Tertia ratio est, quia ab eo solo donis virtutū subarrhatur, quæ nullus dare potest, nisi solus Deus. Consistit vnio ista sponsalium spiritualium in conformitate intima voluntatis animæ cum Deo per amorem intimum fruitiuum experimentalem, & Dei cum anima. Sic in sponsalibus humanis requiritur consensus voluntatis, & animorum inter sponsos.

Cant. c. 4.

Osę. cap. 2.

Quærit Bernardus: quare soror, & sponsa? an non poterat sufficientem sponsi amantis affectum ostendere solius sororis, vel solius sponsi positio? vel quare sponsa, & non vxor, cùm quotidie quælibet anima fidelis sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Respondet: Paucis dico, solent sponsæ nondū alligatæ coniugali vinculo amari ardentiùs, quā posteà. Tempore enim præcedente amor ipse componitur. Spōsus ergo noster, vt magnitudinem insinuet sui amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiā carnaliter diliguntur: vt in amore sponsi nostri, nil carnale sapias, ipsam spōsam sororē appellat, quia sorores nequaquam carnaliter diliguntur. Dicit ergo vulnerasti cor meum, &c. Tamquam dicat: quia summè te diligo, vt sponsam, castè vt sororem, vulneratum est cor meum propter te. Hæc ille.

S. Bern. c. 3. de Pas. Domin.

Anima etiam sponsa effecta, ardet amore, æstuat desiderio, anhelat suspirio. Pallet in ea omnis amans, & ipsa amore pallet aspirās ad vnionem fruitiuam spiritualis matrimonij. Tunc sponsus suus offert oscula, iungit amplexus, & diem matrimonij accelerat, vt læta cantet: Ecce quod concupiui, iam video, quod amaui, iā teneo magis permanentèr. Et secundū legem summus Sacerdos virginem ducit vxorē. Hinc ait Apostolus: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Chrysostomus ait: *O nouas res, in mundo virgines manent ante nuptias, post nuptias non item. Hic autem non sic. Nam licèt non sint virgines ante nuptias illas, post nuptias tamen virgines sunt.* Ideò aiebat B. Agnes: Quē cum amauero, casta sum, cū tetigero, munda sum, cū accepero, virgo sum.

Leuit. cap. 21.

2. Cor. cap. 11.

S. Chrysos. ibi Hom. 23.

De

S Ber. ser. 83. in Cāt. De matrimonio isto spirituali D. Bernardus, explicans illud Apostoli: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos*, inquit: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cū cui videlicèt similis est per naturam, simile nihilominus ipsi se exhibeat per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit.* Quid hac cōformitate iucundiùs? quid optabiliùs charitate? qua fit vt humano magisterio non contenta, per te met ò anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percunčteris, consulatesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio, verè spiritualis, sanctique connubij contractus iste est. Parum dixi contractus, cōplexus est. Complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus.

Ad Phil. cap. 5.

Rica. Vict. cap. 8. in Cant. p. 2. Concors est Ricardus, hæc scribens: Multò labore, & instantia, & oratione (spectat ad dispositionem actiuā) spōsa dilectum inuenit: & tandem in cubiculo introduxit. Vndè dignum est, vt post fatigationem, tandem requiescat: & dilecto tot sudoribus, & discursionibus apprehēso fruatur. In hoc cubiculo, nō solū dilecti fruitur amplexibus; & propria negocia peragit, sed etiam aliorū necessitatibus intendit. Diuersis autē modis, hic Deo fruitur: videlicèt nunc vt sponso: nunc vt Doctore, nunc vt Patre: nunc in eius amore dormit: nunc contēplatur: nunc cū illo aliqua ordinat, & disponit: nunc ab illo audit, & docetur: nunc eius amplexibus fruitur. Habet cum illo amplexus, & oscula: habet fœtus & vbera. Et infrà: est ibi spirituale connubiū: concordia videlicèt, & coniunctio voluntatū, fecūdat ibi non carnalis copula ventrē, sed Spiritus Sanctus mentem: gemellis hanc impregnans fœtibus, id est, gemina charitate Dei, & proximi. Hic vxor fit anima.

Luc. c. 15. Nihil est in hoc castissimo connubio propriū, sicut Verbi voce ad seniorem filium dicitur: *Fili tu semper mecū es: & omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Nihil occultū, prout veritas testatur; *iam* (inquit) *non dicam vos seruos, sed amicos: quia quæcūque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Subarratur anima spiritualibus donis Verbi tunc,

Ioan. c. 15.

Perficiuntur omnes virtutes Theologales, & Morales, ac fiunt hæroicæ. Renouatur intus quotidie, ideò: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circūamicta varietatibus.* Psal. 44. Læta, & festiua fiducialiter cum Propheta canit: introibo in domum tuā, adorabo ad Templum Sanctum tuū in timore tuo. Vritur desiderijs, anhelat amore, corde vociferatur, dicens: *Sitiuit anima ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Psal. 41. Denique in hoc Sacramento Sancto, dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. c. 2. Pro modulo suo correspondet sponsa amore perfecto. Et ego illi: Non alteri præter ipsum. Viuit iā sola cum Christo, moriturque omnibus alijs, iuxta illud Apostoli: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ad collo. cap. 3. Vita sua, iam non vt sua est, quia abscondita cum Christo; sicque tanquam mortua viuit vita diuina. Atque adeò mens effecta est, tanquam vmbra; vt sicut vmbra mouetur ad motum corporis, quod eam efficit, ita voluntas sequitur diuinam per omnia interiora, & exteriora. *Sub vmbra illius, quem desiderabam sedi.* Tandem cum Paulo dicere potest: *Non quod iam acceperim* (resurrectionem mortuorum) *aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo, & comprehensus sum à Christo Iesu.* Intenta voluntate solum aspirat ad beatitudinem.

Viuit in terra more cœlestium, dum instar supernatum creaturarum, cœlesti viro Christo casto amore nupta extitit. Vndè magis, ac magis conformari satagit formæ, quæ de cœlo venit discens exercitium omnium virtutum in gradu hæroico. Ideò moribus contendit placere ei, quem Angeli prospiciunt: vt dum desiderio feruet Angelico, probet se proinde ciuem Sanctorum, & domesticam Dei, probet dilectam, probet fidelem sponsam. Tunc liquidò ostendit, quia verè virgo ipsius de cœlo est, cùm conuersatio eius in cœlis est. Crescit, & proficit in virum perfectum: in mensuram ætatis plenitudinis Christi. In omnibus aduersitatibus fortis existit, nec vitam propriam diligit, imò odit, vt Deo obediat. Sic Paulus, & Apostoli in Concilio positi dixerunt: *Obedire oportet magis Deo, quàm ho-* Actu. c. 5.

hominibus? In hoc statu vocatur matrimonium spirituale consumatum inter Deum & animam. Quod si auxilio diuino perseueret spiritualis vir, appellatur Sacramentum inseparabile secundum Oseam: *Sponsabo te mihi in sempiternum*, fitque per inseparabile glutinum charitatis, lege Ricardum.

Osæ.c.2. Ric.Vict.c.4.de amor. inseparab.

Hinc aiebat Apostolus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separe à charitate Dei.* Magna sunt hæc, & incognita inexpertis. Fortis vnio amoris cum Deo; omnia parua erant, siue in terris, siue in cœlis, illi comparata, omnia debilia, & talis vnio super omnia. Neque creatura alia: *Ac si diceret* (inquit D. Chrysostomus) *si velut aliud tale, ac tanti mundi opificium existeret, quale quantumcumque, vel hoc ipsum, quod spectamus, vel quod in mentis humanæ cogitationem cadere posset: nulla tamen res esset, quæ me ab eo amore submoueret.* Iam neque Christum propter eius opera, sed propter illum, illius opera amabat, atque ad illum vnum respiciebat, cum quo intimè vnitus erat Sacramento inseparabilitatis, vnum tantum veritus, ne ab eo amore excideret. Hoc enim, vel gehenna illi terribilius erat, quemadmodum in eo amore persistere, vel cœlorum regno desiderabilius.

Ad Rom. cap.8.

S Chrysost. hom.15 in epist. ad Rom.

Sancta Theresia à Iesu inuenit per experientiam discrimen inter vnionem spiritualis matrimonij, ac spiritualis sponsationis, quia in matrimonio arctior animæ, cum Deo coniunctio, & veluti indissolubile vinculum: Deus enim deinceps ferè continuò est animæ præsens, quamuis non semper, ita clarè, & apertè, sicut eo tempore, quo diuinum matrimonium fuit contractum; quia aliàs si aliquantulum non remitteretur, anima non esset cõpos omninò sui, nec posset in alijs occupari. Cæterum, quamuis non ita clarè sicut anteà, semper aduertit, & se introrsus colligit, & hanc diuinam societatem experitur; non aliter, ac si duo essent simul in vno cubiculo, si clauderetur fenestra, quamuis non apertè videat eum, quem anteà media luce conspexerat, apertè tamen intelligit sibi esse præsentem. In sponsatione verò spirituali, non ita contingit quia frequenter separatur anima à Dei præsentia, nec continuò gaudet tali præsentia, sicut in matrimonio. Explicat hoc exemplo: dicamus vnionem sponsationis similem esse duabus candelis cereis, quæ ita intimè connectuntur, quod ex duabus vna lux fiat, ac huc tamen non ita remanent vnitæ, quin abinuicem possint separari, & fieri sicut anteà vna candela. Matrimonium spirituale comparari potest aquæ cœlesti in fluuium cadẽti, vbi ex duabus aquis, ita vna fit, vt non possint diuidi, ac discerni, an sit aqua fluuij, an cœlestis. Alia discrimina adducit ibidem.

S. Theres. Mans.7.c.1.2.

CAPVT X.

De purgatione animæ in via vnitiua.

PRoculdubio certum est inueniri purgationem in via vnitiua, & quidem grauissima, & terribilis animæ eam patienti vocibus, valde significatiuis illam depinxit Hieremias, dicens: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Meminauit, & adduxit in tenebras, semitas meas conclusit lapidibus quadris, Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Et alia plura ad propositum. Loquitur de anima iam perfecta, nam nomen *Vir*, hoc denotat. Constituitur tunc in summa desolatione, aufugit fęlix ille status sponsationis, & matrimonij spiritualis, lux perijt, præsident tenebræ mentem, manetque clausa lapidibus quadris, sine radio lucis; inebriataque absynthio amarissimo omnium tentationum, præcipuè illarum, quæ partem superiorem concernunt; transit namque per ignem, & aquam, & quasi excoquitur ad purum, sicut metallum igne.

Thren.c.3

Ratio cur indiget purgatione, est, quia dum viuit in hac lachrimarum valle, non inuenitur, absque aliqua escoria, quamuis perfecta sit, & formosa. Fatetur anima sancta de se: *Nigra sum, sed formosa.* Bernardus: *Si diceret, quia nigrenidem non haberet, seipsam seduceret, & veritas in ea non esset. An nigram quidem ob terrenam conuersationem, quàm priùs habuit sub Principe huius mundi, imaginem terre-*

Cant. c.1. S. Bernar. ser 25. in Cant.

re-

vestris hominis adhuc portans? Nemo mundus à sorde, ac septies in die cadit iustus, de exercitio laboriosæ militiæ: de diuturnitate miseri incolatus, de corpore denique fragili, & graui: quia corpus, quod corrumpitur, aggrabat animam, & deprimit terrena sensum multa cogitantem. Ideò plorabat Paulus dicens: Infœlix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ideò sponsa sancta, & formosa, & nigra perhibetur. Cognouit non posse carere in hac vita ad purum macula, & ruga.

Quare perfecti desolantur à Deo, priuanturque statu illo fruitiuo, docet D. Bonauentura ex D. Gregorio, quia non numquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine donorum, atque vbertate fulcitur, & continua securitate in his perfruitur, vndè sibi hæc sunt, obliuiscitur: & quasi se putat habere, quod numquam sibi considerauit abesse. Vndè fit, quod eadem gratia donorum, quandoque vtiliter se subtrahat, vt menti præsumenti quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra, vnde sint, quando hæc, quasi amittendo sentimus, quia à nobis seruari non possunt. Exaltatio cordis in tot donis spiritualibus primum hominem perdidit, & de paradyso eiecit: *Testatur enim B. Augustinus* (ait Bernardus) *quod nequaquam tentator, hominem de paradyso eiecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis præcessisset, cum verissimè scriptum sit: Ante ruinam exaltatur cor.* Hac de causa aliquando perfectus priuatur ad tempus gratijs gratis datis, vt animo humiliato dicere valeat cum Propheta: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Cognoscatque mensuram talium donorum solùm esse Deum, secundùm illud Iob: *Indica mihi si habes intelligentiam: quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?*

S. Bon. de Sept. don. Spir. S. in Gen. ca. 4. S Gregor. Magn. lib. 2. mor. ca. 27.

S Bern. in sentēt. circ. princ.

Prou. c. 16

Psal. 130.

Iob c 38.

Patiuntur etiam perfecti tentationes carnis, quia viuunt in carne, non mortua, licèt mortificata. Testis est Hugo, dicens: *Mira res, etiam perfectis, quandoque blanditur affectus carnis. Ecce quomodo Iacob ambulat cum Esau, amplexatur, & stringit, osculatur, & plorat. Ambulatio spiritualis Iacob, & carnalis Esau; est animi voluntas, amplexus voluptas, fletus carnalis affectus.* Hinc dicit Paulus: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Non dixit, non sentietis, sed non perficietis: manifestè declarauit omni homini, quandiu in hac vita est, concupiscendi necessitatem, ex corruptione naturæ inesse.

Hugo à S. Victor de claust. anim. c. 9. Gen. c 33.

Ad Galat. cap. 5.

In raris autem, & valdè perfectis remouet Deus etiam titillationem carnis, quia *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* At multi, quamuis ad summam perfectionem profecerint, stimulum suæ carnis extinguere non potuerunt. Sed diuina dispensatione, hoc in eis factum est, quam quidem quid vnicuique vtilius accidat latere non potest: In aliquibus fit ad demonstrationem singularis eorum fortitudinis, quia tales sunt, qui semper cum auxilio Dei pugnare assiduè, & triumphare sufficiunt. In alijs autem ad custodiam humilitatis, quando se cognoscunt, & singularia bona præcæteris accipiunt. Atque adeo suam infirmitatem ex seipsis cognoscunt. Mira hoc dispensatione agitur, vt mens humilis permaneat; nam esse magnam crederet, si desolatam, & tentatam non sentiret.

Psal. 28.

Aliquando tamen permittit Deus perfectos committere aliqua peccata venialia. Et sæpè mens, quæ aduersa multa, & fortia superat, vnum in se fortasse minimum, quamuis magna attentione inuigilet, non expugnat. Ità D. Gregorius addens diuina dispensatione agi, ne ex omni parte virtutibus splendens, in elationem subleuetur, vt dum in se paruum, quid reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori victoriam tribuat in his, quæ fortiter subigere valet. Adducit illud Iob: *Obtenebrentur stellæ caligine eius. Stellæ quippè* (inquit) *huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ, aliquid retinentes sustinent, vt etiam magna vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant.* Tunc mens sua meliùs infirmitate roboratur, ac meliùs in bonis lucet, vndè parua reprehensibilia humiliter obscurant.

S. Gregor. Mag. lib. 4. in Iob 3. c 21. 22.

Iob cap. 3.

Optimè docet D. Laurentius: Non sunt Dei iudicia curiosè rimanda, non de permissione diuina ratio inuestiganda.

S. Laur. Iustin. de cast. connu. c. 7.

modo ingeminet amoris carmina, amatoriaque prorrumpat in verba, sola, quæ experitur, nouit. Sentiri quidem possunt, proferri autem minimè, quia spiritualia arcana, atque diuina sunt, quæ non licet loqui. Hęc ille.

Aliquando iste amor, quia calidus est, est etiam & acutus admodum Angelorum, de quibus ait D. Dionysius, esse *mobile semper circa diuina, & incessabile, & calidum, & acutum*. Benè explicat Hugo quid sit amor acutus, his verbis: *significat acutum impetum quemdam amoris & vehementiam desiderii ardentis, ferentis se in amatum, & intrantis, & penetrantis, vt ibi sit, vbi est ipsum, quod amatur, cum ipso, & in ipso. Vt non solum ab ipso calidum sit, sed transeat acutum in ipsum*. Primò, amor calidus est, postea acutus; ideò Dionysius non vocat eum acutum, & calidum, sed calidum, & acutum. Considera, quomodo acutum amoris habebant, de quibus dictum est: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebātur*. Impetus ipse acutum fuit. Prius autem calidum, non solum in se, sed etiam ad opus virtutum; vnde Diu. Gregorius inquit: *Impetus spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorū profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudii, ad patientiam, ad pacem, ad lachrymas mentem pertrahit*.

S. Dion. Areop. ca. 7. de cœlest. Hier.

Hug. de S. Vict. ibi li. 6.

Ezech. c. 1.

S. Gregor. Mag. homil. 5. in Ezech.

Hic autem amor calidus, & acutus ita intimè, & impetuosè penetrat cor, vt mortem naturalem faciat. Gerson narrat de quodam milite, quòd in visitatione Terræ Sanctæ tanto amore flagrauit, & sauciatus fuit læsione cordis, vt ex ipsa amoris intensissima violentia animam fœliciter efflauerit: idē dicit de quadam spirituali vetula. Et quia ex Ricardo, ex magnitudine dilectionis dependet modus dilectionis, interdum mens isto amore sursum rapitur, eique reuelantur veritates sibi, aut aliis necessariæ, modo spirituali, quia fiunt in tertio animæ cœlo. Aliquando etiam rapitur ad incomprehensibile bonum cognoscendum, iuxtà mensuram, qua Deo placet. Tunc Deus ipse intellectualibus, & subitis fulgoribus coruscat in spiritu instar fulguris, quòd subitò splendet, & disparet. Et quamuis splendor iste spiritum hominis, velut in momento supra se rapiat, mox tamen, vt splendor ille trāsierit, spiritus ad se reuertitur; & hæc est operatio Dei, amantem spiritum valdè clarificans lumine intellectuali.

Gers. de Mist. Theo. specul. consider. 41.

Ric. Vict. lib. 3. de cont.

CAPVT VI.

Quæ sit vnio liquefaciens?

DE vnione liquefacienti, etiam fit mentio in Sacro Textu: *Anima liquefacta est, vt locutus est*, scilicet dilectus. Exclamat D. Bonauentura dicens: O mira, & inæstimabilis vis amoris, frigida facit ignea, obscura facit clara, dura facit liquida! Nam anima mea liquefacta est, &c. O ardor amoris, qui intima mentis in Deum infundis! Nā adamantina erat anima mea, & eius intima nimium solidata, nunc amore liquescit, nunc extra se exit, & in Deū tota se diffundit, proprium locum relinquit, & in Deum currit, absorbetur ab eo, & obliuiscitur sui. Hæc ille aliquibus cancellatis.

Cant. c. 5.

S. Bon. p. 2. stim. amor. c. 8.

Appellatur igitur vnio ista liquefaciens, quia ex locutione, & præsentia verbi dura cordis nostri liquefacit calore Diuino, sicut liquefiunt metala, & anima extra se rapitur, & in Deū totam se diffundit intima vnione. Dumque ab illo Diuini amoris incendio circūdatur, & intimè penetratur, tunc vndique vehementer inflammatur. Et sic animus humanus se ipsum exuens, Diuinum quemdam affectum induit, atque inspectæ pulchritudinis configuratus, totus in aliam figuram transit. Sicut enim ferrum naturaliter frigidum, & nigrum, dum in ignis incendio moram facit, paulatim nigredinem deponit, & ignis in se similitudinem trahit, donec totum liquefiat, & à se deficiat, & aliam penitus qualitatem transeat: sic anima Diuini amoris incendio penitus absorta, prius incalescens, tandem incandescit, & liquescit à priori statu deficiens, & vnus Spiritus cum Deo efficitur, quia in se tota liquefit, & in illum quem diligit tota liquescens, fluit, & vna fit cum illo. Quod Iesus petebat à Patre cùm dixit: *Vt sint vnum, sicut, & nos vnum sumus*.

Ioan. c. 17.

Tunc anima per omnia flexibilis redditur ad Diuinum beneplacitum, & præcipuè ad amandum Deum, liquescens ad recipiendum Diuinæ in-

actio-

actionis multifariam impressionem: vt sicut liquor liquori, sic spiritus Dei spiritui homini influens, quasi misceatur, & anima cum Deo, spiritus vnus efficiatur. Liquescit enim mens, dum deuotione mollescit, vt sponsus in ea suauiter cubet, & nihil durum ei obsistat. Liquescit, cùm deuotione calescit, vt dilectus in ea calore diuini amoris inueniat, & quasi quidam contactus spiritualis fiat. Liquescit Deniq; dum deuotione superfluit, vt Deus solus, solum, & plenum dominium obtineat. Atque adeò omnis motus, omnis vsus, omnis impetus eius fœliciter in æternitatem terminatur. Lege D. Bonauenturam.

S Bona de profect religi c 27. lib. 2.

Locutionem sponsi audiuit sponsa. Quid factum sit in intellectu, & voluntate eius præuium ad liquefactionem, optimè docet Ricardus Auditur (inquit per reuelationē, sponsus loquens, donec voce eius paulatim inualescente tota perstrepentium tumultuatio sopiatur, solaque ipsius vox audiatur: donec omnis illa tumultuātium turba disparcat, solusque cum sola per cōtemplationem aspiciat. Videtur per contemplationem donec ad insolitę visionis aspectum, pulchritudinisque admirationem paulatim anima incalescat; magis, magisque inardescat: & tandem aliquando tota incandescat; donec ad veram puritatem, internamque pulchritudinem tota reformetur intra: introducto dilecto fiducia, iam inualescente, cùm se vlterius cohibere non valeat subitò in oscula ruat: & impræssis labijs intimæ deuotionis oscula figat. Donec tandem dilecto inter vbera collocato ad ineffabilem quandam diuinæ dulcedinis infusionem, tota in illius desiderium liquescat; & spiritus ille, qui Domino adhæret; vnus spiritus fiat. Ita Ricardus.

Rica. Vict. libr. 4 Beniami. mai. c. 13.

Itaque ante liquefactionem præcedit contemplatio diuina in intellectu, & in volūtate vnio perfecta; quod designatur per oscula. Posteà liquefacta anima transit ad perfectiorem vnionem, ac contemplationem experimentalem verbi. Hac de causa sentit D. Laurentius, vnionem liquefacientem esse paucorum, in quiens: *Inueniuntur aliquot in terra, quamuis in numero pauci, qui corde diuini amoris sagitta transfixi suauiter, contremantur delectabiliter, supra se feruntur in Deum. Quiescendo tacent, tenent, & quærunt, atque amoris brachijs sponsum amplexando liquescunt.* Hi erudiuntur in multis; præcipuè in charitate proximorum, ne indiscretè se gerant contra profectum sui spiritus David: *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Liquidum fuit cor eius, sed in medio ventris; quia extra se non effluebat. Solus ille effluit, qui sic intendit alijs, vt sibi non attendat contra dictum Apostoli: *Videte ne fortè pereffluatis.*

S. Laur. Iustin. de inter. conflict cap 10.

Psalm. 21.

Deniq; sicut artifex liquefacto metallo imaginem format iuxtà voluntatem suam perfectam, exclusis quæ opposita sunt imaginis formæ; ita Deus liquefactam animam ad suum beneplacitum format, repletque virtutibus perfectis. Sicque spiritualis effecta, vescens vtique pane solido virtutum, currit alacri animo ad brauium supernæ vocationis; vt comprahendat, in quo comprehensa est à Christo Iesu. Locupletata itaque spiritualibus diuitijs, & virtutum margaritis ornata ad omne opus bonum parata inuenitur. Si tribuit, in simplicitate fit. Si præest, in solicitudine. Si miseretur, in hilaritate. Si proximis humilibus inseruit, cū pietate. Si superioribus famulatur cū magnanimitate. Nulli prorsus malum pro malo reddit, nec maledictum pro maledicto: Sed è contrario, benedicit maledicentibus se, odientes se diligit; pro persecutoribus orat, gaudet cum gaudentibus, & cum flentibus plorat; hoc ipsum sciens in corde, quod non alta sapit, sed conatur consentire humilibus, vt ipsa in se humilitatem custodiat. Atque adeò vincit in bono malum, & in exercitio virtutum, propria euadit.

Insuper omnia aduersa sicut prospera pro Christo desideratèr amplectitur, aiens cū Apostolo: *Repletus sum cōsolatione, super abundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Nimirum, quia in hoc statu, efficitur, aliquo modo, anima immortalis, & impassibilis. Immortalis, eo quod à vera vita difficile separari non potest, iuxtà illud: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* Et subdit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Secundum D. Chrysostomum, hic Paulus non protū-

Cant. c. 4. Vulneratus etiam perhibetur Deus amore sponsæ: *Vulnerasti cor meũ soror sponsa mea, vulnerasti cor meũ. Vulnerat* (inquit Bernardus) *cor tuum Domine Iesu, sponsa tua, amica tua, soror tua.*

S. Bern. de Pas. Dom. c. 3. Loquensque cũ Iudæis, qui latus, & Sanctissimi cordis intima perforarunt, addit: *Quid agitis inimici: si vulneratũ est, imo quia vulneratũ est cor dulcis Iesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quòd vno vulnere tactũ cor emoritur, & fit insensibile? Mortuũ cor Domini Iesu, quia vulneratũ possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor sponsi Iesu. Quomodo mors altera introibit? fortis est vt mors dilectio, imò verè fortior, quã mors dilectio.*

Vulnerari etiam dicitur Deus, quatenus nostræ infirmitati sua omnipotentia condescendit, & internæ suauitatis suæ secreta animæ amanti patefacere admodũ vulneris apertj. Quærit

Ric. Vict. de gradib. char. c. 3. p. 1. Ricardus: Quid sit vulnerari Deum? Respondet: *Quòd est illã omnipotentiã nostræ infirmitati piè condescendere, & quasi quadã vulneris apertura, internæ suauitatis secreta patefacere. Vulnerari enim potest, qui etsi sit impassibilis, non tamen est incompassibilis. Vulnus hoc, absque ira infligitur, & absque dolore sentitur.* Habes ex his reciprocum amorem vulnerantem Dei, & animæ, quia vterque vulneratus dicitur.

Nota. Notat tamen ipse Ricardus super illa verba: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, duplicẽ oculũ obtinere animã, vnũ quo intelligit spectãtẽ ad intellectũ, alterũ ad voluntatem pertinentẽ (amor enim vehemens ex Augustino non potest, nõ videre, quẽ amat: quia amor oculus est: & amare videre est) at Deum solũ vulnerari ab oculo amoris sponsæ: *Videtur, ait, itaque ab amantibus Deus oculo vtroque: sed altero vulneratur; quia vbi intellectus caligat, amor penetrat, & vbi ille repellitur, iste admittitur. Quippè perscrutari prohibemur, & plus sapere, quã oportet sapere, sed amare etiã plus quàm possumus præcipimur. Non potest igitur obturari amoris oculus, quo minus videre possit, quem amat.* O solatium magnum animæ Deum videntis amoris oculo vulnerantis!

CAPVT VIII.

De vnione fruitiua.

HViuscemodi vnio maxima est; fit namque in tertio animæ cœlo perfectissimo modo, in qua anima, aliquid gustat de beatitudine, sicque vnio fruitiua appellatur. Explicat eam Ricardus exẽplo Apostoli, dicens: *Apostolus gloriatur raptum fuisse, vsque ad tertium cœlum. Primũ cœlum sublimitas intelligẽtiæ, secundum cœlum claritas iustitiæ. Tertium cœlum sublimitas gloriæ. De primo, & secundo cœlo, dicit Apostolus; nostra conuersatio in cœlis est. De tertio dicit: scio huiusmodi raptum, vsque ad tertium cœlum. Toties ad tertium admittitur, quoties per excessum mentis illa interna, & æternæ dulcedine, aliquando ex parte fruimur.* Ricar. à S. Vict. in Ps. 121. p. 2.

D. Bonauentura docet esse statum sublimiorẽ huius vitæ, & perfectionẽ animæ; beatitudinẽque inchoatam, eo quod tota anima cũ potentijs suis in Deũ collecta vnus spiritus fiat cũ Deo; vt nihil meminerit, nisi Deũ, nihil sentiat, & intelligat, nisi Deum, & omnes affectus in sola cõditoris fruitione suauiter quiescant. Tunc enim anima deiformis fit; quia iuxta capacitatẽ suam ratio illuminatur perfectè ad cognitionem Dei, qui est summa veritas, & voluntas perfectè afficitur ad diligẽdum summũ bonũ, & memoria plenè absorbetur ad fouẽdã, & tenendã summã fœlicitatẽ; & quia in horũ cõsummata adeptione consistit gloria beatitudinis, quæ in patria perficietur, in via inchoatur, ac est perfectio vitæ præsentis. S. Bon. process. 7. Relig. ca. 15.

Tunc anima est perfectè Deo similis, vt non iam similitudo, sed vnitas spiritus nominetur, cum fit homo cum Deo vnus spiritus; non tantum voluntate volendi idem, sed expressiore quadam vnitate, virtutis aliud velle non valendi. Quomodo fit hoc nobis dat Bernardus, hac graui sententia: Dicitur vnitas spiritus, non tantum, quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia ipsa est ipse Spiritus Sanctus Deus charitas; cùm per eum, qui est amor Patris, & filij, & vnitas, & suauitas, & bonum, & osculum, & amplexus, & quicquid commune potest esse amborum, in summa illa veritatis vnitate, & veritate vnitatis; Hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali vnitate filio ad Patrem, vel Patri ad filium; cùm in amplexu, & osculo Patris, & filij mediã quodammodo se habeat beata cõscientia, cũ modo ineffabili, S. Bern. de vit. solit. circ. fin.

incogitabilique fieri meretur homo Dei, nō Deus, sed tamē quod Deus est ex natura, homo ex gratia. Hæc Sanctus. His vltimis verbis explicat, non velle vnionē fruitiuā animæ cū Deo, esse eandē, quā habent Pater, & filius naturaliter per amorē, qui Spiritus Sāctus est; quia impossibile omninò est. Solū nāque intendit ostēdere ineffabilē istā vnionē, & vnitatē cū Deo mediò Spiritu Sancto, qui suo influxu causat vnionē fortitèr, & suauitèr, & hominem, sic efficit in idipsum, vt sit suo modo vnus cū ipso. Quòd cùm fuerit perfectum, iā solo mortalitatis, huius vello diuiditur, ac differtur à Sanctis Sanctorū, à summa illa beatitudine super cœlesti: quia tamen cū iā in fide, & spe eius, quē amat fruitur in cōsciētia.

Tunc nihil homo præter vnū, vel propter vnū diligit. Vnū amat, vnū diligit, vnū sitit, vnū cōcupiscit. Ad ipsū anhelat, in ipsum suspirat, ex ipso inardescit, in ipso requiescit. Nil dulcescit, nihil sapit, nisi hoc vno condiatur. Cū frui potest eo quod diligit, omnia pariter habere se credit. Sine illo horrent omnia, sordēt vniuersa. Iā enim mens non sibi viuit, sed Christo, cuius pascitur amor. fruitiuo, & quò magis diligit, eò diligēdi ardor magis accēditur. Sicque de se ipso nutritur amor, dum amor amorem acuit, amore pascitur, amādo crescit, & perficitur. Facitque mentē denudari amore proprio, quasi vi quadam, ac violentia forti.

Quia admirabilis, ac ineffabilis vnio fruitiua est, aliquibus similitudinibus explicatur. Prima est de arbore, cui surculus inseritur, vbi surculus vna arbor efficitur cū trunco per nutrimentū terræ: sic etiā anima per nutrimentum amoris istius, vnus spiritus fit cū spiritu Dei. Hāc vnionem nobis Christus promittit, dicens: ***Ego sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructū multū.*** Secundā potest esse de vino, cui gutta aquæ infunditur. Aqua illa in vinū mutatur, assumendo naturā vini in colore, odore, sapore, & in omni virtute. Sic etiā cadit anima per fruitiuā vnionē in Dei immensitatē, sicut gutta aquæ in maris magnitudinē; seruat tamē essentiā suam anima, sed omnes vires eius sunt deificatæ, hoc est, Deo perfusæ, quēadmodum stella, quæ tenebrosa est in substantia, perfruitur claritate, & calore solis. Quāuis istæ similitudines, cuilibet vnioni supernaturali adaptantur, multò meliùs fruitiuæ vnioni propter eius excellentiam.

Harphius noster docet huiuscemodi vnionē fieri tractu quodā, aut tactu, quē Deus in intimo spiritus nostri facit. De quo amorosa anima gloriebatur, dicens: *Dilectus meus misit manū suam per foramē, & venter meus intremuit ad tactū eius.* Tactus autē iste est vltimū mediū inter Deū, & spiritum nostrū, inter operari, & requiescere, aut agi, inter viuere, & spiritualiter mori, vel expirare: subleuatque nos ad altissimū exercitiū sub increato lumine exerceri possibile; quia tactus iste excitat, & eleuat intellectū ad cognoscendū, & contēplandū Deū, modo possibili in hac vita, in sua eminenti claritate, & trahit superiorē vim amatiuā ad Deo fruendū. Negotiū talis tactus in hoc cōsistit, quod trahit spiritū amantem ad externū exercitiū, & ad internū: quia spiritus Dei sua diuina motione extrahit nos ad amandū practicè, & ad operandū virtuosè & rursus intrahit spiritū nostrū ad amandū fruitiuè, quiescēdūque fœlicitèr. Et hæc est, quædā vita beata fruitiua, quæ in eminentiori fruitiua vnione celebratur, ac quiescit. Contēplatio otra ex diuino tactu est altissima, nimirum, quæ in caligine fit, de qua actum manet superius.

Henr. Harph. lib. 2. myst. Theolog. c. 54. p. 3.

Cant. c. 5.

Tract. 2. c. 10. 11.

Multoties in hoc statu anima extasim patitur, eàque sponsus custodit diligentissimè, & beneuolentissimè vigilat super eā, eo quod læuā suā capiti eius supposuit (vt ipsa fatetur: *Læua eius sub capite meo*) præcipitque, vt eā non excitent, nec separent à tā fœlici exercitio, dicēs: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosque cāporū, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectā, quoadusque ipsa velit.* Quāuis antē D. Bernardus dicat: Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, vt Dei brachijs amplecti se sentiat, Dei sinu foueri, Dei cura, & studio ne dormiēs forte à quopiā, donec vltrò vigilet, excitetur? Tamen experientia docet, accipere spirituales, & diuinas infusiones, tā ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, veluti alter Helias, cui dictum fuit: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertēs montes, &

Cant. c. 2.

S. Ber. ser. 52. in Cāt.

conterens petras ante Dominum. Nõ in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus. Tũc recreatur introrsus, ac sapiẽtiæ dapibus saginatur, ipsa eadem ministrante sapiẽtia.

In fœlicissimo hoc statu anima fortitudine heroica gaudet, qua non solũ fortiter vincit omnes difficultates virtutibus exercendis oppositas sed gloriatur in tribulationibus, contumelias gloriam reputãs, opprobrium gaudiũ, despecti ones, & humilliationes exaltationẽ. Insuper trãscẽdit etiam diuinas cõsolationes, & omnia dona Dei, ita quod nequaquã diuinis cõsolationib⁹, aut vlli dono Dei se tumulenta immergit, sed hæc omnia potius aspirãdo nititur pertransire, vt eũ quem solũ super omnia diligit, ad votũ valeat inuenire, & illo frui. Vide Ricã S. Vict. lib. 4. Benia. mai. c. 16. p. 1. Iam purgata manet ambitione spirituali, & spirituali luxuria, alijsque spiritualibus imperfectionibus. Circa spiritualia, de quibus agunt Doctores mystici. Itaque mens in culmine stat omnia superãs, & spernens. Audi D. Gregorium super illud

Psal. 18. *S. Greg. in Ioan. hom. 27.* versiculum: *Nimis confortatus est principatus eorum. Ecce electi Dei* (inquit) *carnem domant, spiritum roborãt, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant, præsentia despiciunt, æternam patriam cum voce, & moribus prædicãt: eam etiam moriendo diligunt. Occidi possunt, & flecti nequeunt. In ista ipsa passione, qua ceciderunt in morte carnis, videte quantum fuerit culmen mẽtis. Vndè hoc, nisi quia confortatus est principatus eorum?* Hæc est fortitudo donum Spiritus Sancti, & animã iam purgatã, fortificans omnes tres animæ potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem. Lege D. Bonauenturam.

S. Bon. de sept. don. Spir S. c. 2 de don. forti. Post fortitudinem, sequitur virtus pacientiæ heroica, qua mens non solũ aduersa voluntariè suffert, sed victor existit, & sine murmure ea pertransit, vt videtur in Apostolis. Sic vincit aduersa, non colluctando, sed gaudenter sufferendo, non murmurando, sed gratias Deo agendo, & ipsum diligendo. Manetque anima tranquilla, quia aliena à passionibus secundũ sententiam

Luc. c. 21. Saluatoris: *In pacientia vestra possidebitis animas vestras.* Cũ Apostolo dicit: Cõplaceo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in angustijs. Iterũ: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Denique fiducialiter ait: Improperium spectauit cor meum, & miseriam. Sentit magnã abundantiã Dei, & dulcedinis spiritualis: nã omnem aduersitatem reputat pro adiutorio veniendi ad dilectum, & omnes persecutores diligit tanquam veros adiutores ad vitam æternam.

Concomitatur etiã vnionẽ fruitiuã heroica humilitas, quã charitas format, & inflammat, quæ non solũ consistit in vera cognitione sui ipsius, sed transit in affectũ, ita quod homo vult, quantũ in se est, omnes de illo eandem tenere sententiã, quã apud se in veritate cognoscit. De hac agit Euãgeliũ, quando dicit Christus: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Corde dixit*, ait Bernardus, *cordis affectu, id est, voluntate. Humilis videlicet illa humilitate, quã cordis suasit affectio, nõ quã extorsit discussio veritatis. Propterea dixi hanc voluntariæ humilitatis speciẽ non redargutione veritatis, sed charitatis intra nos infusione creari: quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis.* Vide Harphium. *Matth. c. 11.*

Henr Harph. libr. 1. myst. Theolog. c. 69. Mẽs licèt eleuata sit in excessu vnionis fruitiuæ, & altissimæ contẽplationis clarè cognoscit, quid sit ex se homo, semperque humilis fit, iudicãs de se, quod est mendax, atque adeò semper inuenit, ex quo profundè humiliatur. Testis est Dauid de se dicens: *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.* Benè redarguit Prophetã D. Gregorius his verbis: Si omnes, & tu. Falsaque iã erit sententia tua, quã mẽdax ipse protulisti. Si verò ipse non es mẽdax, vera iã sententia non erit: quia dũ tu verax, nõ omnis homo cognoscitur mendax. Respondet: *Notandũ est, quid præmittitur: Ego dixi in excessu meo. Per excessum ergo mentis, etiã seipsum transit, cũ de hominis qualitate definit. Ac si apertè dicat: De falsitate omniũ hominũ inde verã sentiam protuli, vndè ego ipse super hominẽ fui. In tantũ verò, & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autem omnino non mendax, in quãtum per excessum mentis super hominem.* Lege Ricardum. *Psal. 115.*

Ric. Vict. c. 9. 10. de extermin. mal. tract. 2. p. 1. Deinde tanta humilitate fundata est mens, quod omni desolatione se dignam reputat, vniuersæque creaturæ (sine fictione) æstimatione propria se substernit, & ab omnibus vilipendi,

 cu-

omnique tribulatione vsque ad mortem circumvolui cupit, vt sic ductorem omnis desolationis patientissimum imitans dulcem Iesum, vsque ad turpissimam mortem crucis eidem se perfectè conformet, cuius amantissimum cor propter homines improperium expectauit, & miseriam.

Vnionem fruitiuam præcedunt veluti vltimæ dispositiones passiuæ vnio vulnerans, & vnio languens; ac vnio liquefaciens, & vnio inebrians. Vtrū autem anima separata à corpore ante visionem beatam fruatur perfectissima vnione D. Bonauentura affirmat, ex D. Bernardo dicente: Animæ à corpore exutæ, iam pane doloris non cibantur, sed vinum amoris post cibum pleniùs haurire permittuntur. Æstuat anima nunc sanctæ charitatis potata vino. Subdit Bonauentura *Tantò igitur anima à carne separata, vitā perfectiùs exercet, quantò à corpore grauante absoluitur, & dilectum suum vehementiùs amat. Igitur absolutio animæ à corpore grauante, non est formidāda, sed desideranda. Hanc desiderabat Apostolus cùm dixit: cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et paulò infra: *Et si talæ animæ à matrices separatæ à corporibus suis aliquid secum deferant, quare indigent purgatione, credibile est, quod tales faciliùs purgantur, & leuius patiuntur, & quandoque minimè pœna sensus Cuius ratio est, quia amor pœnas alleuat, & quandoque totaliter annihilat.* Probat locis D. August. & sacræ paginæ, &c.

S. Bon de sept. don. Spir. S. c. 8. de don. Sapient.

S. Bern. de dilig. Deū longè post med.

CAPVT IX.

De gradibus vnionis fruitiuæ.

VNionis fruitiuæ, secundū Patres, & mysticos Doctores duplex assignatur gradus. Primus dicitur sponsatio spiritualis: secundus, matrimonium spirituale appellatur. De sponsatione spirituali dicitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Et: *sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.* Tribus de caussis amatrix anima vocatur Christi sponsa. Prima, quia sociatur Deo amore casto. Nam amor ipsius animæ numquam quiescit, nisi in illo solo. Secunda, quia anima iusta non potest ab aliquo fœcundari fructu virtutum, nisi à solo Deo. Tertia ratio est, quia ab eo solo donis virtutū subarrhatur, quæ nullus dare potest, nisi solus Deus. Consistit vnio ista sponsalium spiritualium in conformitate intima voluntatis animæ cum Deo per amorem intimum fruitiuum experimentalem, & Dei cum anima. Sic in sponsalibus humanis requiritur consensus voluntatis, & animorum inter sponsos.

Cant. c. 4.

Osæ. cap. 2.

Quærit Bernardus: quare soror, & sponsa? an non poterat sufficientem sponsi amantis affectum ostendere solius sororis, vel solius sponsi positio? vel quare sponsa, & non vxor, cùm quotidie quælibet anima fidelis sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Respondet: Paucis dico, solent sponsæ nondū alligatæ coniugali vinculo amari ardentiùs, quā postea. Tempore enim præcedente amor ipse componitur. Spōsus ergo noster, vt magnitudinem insinuet sui amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiā carnaliter diliguntur: vt in amore sponsi nostri, nil carnale sapias, ipsam spōsam sororē appellat, quia sorores nequaquam carnaliter diliguntur. Dicit ergo vulnerasti cor meum, &c. Tamquam dicat: quia summè te diligo, vt sponsam, castè vt sororem, vulneratum est cor meum propter te. Hæc ille.

S. Bern. c. 3. de Pas. Domin.

Anima etiam sponsa effecta, ardet amore, æstuat desiderio, anhelat suspirio. Pallet in ea omnis amans, & ipsa amore pallet aspirās ad vnionem fruitiuam spiritualis matrimonij. Tunc sponsus suus offert oscula, iungit amplexus, & diem matrimonij accelerat, vt læta cantet: Ecce quod concupiui, iam video, quod amaui, iā teneo magis permanentèr. Et secundū legem summus Sacerdos virginem ducit vxorē. Hinc ait Apostolus: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Chrysostomus ait: *O nouas res, in mundo virgines manent ante nuptias, post nuptias non item. Hic autem non sic. Nam licèt non sint virgines ante nuptias illas, post nuptias tamen virgines sunt.* Ideo aiebat B. Agnes: Quē cum amauero, casta sum, cū tetigero, munda sum, cū accepero, virgo sum.

Leuit. cap. 21.

2. Cor. cap. 11.

S. Chrysost. ibi Hom. 23.

De

S Ber. ser. 83. in Cāt. Ad Phil. cap. 3. De matrimonio isto spirituali D. Bernardus, explicans illud Apostoli: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos*, inquit: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cũ cui videlicèt similis est per naturam, similè nihilominus ipsi se exhibeat per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit.* Quid hac cõformitate iucundiùs? quid optabiliùs charitate? qua fit vt humano magisterio non contenta, per te met ò anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio, verè spiritualis, sanctique connubij contractus iste est. Parum dixi contractus, cõplexus est. Complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus.

Rica. Vict. cap. 8. in Cant. p. 2. Concors est Ricardus, hæc scribens: Multò labore, & instantia, & oratione (spectat ad dispositionem actiuã) spõsa dilectum inuenit: & tandem in cubiculo introduxit. Vndè dignum est, vt post fatigationem, tandem requiescat: & dilecto tot sudoribus, & discursionibus apprehẽso fruatur. In hoc cubiculo, nõ solũ dilecti fruitur amplexibus, & propria negocia peragit, sed etiam aliorũ necessitatibus intendit. Diuersis autẽ modis, hic Deo fruitur: videlicèt nunc vt sponso: nunc vt Doctore, nunc vt Patre: nunc in eius amore dormit: nunc contẽplatur: nunc cũ illo aliqua ordinat, & disponit: nunc ab illo audit, & docetur. nunc eius amplexibus fruitur. Habet cum illo amplexus, & oscula: habet fœtus & vbera. Et infrà: est ibi spirituale connubiũ: concordia videlicèt, & coniunctio voluntatũ, fecũdat ibi non carnalis copula ventrẽ, sed Spiritus Sanctus mentem: gemellis hanc impregnans fætibus, id est, gemina charitate Dei, & proximi. Hic vxor fit anima.

Nihil est in hoc castissimo connubio propriũ, sicut Verbi voce ad seniorem filium dicitur: *Fili tu semper mecũ* Luc. c. 15. *es: & omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Nihil occultũ, prout veritas testatur; *idem* (inquit) *non dicam vos ser-* Ioan. c. 15. *nos, sed amicos: quia quæcũque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Subarratur anima spiritualibus donis Verbi tunc, Perficiuntur omnes virtutes Theologales, & Morales, ac fiunt hæroicæ. Renouatur intus quotidie, ideò: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circũamicta varietatibus.* Psal. 44. Læta, & festiua fiducialiter cum Propheta canit: introibo in domum tuã, adorabo ad Templum Sanctum tuũ in timore tuo. Vritur desiderijs, anhelat amore, corde vociferatur, dicens: *Sitiuit anima ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*: Denique in hoc Sacramento Sancto, dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Pro modulo suo correspondet sponsa amore perfecto. Et ego illi: Non alteri præter ipsum. Viuit iã sola cum Christo, moriturque omnibus alijs; iuxta illud Apostoli: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Vita sua, iam non vt sua est, quia abscondita cum Christo; sicque tanquam mortua viuit vita diuina. Atque adeò mens effecta est, tanquam vmbra; vt sicut vmbra mouetur ad motum corporis, quod eam efficit, ita voluntas sequitur diuinam per omnia interiora, & exteriora. *Sub vmbra illius, quem desiderabam sedi.* Tandem cum Paulo dicere potest: *Non quod iam acceperim* (resurrectionem mortuorum) *aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo, & comprehensus sum à Christo Iesu.* Intenta voluntate solum aspirat ad beatitudinem.

Psal. 41. Cant. c. 2. Ad collo. cap. 3.

Viuit in terra more cœlestium, dum instar supernatum creaturarum, cœlesti viro Christo casto amore nupta extitit. Vndè magis, ac magis conformari satagit formæ, quæ de cœlo venit discens exercitium omnium virtutum in gradu hæroico. Ideò moribus contendit placere ei, quem Angeli prospiciunt: vt dum desiderio feruet Angelico, probet se proinde ciuem Sanctorum, & domesticam Dei, probet dilectam, probet fidelem sponsam. Tunc liquidò ostendit, quia verè virgo ipsius de cœlo est, cùm conuersatio eius in cœlis est. Crescit, & proficit in virum perfectum: in mensuram ætatis plenitudinis Christi. In omnibus aduersitatibus fortis exillit, nec vitam propriam diligit, imò odit, vt Deo obediat. Sic Paulus, & Apostoli in Concilio positi dixerunt: *Obedire oportet magis Deo, quàm ho-* Actu. c. 5.

hominibus: In hoc statu vocatur matrimonium spirituale consumatum inter Deum & animam. Quod si auxilio diuino perseueret spiritualis vir, appellatur Sacramentum inseparabile secundum Oseam: *Sponsabo te mihi in sempiternum*, fitque per inseparabile glutinum charitatis, lege Ricardum.

Osæ.c.2. Ric.Vict.c.4.de amor. inseparab.

Hinc aiebat Apostolus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separe à charitate Dei.* Magna sunt hæc, & incognita inexpertis. Fortis vnio amoris cum Deo; omnia parua erant, siue in terris, siue in cœlis, illi comparata, omnia debilia, & talis vnio super omnia. Neque creatura alia: *Ac si diceret* (inquit D. Chrysostomus) *si velut aliud tale, ac tanti mundi opificium existeret, quale quantumcumque, vel hoc ipsum, quòd spectamus, vel quod in mentis humanæ cogitationem cadere possit: nulla tamen res esset, quæ me ab eo amore submoueret.* Iam neque Christum propter eius opera, sed propter illum, illius opera amabat, atque ad illum vnum respiciebat, cum quo intimè vnitus erat Sacramento inseparabilitatis, vnum tantum veritus, ne ab eo amore excideret Hoc enim, vel gehenna illi terribiliùs erat, quemadmodum in eo amore persistere, vel cœlorum regno desiderabiliùs.

Ad Rom. cap.8.

S Chrysost. hom.15 in epist. ad Rom.

Sancta Theresia à Iesu inuenit per experientiam discrimen inter vnionem spiritualis matrimonij, ac spiritualis sponsationis, quia in matrimonio arctior animæ, cum Deo coniunctio, & veluti indissolubile vinculum: Deus enim deinceps ferè continuò est animæ præsens, quamuis non semper, ita clarè, & apertè, sicut eo tempore, quo diuinum matrimonium fuit contractum; quia aliàs si aliquantulum non remitteretur, anima non esset cōpos omninò sui, nec posset in aliis occupari. Cæterum, quamuis non ita clarè sicut anteà, semper aduertit, & se introrsus colligit, & hanc diuinam societatem experitur; non aliter, ac si duo essent simul in vno cubiculo, si clauderetur fenestra, quamuis non apertè videat eum, quem anteà media luce conspexerat, apertè tamen intelligit sibi esse præsentem. In sponsatione verò spirituali, non ita contingit quia frequenter separatur anima à Dei præsentia, nec continuò gaudet tali præsentia, sicut in matrimonio. Explicat hoc exemplo: dicamus vnionem sponsationis similem esse duabus candelis cereis, quæ ita intimè connectuntur, quod ex duabus vna lux fiat, adhuc tamen non ita remanent vnitæ, quin ab inuicem possint separari, & fieri sicut anteà vna candela. Matrimonium spirituale comparari potest aquæ cœlesti in fluuium cadēti, vbi ex duabus aquis, ita vna fit, vt non possint diuidi, ac discerni, an sit aqua fluuij, an cœlestis. Alia discrimina adducit ibidem.

S. Theres. Mans.7.c.1.2.

CAPVT X.

De purgatione animæ in via vnitiua.

PRoculdubio certum est inueniri purgationem in via vnitiua, & quidem grauissima, & terribilis animæ eam patienti vocibus, valde significatiuis illam depinxit Hieremias, dicens: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Minauit, & adduxit in tenebras, semitas meas conclusit lapidibus quadris. Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Et alia plura ad propositum. Loquitur de anima iam perfecta, nam nomen *vir*, hoc denotat. Constituitur tunc in summa desolatione, aufugit fœlix ille status sponsationis, & matrimonij spiritualis, lux perijt, præsident tenebræ mentem, manetque clausa lapidibus quadris, sine radio lucis; inebriataque absynthio amarissimo omnium tentationum, præcipuè illarum, quæ partem superiorem concernunt; transit namque per ignem, & aquam, & quasi excoquitur ad purum, sicut metallum igne.

Thren.c.3

Ratio cur indiget purgatione, est, quia dum viuit in hac lachrimarum valle, non inuenitur, absque aliqua escoria, quamuis perfecta sit, & formosa. Fatetur anima sancta de se: *Nigra sum, sed formosa* Bernardus: *Si diceret, quia nigrenidem non haberet, seipsam seduceret, & veritas in ea non esset. An nigram quidem ob terrenam conuersationem, quàm priùs habuit sub Principe huius mundi, imaginem terre-*

Cant. c.1. S. Bernar. ser 25. in Cant.

restris hominis adhuc portans? Nemo mundus à forde, ac septies in die cadit iustus, de exercitio laboriosæ militiæ: de diuturnitate miseri incolatus, de corpore denique fragili, & graui: quia corpus, quod corrumpitur, aggrabat animam, & deprimit terrena sensum multa cogitantem. Ideò plorabat Paulus dicens: Infœlix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ideò sponsa sancta, & formosa, & nigra perhibetur. Cognouit non posse carere in hac vita ad parum macula, & ruga.

Quare perfecti desolantur à Deo, priuanturque statu illo fruitiuo, docet D. Bonauentura ex D. Gregorio, quia non numquam dum mens nostra tanti muneris plenitudine donorum, atque vbertate fulcitur, & continua securitate in his perfruitur, vndè sibi hæc sunt, obliuiscitur: & quasi se putat habere, quod numquam sibi considerauit abesse. Vndè fit, quod eadem gratia donorum, quandoque vtiliter se subtrahat, vt nescienti præsumenti quantum in se infirmetur, ostendat. Tunc enim verè cognoscimus bona nostra, vnde sint, quando hæc, quasi amittendo sentimus, quia à nobis seruari non possunt. Exaltatio cordis in tot donis spiritualibus primum hominem perdidit, & de paradyso eiecit. *Testatur enim B. Augustinus* (ait Bernardus) *quod nequaquam tentator, hominem de paradyso eiecisset, nisi aliqua elatio in animam hominis praecessisset, cum verissimè scriptum sit: Ante ruinam exaltatur cor.* Hac de causa aliquando perfectus priuatur ad tempus gratijs gratis datis, vt animo humiliato dicere valeat cum Propheta: *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Cognoscatque mensuram talium donorum solùm esse Deum, secundùm illud Iob: *Indica mihi si habes intelligentiam: quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam?*

S. Bon. de Sept. don. Spir. S. in Gen. ca. 4. S Gregor. Mign. lib. 2. mor. ca. 27.

S Bern in sentēt. circ. princ.

Prou. c. 16

Psal. 130.

Iob c 38.

Patiuntur etiam perfecti tentationes carnis, quia viuunt in carne, non mortua, licèt mortificata. Testis est Hugo, dicens: *Mira res, etiam perfectis, quandoque blanditur affectus carnis. Ecce quomodo Iacob ambulat cum Esau, amplexatur, & stringit, osculatur, & plorat. Ambulatio spiritualis Iacob, & carnalis Esau, est animi voluntas, amplexus voluptas, fletus carnalis affectus.* Hinc dicit Paulus: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Non dixit, non sentietis, sed non perficietis: manifestè declarauit omni homini, quandiu in hac vita est, concupiscendi necessitatem, ex corruptione naturæ inesse.

Hugo à S. Victor de claust. anim. c. 9. Gen. c 33.

Ad Galat. cap. 5.

In raris autem, & valdè perfectis remouet Deus etiam titillationem carnis, quia *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* At multi, quamuis ad summam perfectionem profecerint, stimulum suæ carnis extinguere non potuerunt. Sed diuina dispensatione, hoc in eis factum est, quam quidem quid vnicuique vtilius accidat latere non potest: In aliquibus fit ad demonstrationem singularis eorum fortitudinis, quia tales sunt, qui semper cum auxilio Dei pugnare assiduè, & triumphare sufficiunt. In alijs autem ad custodiam humilitatis, quando se cognoscunt, & singularia bona præcæteris accipiunt. Atque adeo suam infirmitatem ex seipsis cognoscunt. Mira hoc dispensatione agitur, vt mens humilis permaneat; nam esse magnam crederet, si desolatam, & tentatam non sentiret.

Psal. 28.

Aliquando tamen permittit Deus perfectos committere aliqua peccata venialia. Et sæpè mens, quæ aduersa multa, & fortia superat vnum in se forte minimum, quamuis magna attentione inuigilet, non expugnat. Ita D. Gregorius addens diuina dispensatione agi, ne ex omni parte virtutibus splendens, in elationem subleuetur, vt dum in se paruum, quid reprehensibile videt, & tamen hoc subigere non valet, nequaquam sibi, sed auctori victoriam tribuat in his, quæ fortiter subigere valet. Adducit illud Iob: *Obtenebrentur stellæ caligine eius. Stellæ quippè* (inquit) *huius noctis caligine obtenebrantur, quando & hi, qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ, aliquid retinentes sustinent, vt etiam magna vita claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant.* Tunc mens sua meliùs infirmitate roboratur, ac meliùs in bonis lucet, vndè parua reprehensibilia humiliter obscurant.

S. Gregor. Mag. lib. 4. in Iob 3. c 21. 22.

Iob cap. 3.

Optimè docet D. Laurentius: Non sunt Dei iudicia curiosè rimanda, non de permissione diuina ratio inuestiganda.

S. Laur. Iustin. de cast. connu. c. 7.

da. Quisque sub Verbi gubernatione se ponat, cuncta sibi occurrentia, etiam aduersa, & inscrutabilia reuerentèr excipiat. Non potest Dei sapientia errare, fallere numquam consueuit. Exercitatos tentando erudit, prouectos spiritu deserendo accendit. Robustos, & spiritu calescentes, vt ex tentationibus profectum virtutum reportent brauium, in ijs, quæ sunt pœna peccati, grauiter impugnari permittit. Qui verò de vitijs obtenta perfecta victoria in Christo suauiter quiescunt, tentantur & ipsi, non tamen vt cadant, sed vt cadere se posse agnoscant, nisi ex occulta & æquissima dispensatione. Perfecti, quamuis tentationibus humilientur, cæteros nihilominus præcellunt sanctitate. Habitibus virtutum ad exteriora impelluntur, & quò commotos esse arbitrantur ab infimis, eò imitantes incarnatum Verbum fortiùs stant.

CAPVT XI.

Prosecuntur aliæ tentationes perfectorum.

Sanctus Bernardus fatetur perfectos tentari à diabolo tentatione honorum, & dignitatum, quæ inanis gloriæ, & ambitionis tentatio est, originem ducens à fama, & bona opinione bonorum operum, quæ in luce fiunt: *Fama*, inquit, *volat: & ideò in die, quia ex operibus lucis. Si hæc exsufflatur, tanquam inanis aura, restat vt solidius, aliquid afferatur de honoribus sæculi, si fortè, qui non curat laudes, appetat dignitates. Vide, si non hic ordo tentandi seruatus est in Domino nostro, qui post suggestum ad solam vanitatem præcipitium, ostensa sunt omnia regna mundi, ac oblata.* Subiungit inimicus: *Hæc omnia dabo tibi.* Vbi Tostatus: scilicèt omnia regna, quæ ostendi tibi, ponam in potestate tua, vt sis Rex eorum.

S. Bern. ser. 34. in Cant.

Matth. c. 4.

Abul. in c. 4. Mat. q. 43.

Non sistit hic tentatio ista, si attendatur. Aliqui namque sua ambitione ducti allegant verba Apostoli: *Si quis Episcopatum desiderant, bonum opus desiderat.* Eos retrahit ab hac tentatione ipse Apostolus addens: *Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse.* Optimè D. Gregorius dixit: laudans desiderium, in pauorem vertit, quod laudauit. Fauet ex desiderio, & terret ex præcepto, ac si apertè dicat: *Laudo, quod quæritis, sed prius discite, quod quæratis ne dum vos metiri negligitis, tantò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantò & à cunctis conspici in honoris arce festinatis.* Itaque ad desiderium aspiciunt vt bonum, vbi non est præceptum, & ad præceptum de irreprehensibilitate vitæ, & morum non attendunt. Qui huiusmodi tentatione vincitur sacrum officium, non solum, non diligit omninò, sed nescit. Deinde notat ipse Gregorius, hoc dictum esse ab Apostolo laudāre desiderium illo tempore, quo quisquis plebibus præerat primus ad martyrij tormenta ducebatur. ac tunc laudabile fuit Episcopatum, quærere, quādo per hunc quemque dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire.

Ad Tit. c. 1.

S. Greg. in Pastor. c. 8

Aliqui tandem in hac materia seipsos fallunt: aliqua bona opera animo proponunt, quibus in dignitate alijs prodesse iudicant cœlando iustitiam, veritatem, & Religionem: & quamuis hoc elationis, & ambitionis intentione occulta appetunt, operaturos tamen se magna in honorem Dei, & bonum proximi. *Fitque*, teste eodem Gregorio, *vt aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantes animo superficies cognitionis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria, non amare, quod amat: quæ principare appetens fit ad hoc pauida cùm quærit, audax cùm peruenerit. Timens enim, ne non perueniat, trepidat: sed repente perueniens iure, sibi hoc debitum ad quod peruenerit putat.* Ad tam miserum, & lachrymandum statum perueniunt, qui simili tentatione vincuntur. Posteàque obliuiscuntur, quæ falaci mente religiosè tractauerant.

S. Gregor. Magn. sup. cap. 19.

Denique patiuntur perfecti, alias grauissimas tentationes, vt sunt desperatio contra fidem, & quæ concernunt partem superiorem animæ, de quibus actum est, sicut de earum remedijs in via purgatiua, & illuminatiua. Hæc omnia veniunt ex absentia Dei, sed eius gratia aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatē, quia non recedit sponsus, sed modo occul-

to protegit, vt virtutes perfectiores sint. Non recedit Deus, sed in partem secedens; à dextris existens, ne commoueatur anima ab amore illius. In ea manet, licèt minùs ad esse sentiat. Agit tunc laboriosè, quod prius delectabiliter agebat. In quo labore spiritualiter roboratur, & dum viriliter agit, confortatur in virtutibus, præcipuè in eius amore, quia iudicans se esse exclusam à Deo sauciata illum diligentiùs quærit, & quærendo plus diligit, veluti captiua amore.

Cant. c. 3. *Per noctes, dixit sponsa, quæsiui, quem diligit anima mea:* Satis desolata erat præsentia sponsi, satis obscura, quæ non per noctem, sed per noctes deambulabat. Non inueniebat; accedensque ad vigiles ciuitatis quærit: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Fatetur vtrobique diligere sponsum. Sed quo gradu benè Bernardus inquiens:

S. Ber. ser. 79. in Cât. *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuosè, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, tè contentus. Confundis ordines, dissimulas vsum, modum ignoras, totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii iudicii ue videtur, triumphas in temetipso, & redigis in captiuitatem.*

Quod loquitur sponsa sancta, quod cogitat resonat & redolet amorem, & nihil aliud, quia opere, & veritate diligebat. Tamen non videtur ei inuenisse sponsum, imo & perdidisse, cum dicit: *Quæsiui eum, & non inueni.* Hoc fit in viris perfectis desolatis propter dicta. Si enim sentirent Deum diligere, non esset tempus afflictionis, & tenebrarum, & purgationis. Ideo Deus permittit sic fieri, & eos non solùm percuti, sed & cingi tribulationibus. Cinctus tribulationibus Paulus fuerat, cùm dicebat: *Foris pugnæ, intus timores.* Et: *Periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, &c.* Percutimur tribulationibus, quando ex alia parte consolationem aliquam habemus. Cingimur autem, cùm ex nullius rei consolatione animus respirare possumus. Sic Deus conclusit Hieremiæ vias suas lapidibus quadris, quia cinxit eum.

2. Cor c. 7.
2. Cor cap. 11.

Quod si recurrit ad orationem vir spiritualis desolatus, in qua solatium, & consolationem antea habebat, iam maiorem afflictionem inuenit. videtur namque sibi Deum excludere orationem suam, vt ipse Hieremias de se sentiebat: *Sed, & cùm clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam.* At sciat ad vtilitatem suam diuina prouidentia fieri, quia cùm eum non exaudit ad voluntatem, tamen exaudit meliùs ad profectum. Benè Ricardus ait: *Cum non exaudisse putatur, meliùs exaudit: quia concedit quod magis expedire nouit. Paulum postulantem auferri à se stimulum carnis suæ, meliùs exaudit Deus, cum hunc non abstulit. Itaque cùm non respondere putatur, meliùs respondet.* Sic virtus in infirmitate perficitur.

Thre. c. 3.

Ricar. à S. Vict. in Cât. c. 35. p. 2.

Maximum documentum inuenimus in hoc casu Pauli. Audiamus B. Laurentium dicentem: Quis vnquam arbitraretur hominem vsque ad tertium cœlum raptum, imo in paradysum, ibique arcana diuinitatis audisse verba, quæ homini loqui non licet, cuius conuersatio propter amoris vehementiam, mentisque munditiam in cœlis erat, qui non ab homine, quod prædicabat, accepit Euangelium, sed per Iesu Christi reuelationem, qui fiducialiter dicebat, certus sum, quia neque mors, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, ne eleuaretur inaniter supra se, necessario doceri habuit per se de se? Hæc ille, & alia scitu digna. Quis autem, nisi relictus sibi propria agnoscit fragilitatem? Continuus successus elationem parat elatioris.

S. Laur. Iust. de cast. connub. cap. 15.

Perseueret ergo anima sponsa, verbi desolata eius præsentia, quærat exercitio virtutum humilis, & fidelis, spectet eius aduentum ad tempus destinatum à sua amabili prouidentia. Veniet tunc, & occurret, quasi præ diues paterfamilias, qui in domo sua abundat panibus, imò tamquam Rex magnificus, & potens, qui sponsæ pauperis videatur pusillanimitatem erigere, prouocare affectum demonstrans illi omnia desiderabilia gloriæ suæ, diuitias torculariorum, ac promptuariorum, hortorum & agrorum copias, demum eam introducens in ipsa secreta cubiculi, & non sit ex omnibus, quod ab illa existimet abscondendum, quàm redemit inopem, probauit fidelem, amplexatur amabilem, magnificè pro Regia liberalitate. Experta tunc anima, fortiùs tenet sponsum: Tenui

ngi eum, nec dimittam, ipsa fatetur ipsum, quærens antea, & non inueniens tempore desolationis. Deinde ipsa tenetur vicissim ab eo quem tenet iuxta Prophetæ dictum: *Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* O fortis tentio! Quæ tenetur, & tenet difficilè cadere potest. Benedicta tu à Domino, quæ & Indignationem compescit, & charismata diuina mereris accipere. Purgata fœliciter, soloque diuino spiritu subacta vna, vni fœlix counitis absorta, & rapta, cùm illoque vnus spiritus effecta purissimò amote in apice affectiuæ potentiæ celebrato.

Psal. 72.

CAPVT XII.

De vnione fruitiua experimentali animæ cum Christo in Eucharistia.

GRauis difficultas est præsens. Aliqua supponenda sunt in ea. Primum, duplicem esse vnionem. Vna vocatur effectiua, estque, quando ita duo sunt sibi intimè præsentia, vt ex efficientia, quam habet vnum circa alterum, non possunt separari, ac si dicimus, ferrum esse realiter coniunctu magneti, non solùm propinquitate loci, sed vnione effectiua, quia magnes effectiuè illum trahit, & continet, ne à se separetur. Verum est dari aliquo modo istam vnionem effectiuam in Eucharistia respectu animæ dignè recipientis, quatenus causat plura bona spiritualia, quibus suauiter attrahitur anima ad Deum diligendum, de quibus Scholastici agunt in materia de Eucharistia. De hac non agitur in præsenti.

Altera vnio appellatur vnio intrinseca, & formalis, qua duo extrema, ita coniunguntur physicè, vt propriè, ac realiter componant vnum, quæ compositio semper requirit in vtroque, intrinsecum, & realem modum vnionis, ex quibus totum compositum resultat, transitque in tertiam entitatem; sicut fit in vnione animæ, & corporis. De hac etiam non agimus, quia inueniri nequit inter Christum, & animam. Ratio est perspicua. Nam ad talem vnionem requiritur, quod vnum extremum se habeat, vt potentia, alterum vt actus, ad quod necessarium est, vt sint partes incompletæ. At Christus & homo communicans sunt entia completa. Absque omni ordine compositionis. Nec in illis fieri potest aliqua corporalis transmutatio alterius in alterum. Quod negari non potest, absque temeritate.

Denique supponimus de fide hoc Sacramentum per se ex propria institutione conferre gratiæ augmentum, vt magis, ac magis hominem cum Christo vniat. Sic docent Scholastici omnes. Sumitur ex Sacra Scriptura: *Qui manducat me, viuet propter me.* Et: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Quam Christi promissionem ita intelligunt Patres. Constat etiam ex pluribus Conciliorum diffinitionibus. Ratione etiam, ex principiis fidei omnia sacramenta legis conferunt gratiam, & hoc Sacramentum est nouæ legis Sacramentum. De vnione hac per augmentum gratiæ non disputamus in præsenti, cùm hæc sit communis omnibus dignè sumentibus, sitque etiam in dormientibus, quia est habitualis.

Agimus ergo de alia vnione actuali mystica experimentali, & fruitiua, inter animam, & Christum in Eucharistia: quæ communis non est, sed paucorum; illorum nempè, qui fortiter ambulauerunt viam trium dierum, scilicèt, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam: qui iam perfectè purgati sunt purgatione actiua virtutum in gradu heroico, ac purgatione passiua, sicut dictum est suis locis. Ideò dixit Gerson: *Sentiunt hanc gratiam actualem, & experimentalem, non quidem omnes, qui dignè manducant corpus Christi, & in quibus manet Christus, & ipsi in Christo, vt modo dicebamus.* Gers. tract. sup. Magnif. §. Duodecim. bonu.

Denique supponitur, ideo hoc Sacramentum synaxim, seu communionem à Patribus appellari, quia peculiarem vim habeat vniendi, non tantum per affectum, & charitatem animas nostras cum Christo, hoc enim omnia sacramenta habent, sed etiam corpora nostra, non tantum ea exhibeamus arma, & instrumenta iustitiæ in sanctificationem, hoc enim, & aliis Sacramentis conuenit, per quæ gratia ad mu-

munera obeunda nobis datur, sed etiã ratione coniunctionis carnis Christi cum carne nostra. Atque adeò sermo noster erit, non solùm de vnione mystica experimentali fruitiua animæ cum Deitate Christi in hoc Sacramẽto, sed etiam de vnione experimentali carnis suscipientis cum carne Christi. Quæ gemina vnio, sic explicatur.

Est ergò fœlicissima vnio animæ cum diuinitate, nihil aliud, quàm attingentia experimentalis fruitiua, non tam per visionem, quàm per amplexus dulcissimos, quibus animam ita ineffabiliter, ac suauissimè adstringit, vt ipsa percipiat realem præsentiam, oscula & amplexus castissimè. Itaque propriè loquendo, est vitalis sensus, & gustus, non tantum per affectum, sed per arcanum contactum. Ex parte verò diuinitatis est illapsus ipsius cũ intellectu in ratione summæ lucis, cùm voluntate in ratione summi boni, veluti superiùs diximus de vnione fruitiua. Vnio autem carnis recipientis cum carne Christi, eodem modo est ex parte carnis nostræ experimentalis perceptio carnis Christi in hoc Sacramẽto; ex parte verò carnis Christi, est illapsus. Ita est amplexus dulcissimus, & mutua, ac reciproca vnio experimentalis mystica. Pro quo lege dicta suprà agendo de mystica Theologia experimentali. *Tract. 1. c. 11.*

Pro prima vnione, hæc loquitur D. Laurentius. facilè credi potest, quòd maximo ebrietur amore, cùm & in cordis cubiculo, & in corporis tabernaculo præsentialiter Verbum adesse non dubitet, præ suauitate spiritus cũ Propheta canit, Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocauit. Singularem suæ peregrinationis iucunditatem capit in huiusmodi refectionem, & tolerabiliter Verbi absentiam sustinet, cuius amore languet, Sacramentali saginata visitatione. Ambulando per fidem, nutritur in fide. Nutritur quidem Sacramentaliter, sed spiritualiter perficitur. Et concludit: *Ex Sacramentali ad spiritualem transcendit Verbi præsentiam, in qua perfecti amoris, & futuræ beatitudinis notissima experientia degustatur.* Huiusmodi vnio prouenit à dono sapientiæ, in qua anima totum sapit, quicquid accipit. Hæc est sapientia, de qua dicit Apostolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

S Laur. Iustin de cast. connu. ca. 24. *Psal. 22.* *1. Cor. c.*

Sanctus Bonauentura vberrimè docet hanc vnionem, & qua ratione Christus experimentali perceptione, in hoc Sacramento à mentibus perfectorum attingatur. Postquam probat cum Bernardo, & Gregorio Magno, animam habere quinque sensus spirituales, quibus æterna experitur, dicit: Diuinissima Eucharistia in se habens delectamentum omnem sensum interiorem attingens sensum visus spiritualis excitat ad expetiendum æternorum contemplationem, sensum auditus spiritualis excitat, ad experiendum æternorum auditionem; sensum olfatus, excitat ad æternorum oblectationem; sensum tactus spiritualis, excitat ad experiendum æternorum tentionem, sensum gustus spiritualis, excitat ad experiẽdum æternorum prælibationem. Quos modos latè sequitur, & probat, ex sacris litteris, & Patribus, ac sequentia subdit. *S. Bon. de sep. itin æter. itin. sept. dist. 6.*

Quartò, Iesus est panis supersubstantialis, sicut patet in Matthæo, ideò grauissima, & sufficientissima refectio Angelorum, & hominum, vt dicitur in Psalmo. Ideò attingens gustum interioris mentis, aperit eum ad æternorum dulcedinem gustandam. Vndè Vercellensis super Cantica ait: Nihil est, quod ita gratam mentibus præstet refectionem sic, vt panis supersubstãtialis. Hæc enim refectio non fit per speculum, sed per diuinæ dulcedinis experientiam, iuxtà quod gustus, & tactus non exercentur per speculum, sicut visus: Et in hac Dei participatione fundatur portio Mariæ, quæ non auferetur ab ea. Hæc ille.

In hoc namque diuinissimo Sacramento, sicut dicit D. Dionysius, existit fontana copiosa susceptionum diuinarum suauitatum, refundens de sua plenitudine diuinissimas fragrantias. Rursus cùm Iesus in eo sit summæ attingentiæ secundùm diuinitatem, quia se dat in cibum, & manet in cibato & cibatus in eo, vt dicitur in Ioanne, & hoc in maxima charitate, hinc se cõmunicat degustandum viris perfectis per attingentiam experimentalem vnionis amoris, quo & experitur, & fœliciter tenetur per intimum amplexum. Dicit Augustinus, quòd voluntas habet vnum proprium actum, qui est actus tenendi, siue amplexandi, & quasi *S. Dionys. Areop. c. 4 Eccl. Hierarch.* *S. Aug li. 9. de Trin. c. 8. tom. 3.*

quasi possidendi, quod non habet intellectus. Nam possessio non est intellectus cognoscentis, sed voluntatis habentis, sicut sanitas sani, non est medici cognoscentis, sed sani eam habentis. Vndè proprium actum gustandi Deum in Eucharistia, habet voluntas per vnionem amoris. Hinc ait Ricardus: *Deus auditur per memoriam, videtur per intelligentiam, deosculatur per affectum.*

Ricar. à S. Vict. lib. 4. de cōtemp. cap. 15.

Ad istam admirabilem vnionem experimentalem vocat sponsus dilectam animam, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Bonauenturam audi: *O amica mea* (inquit) *propter experimentalem mei manducationem, nonne comedisti fauum meum cum melle meo? id est, dulcedinem diuinitatis cum corpore, & sanguine meæ humanitatis. Hoc enim proprium est amicis meis, vt comedant, & bibāt corpus, & sanguinem meum; & inebrientur charissimi, vt corpus meum comedant, & sanguinem meum bibant, & experientia intima, mea diuinitate inebrientur. Surge columba mea, propter experientiæ tuæ simplicem fruitionem, & singularem.* Alia grauia, & ad rem satis accommodata prosequitur.

Cant. c. 2.

S. Bon. sup. itin. 7.

Gerson enumerans duodecim fructus Eucharistiæ ait: Quid dici potest vnitius, quàm qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Iterum de diligentibus se: Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Explicatisque aliquibus generibus mansionum, addit: Fœlicissimus qui reuelata facie transformatus fuerit de claritate in claritatē, tamquam à Domini spiritu actus, ductus, & tractus, ita quod sentiat per illuminatos cordis oculos (sicut imprecatur Apostolus) super eminentem scientiæ charitatem Christi, sentiunt hanc gratiam in habitationis Christi, & Spiritus Sancti, qui cum Apostolo mente excedunt Deo. Sentiat operationem intra se Verbi Dei, & remaneat in sentimento, & experientia solus fœlix iste Dei formis illapsus, & influxus Spiritus Christi. Paragrafo, decimum bonum, explicat transformationem animæ à claritate in claritatem sic: *De claritate fidei, in claritatem intelligentiæ: & de hac demum in claritatem saporosæ; & sapientialis experientiæ.* Hæc Doctor iste aliquibus relictis. Tenetque hic Virginem Mariam habuisse istam vnionem experimentalem in sacra communione, & loco citato. In alijsque defœcatis mentibus contingere, expressè tenuere Dionysius Carthusianus ser. 4. de fest. Corp. Christ. & ser. 4. de Visit. B. Mariæ. Tauler. cap. 39. Instit. & ser. 3. de venerab. Euch. Sacram. quorum authoritates omitto breuitatis causa. Videri potest Harphius.

Gers. p. 4.

Et quidem consonum videtur bonitati diuinæ communicare se experimentaliter similibus viris perfectis in Sacramento Sacramentorum Eucharistiæ, in quo in finem dilexit nos. Tùm, quia de se efficax est ad excitandum animæ deuotionem, & charitatis feruorem, cum experimentali spiritus suauitate, & dulcedine. Ioannes dicit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Vndè colligit Concilium Florentinum, hūc cibum spiritualiter conferre eos effectus, quos corporalis cibus confert materialiter, quorum vnus est, oblectare viuentem. Clemens Quintus cū Concilio Viennensi, de reliquijs, & vener. Sanct. inquit: *In hoc Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* Ecclesia etiam accommodat illud Genesis: *Pinguis est panis Christi, & præbebit delitias Regibus.* Multa dicunt Patres super hæc loca, & alia ad propositum. Cùm denique Tridentinum dixerit, quòd Christus in hoc Sacramento diuitias amoris sui erga homines veluti effudit, in eo existens, consonum erit aliquas mentes perfectas ad vnionem experimentalem fruitiuam eleuare, vt explicatum est. Tùm etiam, quia secundùm Patres, & Doctores Theologiæ mysticæ, ipse Deus in hac vita pluribus experimentaliter se communicat, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, vt latè superius per plura capita visum est. Quid igitur mirum, si hoc operetur bonitas diuina, vbi se communicat vi amoris in Sacramento maximo amoris potentis ad illud.

Henr. Harph. lib. 1. Theol. mystic. c. 20.

Ioan. c. 6.

Genes. c. 49

Loquendo de secunda vnione, opinamur aliquando dari in viris perfectis vnionem mysticam experimentalem

lem, vt explicatum est, inter carnem Christi, & carnem suscipientis Eucharistiam. Pro ea sunt plures Patres. D. Hilarius, vt probet inter diuinas personas esse non tantum vnionem per consensionem voluntatis, sed etiam vnitatem naturalem, argumentum sumit ab hoc Sacramento, dicens: *Interrogo, vtrùm per naturæ veritatem hodiè Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ, iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento, nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes sumus, quia & in Christo Pater, & Christus in nobis est.* Infrà: *Quòd autem nobis naturalis hæc vnitas sit, ipse ita testatus est: Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Habetur de consecrat. dist. 2. Canon. in Christo Pater.

S. Hilar. lib. 8. de Trin.

Diuus Chrysostomus, ait: *Nos secum, vt ita dicam, in vnam massam reduxit, neque id fide solùm, sed re ipsa nos suum corpus effecit.* Homilia 46. in Ioannem, hæc loquitur: vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis immiscuit, & in vnum nobis redegit, vt corpus cū capite vniretur: hoc enim amantium maximè est. Homilia autē 61. ad populum Antiochenum, hoc idem, paucis verbis mutatis docuit, ex quibus hæc sufficiant: *Vt itaque non tantum per charitatem hoc fiamus* (nēpè vnum corpus cum Christo, & mēbra ex carne, & ossibus eius, sicut proximè dixerat) *verum, & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quàm largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet: propterea semetipsum, nobis immiscuit, & corpus suum nobis contemperauit, vt vnumquid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est.*

S. Chrysost. Hom. 83. in Matth.

His authoritatibus planè indicat Chrysostomus, per illam peculiarem vnionem carnis Christi cum carne nostra vnumquid effici, nos cum Christo, nempe vt iam deinceps etiam ratione illius, dicamur vnum corpus cū Christo, & membra ex ossibus, & carne illius, dum re ipsa illius carni immiscemur, nón obscurè vnionem hanc adstruit. Videri etiam potest hom. 60. ad populum.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, vt explicet quomodo per hoc Sacramentum in Christo maneamus, & ipse in nobis, inquit: *Sicut enim, si quis liquefacta cera, aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: sic qui carnem, & sanguinem Domini recipit, cū ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.* Deinde comparat Cyrillus carnem Christi fermento, quod talis virtutis est, vt in totā massam per transeat. Eandem similitudinē ceræ expressit lib. 10. in Ioan. cap 13. dicensque: An fortassis putat, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ, cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra sunt Christi? Et paulò inferiùs: *Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam, & participatione naturali.* Adhibetque exemplum ceræ. Quo, & exemplo massæ docet vnionē istam, quæ fit per contactum experimentalem. Sic nāque tangūtur partes ceræ, & massæ inter se, & in vnū vniūtur. Legi potest lib. 1. in Ioan. c. 13. & 27. & lib. 4. c. 16. & 17. Alios Patres adducit Vazquez, qui efficaciter refutat solutiones; præ dictis authoritatibus ab aliquibus datas, cap. 3.

S. Cyril. Alex. lib. 4 in Ioan. cap. 17.

Vazq. in 3 p. q. 79. disp. 204. cap. 2.

Hinc multi, & graues Theologi, quos citat Suarez (licèt non eos sequatur) simpliciter credendum existimāt, fieri corporalem vnionem inter nos, & Christum per hoc Sacramentum. Et idem docuit Cardinalis Mendoza Episcopus Burgensis in nostra Hispania in contione ad populum habita. Posteà contradicentibus multis Theologis, cōpulsus fuit librum cōponere ob defensam suæ propositionis affirmātis, per hoc Sacramentū non tantū consequi vniōnē charitatis, & affectus

Suar. in 3 p. q. 79. disp. 64. sect. 3.

cum Christo, sed etiam realem, naturalemque vnionē carnis suæ cum carne Christi. Loculenterque sanctorum testimonijs confirmauit.

Ex dictis supradictis sanctorum; sic formatur ratio. Hilarius argumento sumpto ab vnitate, quæ est inter carnem nostram, & carnem Christi, virtute, & participatione huius Sacramēti, quæ non est in solo affectu, sed re ipsa, probat vnitatem inter Patrem, & filium secundum diuinitatem; ergo concedit aliam vnionem in nobis in Sacramento, præter vnionem spiritus per charitatem. Idem denotant similitudines ceræ, & massæ, adductæ à Cyrillo. Non ita, quod diffundatur caro Christi in carnem nostram, sicut cera in ceram, nec fiat vtraque caro, velut massa eadem, sed solùm, vt probet vnionem factam per contactum, & experientiam, vt explicatum est.

Chrysostomus planè indicat per peculiarem vnionem illam carnis Christi, cum carne nostra vnumquid effici nos cum Christo, nempè, vt iam deinceps etiam ratione illius dicamur vnum corpus cum Christo, & membra, ex ossibus, & carne illius; cumque hoc dicat, *dum re ipsa illius carni miscemur*, aliam vnionem præter vnionem affectus, & charitatis fatetur. Ideò addit: vt itaque non tantum per charitatem hoc fiamus. Istam vocamus experimentalem habitam per tactum mysticam, & realem. Dixit etiam Bernardus: *Corpus enim Christi manducare, nihil aliud est, quàm Corpus Christi effici.* Ideòque appellant prædicti sancti vnionem istam naturalem, sicut Hugo à S. Vict. qui super illud: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, ait: *Verè Verbum caro factum est, & nos verè Verbum carnem Dominico cibo sumimus, & ideò manere in nobis naturaliter existimandus est, qui per naturam nostræ carnis, iam sibi inseparabilem homo natum assumpsit, & naturam carnis suæ sub Sacramento communicandæ carnis, nobis admiscuit. Nos ergo, qui corpus accipimus, corpus Christi facti sumus.*

S Bern. de nat amor. cap. 13.

Hug. à S. Vict. lib. 3. de anim. cap. 50.

Verum est, quòd vnio ista ortum, & originem habet ex charitate feruida animæ cum Christo, sed aliud est ab illa. Explicatur sic: Cùm enim charitas ad hoc perueniat, vt non tantùm coniungat nos Christo secundùm locum, sicut etiam solet amor coniungere amantes, vt sua præsentia mutuò perfruantur, sed etiam efficiat, vt ipse Christus sub specie cibi, & potus intra carnem nostram sit, vt eo spiritualiter alamur: hæc coniunctio, non tantum habet rationem cuiusdam propinquitatis inter corpora nostra, & Corpus Christi, sed etiam rationem vnionis contactus. Alanus ad explicandam peculiarem vnionem inter carnem nostram, & carnem Christi per Eucharistiæ manducationem, vtitur exemplo coniugij, quòd consummatum efficit, vt duo sint in carne vna. Docetque in consummatione matrimonij spiritualis considerare possumus, vt inter animam, & Christum sponsalia præcedant per fidem, matrimonium verò contrahatur per charitatem, per Sacramentum autem Eucharistiæ consumetur. In qua consummatione opinamur interuenire aliquando vnionem mysticam experimentalem per castissimos amplexus.

Alan. lib. 1. de Euch. cap. 28.

In quo (sicut & in alijs effectibus) hoc Sacramentum excedit cætera Sacramenta, quæ vim non habent vniendi carnem nostram cum Christo; atque adeò non ita faciunt vnionem consummatam, quamuis, teste Dionysio: vnumquodque Sacramentum diuisas quoque vitas nostras ad vniformem colligat deificationem, atque deiformi dissitorum coagmentatione cum illo vno communicet, vniatque. Addit pro Eucharistia: *Dicimus igitur, cæterorum Hierarchicorum symbolorum participationibus, ex diuinis huius, perfectiuisque muneribus accedere consummationem.* Et ibi cap. 4. ait: *Tanta sunt, & tam præclara Sanctissimæ synaxeos spectacula spiritualia, quæ nostri cum vno illo communionem atque coniunctionem præcipuo, quodam ritu sacro perficiunt.*

S. Dion. Areop. c. 3 de Eccles. Hierarch.

Dices primò, hanc vnionem cum carne Christi, & nostra esse impossibilem explicatam per tactum, quia omnis potentia actiua, quando est corporea, requirit passum approximatum localiter: propter quod Corpus Christi in isto Sacramento, nequit tangi à potentia corporea, nec videri à potentia visiua corporea; ergo non

non potest vniri cum potentia tactus carnis, quia extensa est in ordine ad locum circunscriptiuum, corpus autem Christi in ordine ad se diffinitiuè.

Dicimus hoc verum esse, si causæ relinquantur agere naturaliter, quia tunc omnia illa requirunt. Non verò si diuinitus, & supernaturali modo eleuentur. Vndè Doctor subtilis, quem sequuntur eius discipuli, tenet Corpus Christi præcisè consideratum videri posse ab oculo corporeo, siue glorioso, siue non glorioso, his fundatus rationibus: forma absoluta potest causari in aliquo, absque respectiua forma, sed visio Corporis Christi corporalis, est forma absoluta: præsentialitas autem ad species Sacramentales, siue modus essendi in Eucharistia est relatio extrinsecus adueniens; ergo Deus potest causare visionem Corporis Christi, absque visione præsentiæ, siue modi essendi sub speciebus. Corpus Christi, vt est in Eucharistia fundat realem præsentiam ad illas species Sacramentales: quatenus autem fundat præsentiam ad species, habet aliquid esse, non autem indiuisibile, quia essentialiter est quantum per quantitatem; at secundum Aristotelem in fine de sensu, & sensatione, dubio vltimo minimum sensibile est perceptibile à sensu perfectissimo; ergo potest Corpus Christi percipi à visu corporeo, non obstante suo modo existendi hic; hic namque modus non est de essentia visionis, quia est effectus quantitatis, solùm est de essentia visionis primus modus quantitatis, qui est extensio quantitatis in ordine ad se. Idem nos dicimus de potentia tactus carnis. Diuinitus namque potest eleuari, vt experimentaliter vniatur cum carne Christi eisdem fundamentis, sicque esse sufficienter approximatam, vt attingere valeat carnem Christi cum sua quantitate in ordine ad se, & loco diffinitiuo, absque relatione ad circunscriptiuum. Ad hoc enim suum nobis contemperauit corpus, vt aiebat Chrysostomus.

Scot. in 4. dist. 10. q. 9. §. Al quæstion.

Confirmatur responsio. Glossa ordinaria tenet Apostolum Thomam tetigisse Corpus Christi, iam gloriosi, quando dubitans de eius resurrectione, dixit ei Dominus: *Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Vndè (inquit) palpandum se se ei Dominus præbuit. Idem docet Gregorius, dicens: *Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, &c.* Alij etiam Patres, & Doctores idem sentiunt.

Ioan. c. 20. Glos. ord.

S. Gregor. Magn. Hom. 26. in Ioan.

Potuit ergo Corpus Christi tangi, & palpari, & tamen erat subtile, & omni crassitudine carebat, ac immortale, & incorruptibile erat; manus autem Apostoli subtilis, non erat, nec carebat crassitudine; attamen eleuata fuit, vt tangere posset ipsum Corpus Christi. Vndè dixit Chrysostomus respondens difficultati: Dignum dubitatione est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit. sed hoc te non perturbet, hoc enim permissionis fuit. Corpus enim, tam tenue, & leue, vt clausis ianuis ingrederetur, omni crassitudine carebat: sed vt resurrectio crederetur, talem se exhibuit, & vt ipsum qui crucifixus fuerat, esse, & neminem alium pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis Crucis resurrexit, & manducauit: quòd resurrectionis signum Apostoli plurimi fecerunt, dicentes: Qui cum eo simul manducauimus, & bibimus. Hæc ille. Eodem modo potest esse, quòd eleuetur potentia tactus ad vnionem experimentalem cum carne Christi ad ostentionem sui nimiæ charitatis cum animabus charissimis.

S Chrysos. Hom 80. in Ioan.

Act. c. 10.

In tali vnione tenet Thomas à Iesu, satis doctus in Theologia mystica, qui neruosè illam defendit, euacuari fidem tunc de hoc Sacramento. Quod quidem non audemus dicere; quia quamuis magna sit contemplatio illa, supremaque supra fidem, & infrà visionem beatam, de qua superiùs actum est; non tamen, quis inuenitur Doctor mysticus, qui asserat, tunc euacuari fidem de Deo, idem de vnione fruitiua experimentali dicunt omnes. Cùm verum sit huiusmodi contemplationem, & vnionem esse perfectissimos actus huius viæ, attingereque Deum experimentaliter in gradu supremo. Ideò sentimus non euacuari fidem Eucharistiæ per vnionem

Thom. à Iesu libr 4. de orat. infus. ca. 28.

experimentalem, sed semper manere sub velamine fidei.

Dices secundò, sequeretur realiter mutari Corpus Christi, quia de nouo tangitur à carne nostra, & illam tangit, sicque aliquid reale acquirit transiens de statu contradictorio ad statum contradictorium. Idem dicendum erit transacta vnione, quam deperdit.

Respondetur veram esse sequellam, quia hæc mutatio est accidentalis, & absque inconuenienti fit. Imò est necessaria talis mutatio. Ratio est perspicua, quia vnaquæque res propriè denominatur à mutatione in ipsa facta, vel recepta. Verissimè, ac proprissimè dicitur Corpus Christi eleuari in Eucharistia, & circumferri, quæ mutationem localem indicant. Deinde, in desitione præsentiæ Corporis Christi, corruptis speciebus, verè fit in Christo aliqua mutatio amissiua illius præsentiæ: cùm enim illa aliquid reale sit in corpore Christi, illa amissa aliter se habet Corpus Christi, quam anteà; ergo mutatum est. Hac de causa grauissimi Theologi, quos refert, & sequitur Suarez, affirmant, hæc verè, & propriè dici de Corpore Christi. Idem dicere debent alij Scholastici tenentes dari in Corpore Christi veram vnionem realem ad species Sacramentales, propter easdem rationes. Hoc ipsum fatemur de vnione mystica experimentali nostra. Ex dictis constat talem vnionem esse realem, quia fit per contactum verum & realem, & non solum moraliter. *Suar. sup. q. 75 art. 1 sect. 4.*

TRACTATVS NONVS.

CAPVT I.

De sermone Sapientiæ.

POstquam hucvsque egimus de mystica Theologia infusa, visum fuit tractare de gratijs gratis datis, vt nihil deficiat ad integram cognitionem eorum, quæ in vita spirituali accidere solet. De illis agit Paulus, dicens: *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo Sapientiæ: Alii sermo scientiæ: Alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* *1. Cor. cap. 12.*

Huiusmodi gratiæ appellantur à Theologis, gratiæ gratis datæ, ad distinctionem gratiæ gratum facientis: hæc enim datur in ordine ad illum, qui eam habet, & facit Sanctum, & amicum Dei, quia participatio est diuinæ naturæ. Gratia autem gratis data, datur per se primo ad bonũ Ecclesiæ, & aliorum. Sic exponunt omnes, illam particulam: *Ad vtilitatem.* Cornelius à Lapide ibi ex Bellarmino lib. 1. de gratia c. 10. ait: Verissimile est ex nouem, hic recensitis gratijs, quinque esse habitus permanentes, scilicèt sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum, & interpretationes sermonum, & aliquando etiam discretionem spirituum: reliquæ quatuor non sunt habitus, sed motiones transeuntes, scilicèt gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, & discretio spirituum.

Quòd conuenienter diuisio harum gratiarum sit data ab Apostolo, sic probat D. Thomas: Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum; homo autem ad hoc operari non potest interius mouendo, hoc enim solius Dei est, sed solùm exterius docẽdo, vel persuadendo. Et ideò gratia gratis data, illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterũ instruat in rebus diuinis, quæ sunt supra rationẽ. Ad hoc tria requiruntur. Primò, quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis diuinorũ, vt ex hoc instruere alios possit. Secundò, vt possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit, aliàs non esset efficax eius doctrina. Tertiò, vt ea quæ concipit, possit conuenienter auditoribus proferre. *S. Th. 1. 2. q. 111. art. 4. corp.*

Quantum ad primum tria sunt necessaria, sicut apparet etiam in Magistro humano. Oportet enim, quòd ille, qui debet alium instruere in aliqua scientia, primò vt principia illius scientiæ sint ei certissima, & quantum ad hoc ponitur fides, quæ est certitudo de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur, vt principia in Catholica doctrina.

Secundò, oportet, quod Doctor rectè se habeat circa principales conclusiones scientiæ: & sic ponitur sermo Sapientiæ, quæ est cognitio diuinorũ. Tertiò, oportet vt etiam abundet exẽplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas: & quantũ ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum: quia inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur. Confirmatio autem in his quæ subdũtur rationi, est per argumenta. In his autem, quæ suprà rationem diuinitus reuelata, confirmatio est per ea quæ sunt diuinæ virtuti propria; & hoc dupliciter. Vno quidem modo, vt Doctor sacræ doctrinæ faciat, quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis, siue sint ad salutem corporis, & quantum ad hoc ponitur gratia sanitatum; siue ordinentur ad solam diuinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundò, vt possit manifestare ea, quæ solius Dei est scire, & hæc sunt contingentia futura, & quantum ad hoc ponitur prophetia; & etiam occulta cordium; & ad hoc ponitur discretio spirituum. Facultas autem pronunciãdi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi, & secundùm hoc ponitur genera linguarum; vel quantum ad sensum eorum, quæ sunt proferenda: & quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum.

Sermo Sapientiæ, quæ est gratia gratis data, est quoddam lumen, quo mediante, quis sapienter loquitur ad vtilitatem aliorum, siue docendo, siue prædicando, siue scribendo, de iis quæ ad doctrinam Religionis, ac pietatis spectant, differendo ex causis supremis. Id quod Apostolus se fecisse testatur cap. 2. dicens: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Hoc fit, quãdo quis quasi detegit, ac reuelat cœlestis consilij mysteria, velut de redemptione generis humani per humilitatem Passionis filij Dei; deque vocatione gentium, alijsque similibus, sicut fecisse videmus Apostolum in Epist. ad Rom. & Ephes. Pro quo plura dicit Ioannes de la Haye cap. 2. in Epist. citatam D. Pauli. Atque huiusmodi doctrinam Apostolus cap. 3. vocat cibum solidum, vt ait Hæbr. 5. *Perfectorum est cibus solidus*. Ad quod cognitio ipsius sermonis, vt sapienter fiat, aliter non sapienter fiet: *Nam nisi, quis intellexerit* (ait Ambrosius) *doctus esse non poterit*.

Ioan. de la Hay. Bibl. Maxim. tom. 15.

S. Ambr. in Psal. 118 Octon. 10.

Tunc homo fit instrumentum Spiritus Sancti, qui vtitur lingua eius, vt efficaciter loquatur tripliciter. Primò, ad instruendum intellectum, quòd fit, quando sic loquitur, quòd audientes doceat. Secundò, ad mouendum affectum, vt scilicet libenter audiant Verbum Dei, sicque illos delectat ad vtilitatem specialem eorum. Tertiò, ad hoc, vt quis amet, quæ verbis significantur, & vellit ea implere; quod fit, quando sic loquitur, quòd voluntatem auditoris flectit.

Quòd si sermo Sapientiæ sit in ordine ad docendam totam Ecclesiam, & cum ea colloquendam, non conceditur mulieri, iuxta illud Pauli: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui*. Ratio est, quia hoc pertinet ad Doctores, & Prælatos. Ideò repugnat sexui mulie bri; tùm propter defectum intelligentiæ, tùm, quia mulier naturaliter debet esse subiecta viro, ideò subditur: sed subditas esse, sicut & lex dicit: *Sub viri potestate eris*. Docere autem, & persuadere in Ecclesia publicè, non pertinet ad subditos, sed ad Prælatos. Denique propter periculum alliciendi homines ad libidinem. Priuatè autem ad vnum, vel paucos potest competere mulieri sermo Sapientiæ.

1. Cor. cap. 14.

3.

Differt autem sapientia ista à sapientia, quæ est donum Spiritus Sancti; quia ista tribuit cognitionem altissimam, & saporosam Dei, & rerum diuinarum in ordine ad recipientem, & habentem, vt alibi visum est; illa verò in ordine ad aliorum vtilitatem, quia gratia gratis data est. Cumque non pertineat ad

ad gratias gratum facientes, satis cōstat separari posse à charitate, quemadmodum & scientiam, de qua ipse Apostolus cap. 8. dicit *Scientia inflat.* Et cap. 13. eiusdem Epistolæ citatæ: *Si habuero omnem scientiam, &c.* Significari sapientiam colligitur in eo quod subdit: *Si nouerim omnia mysteria.*

Quocirca non eodem modo in præsentiarum accipitur sapientia, quo passim in Scriptura veteris testamenti, vbi soli iusti, ac Deum timentes vocantur sapientes, potissimum in Psalmis, Prouerbijs, Sapientiæ libro, & Ecclesiastico. Quamquam & illic sapientiam, & scientiam charitatis exortem interdum agnoscit Scriptura. Ecclesiast. 10. *Sapientia absconsa, & Thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Melior est, qui celat sapientiam suam.* Et cap. 25. *Quàm magnus, qui inuenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Deum.*

Pro Consilio habentis sermonem Sapientiæ notat D. Bernardus, quòd in distributione donorum, Paulus non ait simpliciter: Alij datur sapientia, alij scientia: sed addidit: sermo scientiæ, sermo Sapientiæ: *Vt ostenderet, quòd huiusmodi dona propter alios dātur, scilicèt, vt alii ædificentur. In quibus operibus cauendum est duplex periculum, ne vel illa, quæ dantur propter nos diuidamus proximis: vel illa, quæ propter proximos, reseruemus nobis.* Si namque, quæ propter proximos dantur, nobis reseruamus, deficimus in charitate, & in fine propter quem dantur. Si verò, quæ pro nobis dantur, alijs distribuimus, periculum est de vanagloria. Itemque non seruamus finem, per quem dantur.

S. Ber. ser. paru. & var. ser. 53

CAPVT II.

De Sermone scientiæ, & de fide gratia gratis data.

SErmo scientiæ est lumen supernaturale, in quo homo habet certum iudicium circa credenda, & agenda in ordine ad alios, scilicèt, Ecclesiam. Est gratia disserendi de rebus Christianæ Religionis, ex ijs, quæ sunt humanæ scientiæ, & experientiæ. Quòd fit dùm ad explicandam, & illustrandam fidei nostræ doctrinam adhibetur Philosophia naturalis; item exempla, comparationes qualiaquæcumque argumentis ad captum rudium, & carnalium hominum accommodata. Itē ad explicandum res fidei per easdem comparationes, & exempla deseruit.

Tale quid apud Corinthios se fecisse testatur Apostolus, dicens cap. 3 *Tamquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi.* Nomine lactis appellat doctrinam scientiæ. Vt enim sapientiæ sermo seruiebat spiritualibus, atque perfectis ipso testante: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Iterum cap. 2. *Spiritualia spiritualibus comparantes.* Ita sermo scientiæ congruebat animalibus, & imperfectis. Nam vt ibi subiungit: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus:* ideòque, *non potui* (inquit cap. 3.) *vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Distinguitur à sermone Sapientiæ, nā per sapientiam intelligitur cognitio rerum superiorum, vt de mysterijs sublimioribus, ac difficilioribus fidei. Per sermonem verò scientiæ intelligitur, cognitio benè loquendi de rebus inferioribus, & minùs sublimioribus. Secernitur denique, ex eo quod est ad alios à dono scientiæ Spiritus Sancti, quia donum hoc operatur in ordine ad recipientem, & habentem. Distinctio tradita sapientiæ, & scientiæ inuenitur in D. Augustino, de quo Theologi in 3. sent. dist. 35. finis itaque scientiæ huius, vt possidens rectè viuendi mores aliorum instruat, & corda eorum ad cœlestia attollat, & ad Deum diligendum erudiat, & inflammet. Non ad vanitatem, & quæstum. Ne sit, de quibus ait Gregorius: *Foris acuti, sed intus cæci sunt.* Ac veluti alius Heliu, qui increpare potiùs paratus fuit B. Iob, quàm docere, & consolari in rebus, & verbis quæ non rectà iudicabit, dicens ei: *Hoc est ergo, in quo non es iustificatus. Habent enim* (inquit ipse Gregorius) *hoc arrogantes proprium, vt plus arguere appetant, quàm consolari.*

S. Aug. li. 13. de Trinit. c. 12. & lib. 14. cap. 1.

S. Gregor. Magn lib. 23. in Iob, cap. 10.

Iob cap. 33

Fides gratia gratis data, est constans fiducia in Deum ad quidvis impetrandum. Itaque gratia hæc includit fidem infusam, quæ est forma spectans ad iustificationem, & insuper addit illam fiduciam, quæ est cum singulari quadam illustratione intellectus data

in

in finem, vt quis miracula operetur. D. Chrysostomus, sic ait: *Fidem non eam dico, quæ dogmatum est, sed signorum, de qua Christus, si habueritis, inquit, fidem sicut granum sinapis & dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & Apostoli, ad eam hortabantur dicentes: Adde nobis fidem, ipsa enim mater signorum est.* D. Thomas sumit hunc pro excellentia aliqua fidei. Caietanus vocat eam, non fidem credendorum, sed agendorum, id est, patrandorum miraculorum. Sentit Ambrosius deseruire ad profitendam, & vendicandam fidem, dicens: *Hoc dicit* (Paulus) *vt fidei profitendæ, ac vendicandæ pressa verecundia accipiat facultatem.* Huic fidei attribuitur operatio miraculorum. Meretur quippè apud Deum de congruo opus arduum impetrare. Hoc tangitur in diffinitione miraculi. Miraculum namque est opus arduum, & insolitum supra vires creaturarum consistens.

S. Chrysos. Hom. 29. in 1. Cor. c. 12.
Matth. c. 17.
S. Th. 2. 2. q. 4. art. 5. ad 4.
S. Ambr. comment. in Epist. ad Cor. c. 12.

CAPVT III.

De gratia sanitatum, & operatione virtutum.

Gratia sanitatum est virtus quædam à Deo particulariter concessa, & extraordinaria, qua mediante, quis potest curare languores, & ægritudines corporales. Ex quo qui viderint, possint confirmari in fide, vel eam conuerti, vel adduci ad propositum benè viuendi, & Deo melius seruiendi. Siue id fiat impositione manuum, quæ est ratio super hominem, teste Augustino. Ita promittit Dominus: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Siue re aliqua corporali adhibita: quomodo legimus Christi discipulos ipso iubente, multos ægros vnctione olei sanasse. Siue, per solum signum crucis, quæ cæremonia fugandi morbos omnibus sæculis à sanctis viris in Ecclesia vsurpata fuit. Quomodo distinguatur hæc gratia, à operatione virtutum, iam dicemus.

S. Aug. li. 3. de bapt. cont. donat. c. 16.
Marc. cap. 16.
Mar. c. 6.

Operatio virtutum, est virtus quædam ad patranda miracula in ordine ad sanitatem corporis, & animæ. Vndè secundùm hoc, sicut Prophetia se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt à diuina potentia. Et quia potentia diuina, nequit se communicare creaturæ; ideò est impossibile, quòd virtus operandi miracula sit qualitas habitualis permanens in anima. Potest fieri, quòd sicut mens Prophetæ mouetur reuelatione diuina ad aliquid cognoscendũ: ita mens miracula facientis moueatur ad aliquid faciendum, ad quod sequitur effectus miraculosus, quod Deus sua virtute facit, vt causa principalis, creatura vt instrumentum.

Differt operatio virtutum à gratia sanitatum, quia operatio virtutum se extendit ad eiicienda dæmonia. Ambrosius: *Potestatem dari significat, in eiiciendis dæmonijs.* Quòd non habet gratia sanitatum. Item secundùm Chrysostomum differt; nam qui habebat operationem virtutum, habebat etiam potestatem puniendi peccatores: *Qui habebat* (ait) *donum sanandi, curabat solum: qui autem operationes virtutum, etiam puniebat. Virtus enim est non sanare tantum, sed etiam punire, quemadmodum Paulus cæcauit, & Petrus perdidit.* Ita Græci. Latini verò dicunt distingui, quia per operationem virtutum significantur miracula maiora: vt sunt mortuos ad vitam reuocare, cæcos illuminare, claudis gressum, surdis auditum, mutis loquellam restituere, & cætera similia operari.

S. Ambr. in Epist. ad Cor. c. 12.
S. Chrysos. Hom. 29. in 1. ad Corinth. c. 12.
Actor. 13. & 5.

Vt autem, qui similia miracula faciunt, non eo ipso canonizentur pro iustis, & perfectis à Magistro spirituali, & à plebeijs: sciendum est, quòd etiam peccatores miracula facere possunt in nomine Domini, ad ostentandum virtutem Sancti nominis, & ad vtilitatem aliorum prodigia videntium. Agens Christus de die iudicij, inquit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Super quem textum, hæc D. Hieronymus ait: Prophetare, & virtutes facere, & dæmonia eijcere: interdum non eius meriti est, qui operatur: sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui vident, & audiunt, conceditur, vt licèt homines despiciant signa facientes: tamen Deum honorem, ad

Matth. c. 7.
S. Hieron. tom. 9.

cu-

1.Reg.cap. 10. cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Subiungit: *Nam & Saul, & Baalam, & Caiphas Prophetauerunt, nescientes, quid dicerent. Et Pharao & Nabuco Donosor somniis futura cognoscunt. Et in Actibus Apostolorum filij Sceuæ videbantur eycere dæmonia. Sed & Iudas Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur.*

Numer.23 Ioann.11. Genes.41. Dan.2. Act.19.

Sanctus Chrysostomus super eundem locum Matthæi, dicit: *Qui igitur isti sunt, inquies? Multi profectò credentium acceperunt dona gratiæ, ex quibus erat ille, qui cum Christi nomine dæmonia eyceret, non tamen eum etiam sequebatur: qualis erat ipse Iudas. Nam hic quoque quamquam esset malus, gratiæ tamen munus accepit.* Reperitique in veteri testamento affirmat ad vtilitatem aliorum: Neque talem gratiam Deum tribuisse in nouo testamento ob merita recipientium, probat, quia in die iudicij audient ab ore Christi: *Numquam noui vos.* Ac si diceret: Nunc quidem se esse amicos putant, tunc verò scient, quòd non vt amicis ista dona donauerim. Denique transferre montes miraculum est, & tamen fieri potest à non habente charitatem, iuxta illud Pauli: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Potest ergo, quis existens in peccato mortali, eijcere dæmonia, & alia miracula operari. Ratio est, qui istæ gratiæ sunt gratis datæ ad vtilitatem Ecclesiæ (vt dictum est) per se primò, non ad propriam. Doctè Abulensis hoc argumentum tractat.

S.Chr. ibi Hom. 25. Marc.c.9. 1.Cor.c.13

Licèt hæc vera sint, verissimum etiam est, nullum peccatorem posse patrare miracula ad demonstrationem sanctitatis propriæ; sed solùm sancti queunt. Ratio est perspicua, quia peccator sanctitate caret, ideò Deus nequit per miraculum facere, quia miracula sunt vera testimonia, secundùm illud Apostoli: *Contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus secundùm suam voluntatem.* Chrysostomus: *Testificantur & illi, testificatur & Deus, non Verbo, neque voce. Sed quomodo? Et signis, & prodigiis, & varijs virtutibus.* Deus autem nequit esse testis falsitatis vt dictum manet tract. de reuelationibus.

Tost. in c.7. Matth. q. 32.33.& 34. Ad Habr. cap.2. S.Chrysos. Hom.3 in cap.2. ad Habr.

Ex dictis colligitur, quòd dæmones non possunt facere vera miracula, quia propter eorum obstinationem in malum, nequeunt recta intentione inuocare nomen Sanctum, ad cuius inuocationem Deus faciat miracula. Quòd si aliquando videntur miracula patrare, vt per eos Magi in Ægypto, non sunt vera, sed falsa, & apparentia, decipiendo sensus hominis, & phantasmata. Iterum Chrysostomus: *Fortassè (inquit) dicet aliquis: quid ergo? An non, & Magi signa fecerunt, & Iudæi in Beelzebub Christum dæmones exclusisse dicebant? Num præterea credendum est magis? Sed illi non talia signa faciebant, propterea subiungit Apostolus, dicens: Varijs virtutibus. Illa enim non virtuti, sed infirmitati potius tribuenda sunt; quippè quæ phãtastica, & inania demonstrantur, idcirco intulit dicens: & Spiritus Sancti distributionibus secundum ipsius voluntatem.* Eodem modo intelligenda sunt prodigia Antichristi ante diem iudicij. Si autem vera sit opinio affirmantium, Magos veras fecisse ranas, & serpentes veros, non tamen miraculum est, quia factum fuit virtute causarum naturalium applicando actiua passiuis: miraculum verò, fit virtute diuina supra omnem virtutem naturalem creaturarum.

S. Chrysos.

CAPVT IV.

De discretione spirituum, de generibus linguarum, & interpretatione sermonum.

SEruando ordinem Apostoli, agendum erat de prophetia, at satis actũ est superius, ideò omittimus, & ad alias gratias procedimus. Discretio spirituum est quoddam lumen supernaturale, quo quis cognoscit, non solùm secreta cordium (in quo conuenit cum prophetia) sed etiam intentionem, & actionem in operando. Cùm hac cognoscitur, quis sit verè spiritualis, quis non, vt omnes exponunt. Cognoscitur denique, quis sit Propheta, quis deceptor. Audi Chrysostomum inquiens: *Quid hoc significat? cognitionem, quis sit spiritualis, quis non, quis Propheta, & quis deceptor. Quòd & Thessalonicensibus dicebat, Prophetias no-*

Tract. 4. c. 1. & 2. S. Chrysos. Hom. 29. in 1. ad Cor. c. 2. 1. ad Thess. cap. 5.

nolite negligere Omnia autem probate, quod bonum est tenete: etenim multa, tunc falsorum Prophetarum differentia erat, cùm diabolus cum veritate mendacium confundere niteretur. Inde enim dicit Apostolus: Alij discretio spirituum in plurali; vt denotet gratiam istam se extendere ad vtrumque, & ad discernendum spiritum bonum, & malum, & ad prophetiam, an procedat à diuino spiritu, an ab humano, vel diabolico. Quod etiam insinuat loco ad Thessalonicenses citato; dicens: *Prophetæ duo, aut tres dicant: & cæteri diiudicent.*

Hæc gratia datur in Ecclesia, in qua Deus dedit sua prouidentia omnia requisita ad eius gubernationem. Discretio quidem spirituum est difficilima; quia occulta hominum nequeunt cognosci. Tùm etiam, quia Angelus Sathanæ se transfigurat in Angelum lucis, ad decipiendum. Sic necessaria est ad bonum regimen Ecclesiæ. Fit, reuelando Deus hunc spiritum esse bonum, vel malum, manifestandoque in communi, vel in particulari ipsasmet cogitationes cordium, & intentionem. Quis Propheta verus, quis falsus. Secundùm Bernardum deseruit etiam, *vt ea, quæ tantum nobis congruunt, nobis reseruemus: & ea, quæ ad aliorum vtilitatem conferuntur, nobis largiamur, & proximis.* Similem gratiam plures habuerunt. S. Hilarius teste Hieronymo in eius vita. S. Monica, apud Augustinum, & multi alij. Atque adeò petibilis est à confessarijs, & Patribus spiritualibus, prout sciant alios rectè gubernare in re tanti momenti.

S. Ber. ser. paru. & var.

S. Aug. li. 3. confes. c. 11.

Gratia, quæ est genera linguarum, est, qua mediante ex concursu speciali Dei, quis discit, vel nouit aliquas linguas modo supernaturali, easque loquitur. Fit hoc modo: recipiendo notitiam ipsiusmet linguæ, & ea mediante proprio idiomate pronunciando, & loquendo. Modus iste magis proprior est; vt qui loquatur, priùs sciat, quod loquitur: atque adeò priùs infundatur cognitio ipsius linguæ, quàm anteà ignorauerat. Gratia ista concessa fuit Apostolis per Spiritum Sanctum in die Penthecostes, sicut dicit sacra pagina: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes.* Nec erant nudæ voces, sed proferebant sententias, & oracula, turgentes afflatu diuino, & cœlesti igne inflammatas.

Actu. c. 2.

Pater Apostolos (& secundùm alios discipulos assistentes, vsque ad centum viginti) non vna lingua, sed varijs locutos fuisse; quia cœperunt loqui varijs linguis; quasi dicat: non omnes omnibus, nec ijsdem linguis locutos, sed alios alijs, itemque alios paucioribus, alios pluribus, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Item locutos fuisse linguis peregrinis, etiam illud est argumento, quia posteà fideles accepto Spiritu Sancto varijs linguis verè locuti sunt. Actorum 10. & 19. & 1. ad Corint. 14. Actorum etiam 11. dicitur: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, &c.* Vbi ex gratia visibili, scilicèt dono linguarum illis dato, sicut Apostolis, colligit similem gratiam visibilem. Idem de Apostolis constat ex Paulo, qui 1. Cor. 14. de se ait: *Gratias ago Deo meo, qui omnium vestrum lingua loquor.* S. Hieronymus: quasi dicat, scribit Apostolus, accepisse diuersitatem linguarum omnium gentium, vt annunciaturi Christum, nullo indigerent interprete. Ita Ambrosius, Cyrillus Nazianzenus, Augustinus, Leo, Gregorius, & alij. Hoc priuilegium concessum etiã fuit S. Vincentio Ferreiro, Antonio Vlysiponensi, Bernardino Senensi, & Sancto Francisco Xauerio, & alijs.

S. Hier. ad Hedibiam.

Interpretatio sermonum est gratia specialis aliquibus communicata, vt intelligant sensum sermonum, aut alicuius scriptorum, quem alias sine particulari gratia intelligere non possent. Hinc in Ecclesia erant interpretes obscura interpretantes in Sacra Scriptura per hanc gratiam Spiritus Sancti. Habuit eam Ioseph, cùm somnia interpretauit, & Daniel, quando interpretauit litteras manuscriptas in pariete. Vndè Scriptura Sacra, non est interpretanda priuato spiritu cuiuslibet, vt dicunt hæretici, sed spiritu diuino.

Genera linguarum, & interpretatio sermonum aliquando vni tribuebantur; aliquando vni altera, alij alia gratia diuisim communicabatur. D. Chrysostomus super illa verba Apostoli: *Alii genera linguarum, alii autem interpretatio sermonum,* sic loquitur: Hic

Hic enim sciebat, quid ipse diceret, sed alteri interpretare non poterat: alius hæc vtraque, vel horum alterũ. Videbatur autem hæc magna gratia esse, cum primum eam accepissent Apostoli, & apud Corinthios plures possiderent, doctrinæ autem sermo non ita: *Quamobrem* (sequitur) *illud quidem primum ponit, hoc autem vltimum: etenim hoc propter illud, & alia omnia, & prophetiæ, & operationes virtutum, & genera linguarum, & interpretationes linguarum.*

S. Chrysost. Hom. 29. in 1. epist. ad Cor. c. 12.

Erant tunc qui linguis loquebantur, nec tamen ea quæ dicerent, interpretari poterant: sed tantum in genere sciebant se diuina loqui, vtpotè motos à Spiritu Sancto ad loquendum. Erant & alij, qui donum haberent interpretandi ea, quæ ab alijs peregrina lingua dicebantur. Vndè inquit Hieronymus: *Alius interpretare poterat, quæ alius loqueretur.* Et Paulus cap. 14. 1. ad Cor. inter alia, quibus hanc diuersitatem indicat, vult, vt dũ quis loquitur lingua, adsit quispiam, qui interpretetur: *Si autem* (ait) *non sit interpres, taceat in Ecclesia.*

S. Hier. in 1. ad Cor. cap. 12.

Accedit ergo hæc gratia interpretandi linguas ad gratiam linguarum, præstans ei vtilitatem: sicut discretio spirituum adhibebatur prophetijs, vt discernerentur veræ à falsis. Ex quo patet ordinis ratio, cur Paulus prophetiæ statim adiunxerit discretionem spirituum: & generibus linguarum, interpretatio earum.

Potest etiam interpretatio sermonum reduci ad donum prophetiæ, in quantum mens illuminatur ad intelligendum, & exponendum, quæcumque sunt obscura in sermonibus, siue propter difficultatem rerum significandarum, siue etiam propter ipsas voces ignotas, quæ proferuntur, siue etiã propter similitudines rerum adhibitas secundùm illud Danielis: *Porrò ego audiui de te, quòd possis obscura interpretari.* Vndè interpretatio sermonum est potior, quàm donum linguarum, tùm ex dictis, tùm ex Apostolo dicente: *Nam maior est, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: nisi fortè interpretetur, vt Ecclesiam ædificationem accipiat.*

Dan. c. 5.

1. Cor. c. 14.

CAPVT V.

Explicantur termini mysticæ Theologiæ.

VNaquæque scientia suos habet terminos proprios, quorum intelligentia omnino necessaria est, vt cõstat. Sic mystica Theologia, qui difficillimi sunt, quam plures, multò magisque indigent intelligi. Sensualitas est potentia animæ, quæ sensificat corpus, & mouet, & appetit delectabilia corpori, & refugit nociua. Sensus est illa vis animæ, qua homo cognoscit res corporeas præsentes. Imaginatio est illa vis animæ, quæ intuetur res corporales absentes. Ratio est illa vis animæ, qua anima inter bonum, & malum, inter verum, & falsum discernit infra se. Intellectus est vis animæ, qua anima apprehendit res immateriales, & intelligibiles. Portio animæ superior est ipsa anima, in quantum respicit superiora. Portio animæ inferior est ipsa anima, in quantum respicit inferiora.

Sensualitas. *Sensus.* *Imaginatio.* *Ratio.* *Intellectus* *Portio animæ superior.* *Portio animæ inferior.*

Phantasia est virtus animæ sensitiua, quæ formas nouas componit, secundùm similitudinem formarum à particularibus sensibus receptarum. Intellectus speculatiuus est ille, qui exercetur in speculatione veri. Intellectus practicus, qui exercetur in operatione boni. Oraculum est, cùm in somnis apparet aliqua grauis persona, vt Deus, Sacerdos, vel parens, denuncians aliquid euenturum, vel non; faciendum, vel vitandum. Visio est, cum id quis videtur, quod euenit, sicut apparuit. Somnium est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest. Hæc ex D. Bonauentura.

Phantasia. *Intellectus speculatiuus.* *Intellectus practicus.* *Oraculum* *Visio.* *Somnium.* *S. Bona. in declarat. term. Theolog. tom. 1. opusc.*

Verbum absconditum est, locutionem Spiritus Sancti concipere corde. Venas susurri superni furtiuè suscipere, est quando subtilitatem locutionis intimæ mens afflata raptim, & occultè cognoscit. Intelligentia est ea vis animæ, quæ immediatè supponitur Deo, qua de diuinis, quantum est homini possibile cognoscitur, ad arcana cœlestia penetranda. Suspendium mysticum est extensio mentis in æterna spectacula, vt cùm fieri potest, numquam ex intentione voluntatis, sed so-

Verbum absconditũ. *Susurrus.* *Intelligentia.* *Suspendiũ mysticum.*

sola interpolatione necessitatis, acies mentis indeflectatur. De isto ait Iob: *Suspendium elegit anima mea.*

Iob cap. 7.

Tactus mysticus. Tactus mysticus est, qui fit intimè in vnitate Spiritus cum Deo. *Spiritus.* Spiritus est anima, prout potentia obedentiali ipsi Deo subditur. Vocaturque pars animæ virginea, quia ibi solum attingit eam Creator. *Mens, & apex mentis.* Mens, siue apex mẽtis est centrum animæ impressam seruans Trinitatis imaginem; in qua vires animæ vnitæ sunt, originaliterque effluunt, sicut radij ex sole. Sic est suppremum in anima. *Illapsus Dei in animam.* Illapsus Dei in animam est motio ipsius Dei in ratione obiecti communicando se animæ, media profunda contemplatione, & vnione intima in ratione summi veri, & summi boni. *Quies animæ.* Quies animæ est omnem internam suauitatem etiam infusam transcendere, & in Deo tamquam in motus sui termino requiescere. *Ebrietas spiritus.* Ebrietas spiritus est affectiui saporis, & internæ voluptatis in corde receptio profluens, & exundãs. *Internum silentium.* Internum silentium est, quædam mentis denudatio, & omnium formarum, quæ Deum non repræsentant omnimoda expoliatio. *Iubilus.* Iubilus est cordialis amor, & feruida flamma deuotionis in Deum cum actione gratiarum, & diuinis laudibus cum summa reuerentia. Cæteri termini satis manent explicati in locis, quibus agitur de rebus per ipsos significatis. Hæc sufficiant dicta de vniuersa mystica Theologia supernaturali infusa, ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, gloriamque, & ad nostram vtilitatem.

Amen.

Omnia subijcio correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ.

FINIS.



INDEX TRACTATVVM,
Capitumque.

C. Caput signat. T. Tractatum. F. Folium.

Argumentum operis, fol. 1.

X Quæ

Tractatus quartus, de prophetia, extasi, & raptu.

Tractatus quintus, de vita actiuâ virtutum.

Tractatus sextus, de via purgatiua supernaturali.

Tra-



INDEX RERVM NOTABILIVM

C. Caput signat. T. Tractatum. F. Folium.

X 3 Dis-

H

Humilitas.

I

Imaginatio quid. facilcas. pag 89.

Interpretatio sermonum.

Iustitia.

L

Linguarum genera.

Locutio Dei.

M

Mystica Theologia.

Pa-

tæ

S

Sanitatum gratia.

Sermo sapientiæ.

Tunc

Viæ

quan-

FINIS.


8 1